The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

WITHDRAWN

PONT. UNIVERSITAS GREGORIANA

# FONTES
# HISTORIAE ECCLESIASTICAE
# MEDII AEVI

IN USUM SCHOLARUM SELEGIT
CAROLUS SILVA-TAROUCA S. I.
IN PONT. UNIVERSITATE GREGORIANA
PROFESSOR

PARS PRIMA
FONTES SAECC. V - IX

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

273.03
S 586f
v.1

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

EX LIBRIS
U.S.A.
PROV. SS. CORDIS

ROMAE
APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1930

INVENTUM

IN MEMORIAM

ROBERTI DE NOSTITZ-RIENECK S. I.

† XVI IULII MCMXXIX

# PRAEFATIO.

« Multa enim nobis e thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, et in Theologia et in quacunque ferme alia facultate inopes saepenumero et indocti reperiemur ».

M. CANO, *De locis theologicis*, XI, 2

Crescente saec. XIX ingenti progressu scientiarum historicarum cultura, crescebat in dies fontium noviter inventorum numerus, crescebat et editionum quae ad normam legum scientiae criticae parabantur, copia. Augebatur vero pari modo et pretium librorum, illorum praecipue, quorum auctores aspero labori investigationum criticarum incumbentes, lectorum copiam amoeno multiloquio non adtrahebant. Difficilior exin in dies fiebat studentium multitudini aditus ad fontes ipsos historiae, quorum tamen cognitio exacta et assiduus usus apprime necessaria videntur iis, quibus traditionis christianae monumenta cognoscere vel hominum temporum praeteritorum vitam et mores explorare in mente est. Quod ii quidem quam maxime experti sunt, qui fontes historiae cum scholaribus interpretari volentes, editiones similibus exercitiis academicis aptas quaerebant: via non patebat, unde tot editiones fontium comparantur, quot auditorum numerus requirebat. Cui defectui sane gravissimo ut obviaretur a saeculis iam viri eruditi recurrebant ad medium cuius usus semper in Ecclesia viguit: colligendi scilicet ex diversis fontibus selectos textus ut deficienti documentorum originalium moli ingenti quadamtenus saltem mederetur.

Ita, ut recentiorum tantum nomina adducamus, iam a. 1842 A. HAHN in sua *Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche* (ed. 3, 1897) collecta undique ex saec. I-V fontibus symbola et professiones fidei scholarum usui patefecit. Documenta magisterii ecclesiastici ex universae historiae ecclesiasticae fontibus collegerunt a. 1854 H. DENZINGER in suo *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum* (ed. 16, 1928) et F. CAVALLERA in *Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis magisterii ecclesiastici* (1920). Historiae ecclesiasticae priorum saeculorum fontes selectos simul cum sylloge documentorum historiam Canonis illustrantium a. 1893 edidit E. PREUSCHEN, *Analecta*:

1 *Staat und Christentum bis auf Konstantin*; 2. *Zur Kanongeschichte* (1), cuius exemplum H. M. GWATKIN in *Selections from early Writers illustrative of Church history to the time of Constantine*, London 1914 secutus est. Textus ex fontibus historiae ecclesiasticae saec. I-VII in usum scholarum selectos ediderunt a. 1910: C. KIRCH, *Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae* (ed. 4, 1924); a. 1911: M. J. ROUET DE JOURNEL, *Enchiridion patristicum* (ed. 6, 1929); idem cum J. DUTILLEUL a. 1929 *Enchiridion asceticum* edidit. Fontes selectos historiam iuris ecclesiastici Medii aevi illustrantes collegit E. EICHMANN in sua *Quellensammlung zur kirchlichen Rechtsgeschichte und zum Kirchenrecht* (1912 ss.) (2). Nec desunt, ut de fontium minoris molis editionibus particularibus in usum scholarum taceam, syllogae fontium, quibus historia causae alicuius maioris momenti vel eventus politico-ecclesastici illustretur. Ita E. BERNHEIM in collectione: *Quellensammlung zur deutschen Geschichte* a. 1907 (2 ed., 1913/14) edidit *Quellen zur Geschichte des Investiturstreites* et J. HALLER, ibidem, a. 1907, *Die Quellen zur Geschichte der Entstehung des Kirchenstaates*. Exempla ex fontibus universae historiae Ecclesiae catholicae (a. 41-1923) seligere conatus est C. MIRBT, *Quellen zur Geschichte des Papsttums und des römischen Katholizismus* (a. 1895; 4 ed., 1924).

Non desunt, ut ex elencho isto apparet, fontium historiae ecclesiasticae antiquae excerpta in usum scholarum apte selecta. Aliter re se habet cum Medii Aevi fontibus: Ingens documentorum scriptorumque numerus selectionem perquam difficilem reddit. Inde factum est, ut paucae, quae adsunt, collectiones fontium, nonnisi stricte delimitatas quaestiones historiae ecclesiasticae mediaevalis respiciant. Omnibus autem Medi Aevi momentum in historia Ecclesiae considerantibus manifestum est, huius temporis fontes quam maxime per selecta saltem excerpta omnium sacrarum scientiarum cultorum usui aperiendos esse.

Quod dum aggredimur, selectionis fontium ratio ante omnia exponenda videtur. Eam tum per Ecclesiae ad

---

(1) In G. KRÜGER sylloge: *Sammlung ausgewählter kirchen-und dogmengeschichtlicher Quellenschriften*, Freiburg, 1891 ss.

(2) Fasc. 1 (ed. 2, 1925): *Kirche u. Staat* I; *von 750-1122*; Fasc. 2 (1914) *Kirche und Staat* II; *von 1122 bis zur Mitte des 14 Jahrh.*; Fasc. 3 (1916) G. J. EBERS, *Der Papst u. die römische Kurie I. Wahl, Ordination u. Krönung der Papstes*, Paderborn, 1912 ss.

cuius historiam referuntur essentiam, tum per temporum et locorum limites determinandam censuimus.

Est enim Ecclesia Christi societas ad salutem hominum aeternam obtinendam instituta : « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit » (1); et quidem Ecclesiam de qua dixit : « Portae inferi non praevalebunt adversus eam » (2), quia « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (3). Unde perpetuo in Ecclesia viget Christi mandatum : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (4); sicut pariter viget aliud Petro datum mandatum : « Pasce agnos meos, pasce oves meas » (5).

In horum ergo mandatorum observatione per Ecclesiam clavem eius historiae inveniendam esse firmiter mihi persuasum est. Est enim scopus historici Ecclesiae, ut fontibus universis exploratis, inquirat et veraciter exponat, utrum et quatenus pastor supremus, Petri successor, aliique pastores in pascendis ovibus sibi commissis, utrum et quatenus Ecclesia docendo gentes servare omnia quaecumque Christus ipsi mandavit, necnon utrum et quatenus populi et singuli homines obsequendo, Christi mandatis obtemperaverint. Accedit et aliud historico Ecclesiae quam maxime attendendum momentum : eam scilicet unicam esse inter societates inter homines existentes, quae organismus sit vivens; Corpus enim est Christi (6) : « Propter eam " autem " rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia; propterea quod est Christi, vivum corpus est, actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis prin-

---

(1) Concil. Vatican., sess. IV, DENZINGER, 1821.

(2) Matth. 16, 18.

(3) ib., 28, 20.

(4) ib., 28, 18-20.

(5) Ioh. 21, 16-18.

(6) Conf. Concil. Parisiense a. 829 c. 2 : « Quod universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus eiusque caput Christus sit » (MGH Concil. 2, 610).

cipium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet » (1).

Cum ergo una eademque Christi Ecclesia sit, quae decursu saeculorum ministerium divinitus sibi commissum in diversis gentibus diversisque rerum externarum adiunctis exercuerit, cognoscendae, examinandae, exponendaeque sunt historico conditiones illae hominum locorum, temporum adiunctorumque inde consequentium varia elementa, eorumque in exercitium divini mandati per Ecclesiam influxus prosper vel adversus. Homines enim sunt, quibus Christi mandatum commissum est, homines sunt, quos in unum Christi ovile Ecclesia adunare debet: homines, utique, quos ut magistros authenticos et rectores supremos animarum infallibilitatis praerogativa divinitus collata a proponendis et docendis erroribus servat; omnes tamen, tum pastores, tum fideles semper homines sunt libero arbitrio praediti, homines in statu naturae lapsae existentes: natura vero depravata alia bona appetit, quam illa quae Christi mandatis congruunt, nec creaturis utitur ut mediis ad finem a Deo homini praefixum obtinendum, sed ipsas pro fine habet. Inde illa lucta in qua et homines per Ecclesiam mediis supernaturalibus instructos tum pastores, tum fideles non raro succumbere videmus, huius saeculi opes et luxurias muneri sibi a Christo commisso praeferentes; liberi utique sunt.

Huius luctae victorias et clades fontes historiae referunt, nec tacendi libertas vel velandi historico est: maximum enim historiae ecclesiasticae miraculum in eo est, quod Ecclesia quae per homines et tales homines regitur, quae homines et tales homines pro membris habet, per saeculorum procellas inconcussa vivit et crescit et salutare suum munus exercet, heri et hodie et semper. Sunt quidem ut s. Gregorius M. ait, causa ruinae populi sacerdotes mali (2), non tamen Ecclesiae: quae si essent, diu iam periisset Ecclesia.

Hanc ergo Ecclesiam Christi videmus ministerium divinitus sibi commissum exercere in Imperio Romano regionibusque ipsi collimitantibus, hanc eandem Ecclesiam videmus populos barbaros, occidentalis Imperii invasores et haeredes, Christi iugo subicere, hanc eandem Ecclesiam videmus socie-

---

(1) Leo XIII, *Satis cognitum* (29.6.1896). *Acta Leonis XIII*, vol. XVI, 1897, 160 s.

(2) Conf. infra n. 83.

tatem christianam Medii Aevi regere, hanc eandem Ecclesiam inter exeuntis Medii Aevi et ineuntis recentioris aetatis procellas labentem disciplinam et nutantem in multis fidem salvare et instaurare. Eadem demum est Ecclesia, quae, concussis hisce temporibus ipsis societatis civilis humanaeque culturae fundamentis, populos docet Christum crucifixum et Crucis stultitiam.

Historiam ergo huius Ecclesiae per suos fontes illustrandam nobis praefiximus : et quidem ab illo aevo, quo pereunte Romano imperio novae gentes terras, quas Urbs dominio suo subegerat, occupant novaque regna instaurant (saec. V-VIII). Inde vero a limine societas medievalis germen discordiae in se habet; etsi enim populi illi : Gothi, Suevi, Wandali, Franci, Burgundiones, Langobardi, Angli et Saxones, Baiuvarii, Alamanni, Normanni omnes unius stirpis Germanicae sunt, multitudo regnorum « nationalium » inter se independentium, quae iam ab initio novi aevi oriuntur, periisse numquam redituram Romani Imperii unitatem adnuntiat. Quae enim ineunte illo aevo Paulus Orosius imperii unitatem celebrando proclamat : « Latitudo Orientis, Septentrionis copiositas, meridiana diffusio ... mei iuris et nominis sunt, qui ad christianos et Romanos Romanus et christianus accedo » (1), ipso mortuo nemo iam dicturus est.

Nec adfuisse videntur inter eos qui saec. IX et X Romanum imperium se instaurasse putabant, viri qui Imperii essentiam intellexerunt. Externam Imperii speciem, splendore quodam imperituro radiantem videbant : Romanum tamen nomen in vanum iactabant. Illud enim quod Imperii vim et gloriam constituit nec intellexerunt, nec instaurare conati sunt :

« Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit iniustis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia iuris
Urbem fecisti quod prius orbis erat » (2).

Huic destructae unitati aliam Ecclesia suffecit, cuius praesagus s. Leo M. ait : « Per sacram b. Petri sedem caput orbis effecta (o Roma) latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod

(1) Conf. infra n. 1.

(2) CL. RUTILII NAMATIANI *libri duo*, I, vv. 63-66, ed. J. Vesserau, Paris 1904, p. 6.

tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit » (1). Populos namque Europae, quos, etsi magna ex parte communi fraterni sanguinis vinculo ligatos, tamen propriorum regnorum limites separabant, Ecclesia una fide, una cultura, una lingua iunctos in novam unitatem societatis christianae mediaevalis coadunare conatur. Quod egregie ei successisse nemo qui eius historiam a saec. V ad XIII perscrutatur, negabit. Una Christi fides homines omnium illarum gentium Romanae, Germanicae, Celticae, Slavicae, Hungaricae stirpis consociat, nec externe tantum, sed reapse vitam eorum imbuit et regit : Quod omnia legum et institutionum publicarum monumenta, artium, litterarum, vitae privatae reliquiae egregie manifestant. Non desunt utique vitia, crimina, pravarum cupiditatum horrenda exempla; nec tamen desunt paenitentiae et fidei hominum perversorum luculenta facta. Una cultura, illa, quam Ecclesia creavit, fide et moribus christianis populos imbuens simul et thesauros Romanarum litterarum, artium, scientiarum fideliter servans et in omnes Europae partes diffundens, liberum simul evolvendi propriam culturam singulis nationibus spatium relinquens; ita barbaras saec. V gentes ad illud culturae christianae culmen evexit, quo saec. XIII Europa excellit (2). Huius culturae medium potentissimum est lingua communis latina, qua Ecclesia utitur et cuius ope omnes illi populi a Groenlandia usque ad Africam, a Hibernia usque ad Finlandiae, Poloniae et Hungariae limites orientales communi commercio uniuntur. Cuius unitatis linguae incomparabile commodum melius intelligitur, si alteri unitati linguae opponitur, quae iam tunc mundum Christianum in duas partes sibi oppositas dividebat : unitati scil. linguae graecae, quae terras dominii Byzantini coadunabat. Certe inter elementa, quae lacrimabilem illam scissionem orbis christiani Medio Aevo peractam compleverunt, defectus linguae communis potiores partes habet. Orbis graecus superiori cultura antiqua praeditus orbem latinum non intelligit, barbarum spernit; nec orbis latinus, novae culturae ecclesiasticae fructus, orbem graecum intelligit, ut cultura inferior, superiorem suspectum habet. At nec unius nec alterius

(1) Sermo LXXXII (ML 54, 423).

(2) Conf. G. KURTH, *Les origines de la civilisation moderne*, 2 vol., 5 ed., Bruxelles 1903; G. SCHNÜRER, *Kirche u. Kultur im Mittelalter*, I-III, Paderborn 1924-29.

partis ecclesiasticis viris medium maxime obvium occurrit, addiscendi scil. alterius linguam.

Fatendum sane, non aeque directe ex Ecclesiae fine et essentia omnia huius unitatis elementa constitutiva procedere, nec pari modo ad divini eius mandati exercitium referri. Unitatis fidei enim instauratio immediate ex Ecclesiae fine et essentia consequitur, et ad divini mandati exercitium directe pertinet, sicut aeque directe consequitur et pertinet cultura moralis, quatenus homines docet finem suum ultimum mediaque et naturalia et supernaturalia ad ipsum assequendum cognoscere et adpetere. Quare si barbaros saec. V paganos vel Arianos, conversos videmus decursu saeculorum in christianos mandatis Dei et Ecclesiae obsequentes, sacramentis Ecclesiae utentes, charitatem christianam etiam erga inimicos exercentes, id fructum proprium et essentialem ministerii divinitus Ecclesiae commissi esse scimus (1). Cetera autem merita Ecclesiae de cultura tum spirituali, tum materiali Europae mediaevalis indirecte et accidentaliter ex eius ministerii divini exercitio consequuntur, inde praecipue quod scientiae, artes, litterae fere ex toto per ecclesiasticos tunc temporis exercebantur.

Quod quidem officiorum non directe et immediate cum ministerii divinitus commissi cohaerentium exercitium per ecclesiasticos etsi una ex parte imperituros culturae fructus adtulit, implicavit alia ex parte eosdem Ecclesiae pastores in rerum saecularium curas et profanorum negotiorum passiones, non sine tristissimis pro Ecclesia et humana societate sequelis. Huc pertinent phenomena quaedam socialia et politica, quae quamvis cum pastoralis muneris exercitio connexa, elementa tamen sunt ipsi accidentaliter supervenientia et ab Ecclesiae essentia prorsus extranea. Talia sunt principatus saeculares episcoporum et abbatum, rerum saecularium necnon universae regnorum politicae — vix semper secundum fidei Christi leges — gestio per episcopos, monachos, clericos, quos superior cultura laicis aptiores reddebat ad tale munus exercendum.

Advertendum quoque est, non excludendam videri ex istorum mere accidentalium et ab essentia ecclesiastici muneris extraneorum numero ipsam suprematiam politicam quam

---

(1) Conf. R. v. NOSTITZ-RIENECK, *Das Problem der Kultur*, Freiburg 1888, p. 147 ss.; eiusdem *Weltkirche und Weltkultur*, Stimmen aus Maria-Laach, LXII, 1902, p. 1 ss.

Romanos Pontifices saec. praesertim XI-XIII in populos Europae exercere videmus. Reges et principes et populos Romano Pontifici ut supremo pastori animarum et visibili Ecclesiae capiti Christique vicario subiectos esse eique ut magistro infallibili in rebus fidei et morum oboedientiam debere, ad essentiam Ecclesiae pertinet; Reges vero et regna Romanae ecclesiae eiusque capiti feudalitatis vinculo obnoxia esse vel ab ipso in rebus temporalibus civilis potestatis muneri propriis ut supremo domino dependere — salva semper ipsius Pontificis independentia a quavis potestate terrena eiusque suprematia in rebus fidei et morum — accidentalis prorsus consequentia adiunctorum historicorum est.

Ita videmus Ecclesiam in lucta quam cum imperatoribus et regibus saec. XI et XII, ducibus ipsis Romanis Pontificibus, sustinet ad recuperandam libertatem a iugo laicorum in rebus iurisdictionis et regiminis proprie et exclusive ecclesiastici victoriam obtinere, dum e contra in luctis indolis politicae et temporalem dominationem respicientibus non desunt clades et morales et reales. Nec Deum miracula facere credamus, ut pastores Ecclesiae ab erroribus accidentalibus revocet, in quos ipsos ingestio in res saeculares et politicas, non ut pastores animarum sed rectores regnorum involverat. Attamen accidentalia illa saeculis Medii Aevi supervenientia non sine tristi fructu manserunt, magnaeque illius catastrophes saec. XVI etsi non causae unice efficientes fuerunt, certe tamen ipsam praepararunt per animorum exacerbationem hominumque ab Ecclesia aversionem. Maior enim in dies fiebat cleri in res temporales implicatio: pecunias ipsi pastores animis praeferebant, immo dominandi nonnullorum cupiditas ipsam Petri Sedem diri schismatis macula foedavit. Inde, si sub saec. XVI initiis unitas illa fidei quam Ecclesia tot laboribus exantlatis sanguineque sparso instauraverat immani ruina distructa et in historia Ecclesiae et Europae numquam visa scissio populorum, usque nunc durans et fructus in dies amariores ferens, orta est, id non sine gravi hominum ecclesiasticorum culpa accidisse constat. Maior utique fuit culpa eorum, qui ruinae medelam non in malorum exstirpatione sed in Ecclesiae eversione quaerebant.

Inde operis limites circumscribuntur eiusque indoles determinatur per Ecclesiae in creanda, educanda, regenda societate christiana Medii Aevi operam supra per summa capita expositam. Qua expositione iam limites temporis et loci indicantur. Temporis: scil. ab ingressu gentium germanicarum

in Imperium Romanum earumque primo cum Ecclesia contactu usque ad incipientis ruinae unitatis illius ab Ecclesia creatae tempora. Sic prima parte fontes saecc. V-IX proponemus: periodi scil. conversionis variarum gentium ad fidem Christi, originumque culturae Christianae et Imperii Mediaevalis; secunda vero fontes saecc. X-XIV colligemus.

Cum vero societas illa christiana constituatur nationibus Romano-Germanicis quibus accedunt Celtae, Hungari et Finni, Lituani etc. et ex parte Slavicae nationes, limites geographici determinantur: respicimus tantum historiam Ecclesiae in illis regionibus, quae orbem latinum Medii Aevi constituunt. Ad excludendos fontes historiae orbis Byzantini et in genere Orientis Christiani difficultates gravissimae nos moveverunt: ingens enim materiae moles selectionis difficultates insuperabili modo auxisset; accedit linguarum diversitas, quae dum latinam versionem requirat, voluminis limites iustos excedere nos coegisset. Nec tamen excludendi videntur fontes historiae ecclesiasticae regnorum a Latinis saec. XI in Oriente institutorum.

Ex iis quae initio huius praefationis exposuimus, apparet nos Ecclesiam eiusque historiam praecipue ratione exercitii divini mandati docendi omnes gentes ea quae Christus ipsi commisit considerare. Quod quidem mandatum non stricto sensu magisterii ecclesiastici tantum concipimus, nec in mente est fontes historiae dogmatum proponere, definitionumve de rebus fidei et morum textus colligere: quae alibi inveniri possunt. Latiori quodam sensu Ecclesiam ut educatricem et magistram consideramus, quae populos tum vi mandati sibi divinitus commissi ad fidem et mores christianos adduxit et rexit, tum in novae culturae unitatem consociavit. Quare fontes eos potius selegimus, ex quibus Romanorum Pontificum, episcoporum, ministrorum Ecclesiae modus agendi erga fideles suae curae commissos illustretur. In genere autem praeferendos duximus fontes ex quibus mens et mores tum pastorum, tum fidelium apparent; necnon eos, quibus conditiones in quibus Ecclesia ministerium suum inter diversos populos decursu saeculorum exercuit, illustrantur, iis, qui mere facta historica narrant. Unde annalium et chronicorum libris, quorum a saec. VIII tanta superest multitudo, sat parum usi sumus.

Editiones, ex quibus textus excerpsimus, exacte indicavimus; recentes et criticas, quantum fieri potuit, praeferendas esse censuimus. Quas etsi non omnes aeque bene diver-

sorum fontium textum primigenum restituere fatendum est, constat tamen ipsas per codicum manuscriptorum enarrationes, apparatum criticum, verborum indices lectori viam saltem pandere, qua textus in melius restitui possit. Multorum quidem Medii Aevi scriptorum, theologorum praesertim, opera in editionibus saeculo XVIII non recentioribus prostant; quibus necessario utendum est, dum aliae non adsunt. Ubi vero recentiores et criticae praesto sunt, theologo ut plurimum utraque adhibenda est, recens a philologo vel historico confecta, et antiquior a theologis theologorum usui magis adaptata. Editiones autem antiquiores diplomatum, epistolarum, chartarum nonnisi cautissime adhibendae sunt, etiam illae, quae in I. P. MIGNE *Patrologia* et I. D. MANSI *Conciliorum collectione* habentur, mendis enim et erroribus scatent.

Prae omnibus tandem advertere lectorem oportet, nos in tanta fontium multitudine nonnisi exempla seligere potuisse, quae aliquo saltem modo conferre speramus ad melius cognoscendam unam sanctam catholicam Christi Ecclesiam.

Romae, die festo B. Roberti Bellarmino, XIII Maii MCMXXX.

# TABULA FONTIUM

## Saeculum V.


| | | NUM. | PAG. |
|---|---|---|---|
| I. | Paulus Orosius . . . . . | 1-3 | 1 |
| II. | Salvianus . . . . . | 4-6 | 3 |
| III. | Prosper . . . . . | 7 | 5 |
| IV. | S. Patricius . . . . . | 8 | 7 |
| V. | S. Maximus Taurinensis . . . . | 9 | 9 |
| VI. | C. S. M. Sidonius Apollinaris . . | 10-13 | 11 |
| VII. | Victor Vitensis . . . . . | 14-16 | 14 |
| VIII. | Gelasius papa . . . . . | 17-21 | 21 |
| IX. | Anastasius II papa . . . . . | 22 | 22 |


## Saeculum VI.


| | | | |
|---|---|---|---|
| X. | Eugippius . . . . . | 23-24 | 23 |
| XI. | Symmachus papa . . . . . | 25-26 | 25 |
| XII. | Alcimus Ecdicius Avitus . . . | 27-29 | 31 |
| XIII. | Magnus Felix Ennodius . . . . | 30-32 | 35 |
| XIV. | Hormisda papa . . . . . | 33 | 39 |
| XV. | S. Fulgentius Ruspensis . . . . | 34-36 | 40 |
| XVI. | S. Remigius Remensis . . . . | 37 | 43 |
| XVII. | S. Caesarius Arelatensis . . . | 38-41 | 44 |
| XVIII. | Canones concil. aevi Merovingici . | 42-47 | 49 |
| XIX. | Vigilius papa . . . . . | 48-50 | 51 |
| XX. | Pelagius I papa . . . . . | 51-52 | 55 |
| XXI. | S. Nicetius Treverensis episcopus . | 53 | 57 |
| XXII. | Fl. M. Aur. Cassiodorus Senator . | 54-58 | 59 |
| XXIII. | S. Martinus Dumiensis . . . . | 59-60 | 64 |
| XXIV. | Pelagius II papa . . . . . | 61-62 | 67 |
| XXV. | S. Gregorius Turonensis . . . | 63-66 | 69 |


## Saeculum VII.


| | | | |
|---|---|---|---|
| XXVI. | Venantius H. C. Fortunatus . . | 67 | 75 |
| XXVII. | S. Gregorius Magnus . . . . | 68-89 | 76 |
| XXVIII. | Liber diurnus Rom. pontificum . | 90-100 | 95 |
| XXIX. | S. Columba . . . . . | 101-104 | 103 |
| XXX. | Canones concil. Franciae saec. VII. | 105-111 | 110 |
| XXXI. | Sisebutus, Wisigothorum rex . . | 112-113 | 119 |

| | | NUM. | PAG. |
|---|---|---|---|
| XXXII. | S. Isidorus Hispalensis . . . . | 114-118 | 121 |
| XXXIII. | Canonum collectio Hispana . . | 119-129 | 126 |
| XXXIV. | Lex Wisigothorum . . . . . | 130-133 | 143 |
| XXXV. | S. Braulio . . . . . | 134-137 | 146 |
| XXXVI. | S. Martinus I papa . . . . . | 138 | 151 |
| XXXVII. | S. Desiderius Cadurcensis episc. . | 139-143 | 154 |
| XXXVIII. | Ionas . . . . . | 144-146 | 159 |
| XXXIX. | S. Fructuosus . . . . . | 147-150 | 161 |
| XL. | S. Ildefonsus . . . . . | 151 | 166 |
| XLI. | Vita S. Balthildis . . . . . | 152-155 | 168 |
| XLII. | Berthefridus Ambianensis episc. . | 156 | 171 |
| XLIII. | Marculfi formulae . . . . . | 157-165 | 175 |


## SAECULUM VIII.


| | | | |
|---|---|---|---|
| XLIV. | Stephanus magister . . . . . | 166 | 184 |
| XLV. | Adamnanus . . . . . | 167-169 | 186 |
| XLVI. | S. Aldhelmus . . . . . | 170-172 | 188 |
| XLVII. | Eddius Stephanus . . . . . | 173-176 | 192 |
| XLVIII. | S. Beda venerabilis . . . . . | 177-190 | 197 |
| XLIX. | Cuthberctus . . . . . | 191 | 219 |
| L. | Paenitentiale q. d. Theodori . . | 192-194 | 222 |
| LI. | Gregorius II papa . . . . . | 195-196 | 224 |
| LII. | S. Willibrordus . . . . . | 197-197-*a* | 230 |
| LIII. | S. Pirminus . . . . . | 198-201 | 232 |
| LIV. | S. Bonifatius . . . . . | 202-217 | 236 |
| LV. | Synodus apud Cloveshoe . . . | 218 | 258 |
| LVI. | Stephanus II papa . . . . . | 219 | 262 |
| LVII. | Concilia Pippini tempore celebrata | 220-227 | 267 |
| LVIII. | S. Chrodegangus . . . . . | 228-233 | 277 |
| LIX. | Paulus diaconus . . . . . | 234-240 | 283 |
| LX. | Leges Langobardorum . . . . . | 241-245 | 289 |
| LXI. | Synodi Romanae saec. VIII. . . | 246-247 | 292 |
| LXII. | Hadrianus I papa . . . . . | 248-251 | 294 |
| LXIII. | Constitutum q. d. Constantini . . | 252 | 305 |
| LXIV. | Codex Carolinus . . . . . | 253-263 | 309 |


## SAECULUM IX.


| | | | |
|---|---|---|---|
| LXV. | Alcuinus . . . . . | 264-274 | 326 |
| LXVI. | Karoli M. capitularia . . . . | 275-288 | 338 |
| LXVII. | Karoli M. diplomata . . . . . | 289-292 | 357 |

| | | NUM. | PAG. |
|---|---|---|---|
| LXVIII. | Angilbertus . . . . . | 293 | 364 |
| LXIX. | Leo III papa . . . . . | 294-298 | 368 |
| LXX. | Leidradus . . . . . | 299 | 375 |
| LXXI. | Theodulfus, Aurelianensis episc. . | 300-301 | 378 |
| LXXII. | S. Benedictus Anianensis . . . | 302 | 381 |
| LXXIII. | Paschalis I papa . . . . . | 303-304 | 384 |
| LXXIV. | Eugenius II papa . . . . . | 305-307 | 390 |
| LXXV. | Capitula de scholis instituendis . | 308-312 | 394 |
| LXXVI. | Haito, Basileensis episc. . . . . | 313 | 396 |
| LXXVII. | Adalhardus et Wala abbates . . | 314-315 | 399 |
| LXXVIII. | Einhartus . . . . . | 316 | 403 |
| LXXIX. | Agobardus, Lugdunen. archiepisc. . | 317-319 | 405 |
| LXXX. | Ionas, Aurelianensis episc. . . . | 320-322 | 411 |
| LXXXI. | Walahfrid Strabo . . . . . | 323-324 | 415 |
| LXXXII. | S. Leo IV papa . . . . . | 325-329 | 418 |
| LXXXIII. | Hrabanus Maurus . . . . . | 330-332 | 422 |
| LXXXIV. | S. Eulogius Cordubensis . . . . | 333 | 428 |
| LXXXV. | S. Nicolaus I papa . . . . . | 334-337 | 433 |
| LXXXVI. | Hadrianus II papa . . . . . | 338-339 | 441 |
| LXXXVII. | Iohannes VIII papa . . . . . | 340-347 | 445 |
| LXXXVIII. | Hincmarus Rhemensis archiep. . | 348-355 | 455 |
| LXXXIX. | Anastasius Bibliothecarius . . . | 356 | 472 |
| XC. | Rimbertus, Hammaburg. archiep. | 357-360 | 476 |
| XCI. | Stephanus V papa . . . . . | 361 | 482 |
| XCII. | Legendae Pannonicae . . . . | 362-368 | 484 |
| XCIII. | Formosus papa . . . . . | 369-369-*a* | 490 |
| XCIV. | Concilia et Capitul. aa. 850-900 . | 370-376 | 493 |

## I. PAULUS OROSIUS.

presbyter, oriundus ex urbe Bracara in Lusitania, a. 414 obtulit S. Augustino scriptum suum « *Commonitorium adversus errores Priscillianistarum et Origenistarum* », quod S. Augustinus inseruit operi « *Ad Orosium contrra Priscillianistas et Origenistas* » (CSEL 18, 149-157; ML 31, 1211-16). A. 415 in Palaestinam profectus, ibi contra Pelagium et eius amicos scripsit opus « *Liber apologeticus* », defendens Augustini doctrinam de gratia (CSEL 5, 601 ss.; ML 31, 1173-1212). Post reditum Hippone composuit aa. 416-418 « *Historiarum adversus paganos ll. VII* » (CSEL 5, 1-600; ML 31, 663-1174), cuius praecipue libri VII[1] pars, in qua historiam temporum suorum narrat, pretiosa testimonia de mutatione rerum in Romano imperio continet.

**1.** *Hist.* V, 2. ... Latitudo Orientis, Septentrionis copiositas, meridiana diffusio, magnarum insularum largissimae tutissimaeque sedes, mei iuris et nominis sunt, quia ad Christianos et Romanos Romanus et Christianus accedo. Non timeo deos hospitis mei, non timeo religionem eius necem meam, ... unus Deus, qui temporibus quibus ipse innotescere uoluit, hanc regni statuit unitatem, ab omnibus et diligitur et timetur; eaedem leges, quae uni Deo subiectae sunt, ubique dominantur; ubicumque ignotus accessero, repentinam vim, tamquam destitutus non pertimesco, inter Romanos, ut dixi, Romanus, inter Christianos Christianus, inter homines homo, legibus inploro rempublicam, religione conscientiam, communione naturam. Utor temporarie omni terra quasi patria, quia quae vera est, et illa quam amo, patria in terra penitus non est. Nihil perdidi, ubi nihil amaui, totumque habeo, quando quem diligo, mecum est, maxime, quia et apud omnes idem est... (CSEL 5, 280 s.).

**2.** *Hist.* VII, 41 ... Quamquam et post hoc quoque continuo barbari exsecrati gladios ad aratra conuersi sunt, residuosque Romanos ut socios modo et amicos fouent, ut inueniantur iam inter eos quidam Romani, qui malint inter barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributa-

riam sollicitudinem (1) sustinere. Quamquam si ob hoc solum barbari Romanis finibus inmissi forent, quod uulgo per Orientem et Occidentem ecclesiae Christi Hunis, Suebis, Uandalis et Burgundionibus diuersisque innumeris credentium populis replentur, laudanda et adtollenda misericordia Dei uideretur, quandoquidem, et si cum labefactione nostri, tantae gentes agnitionem ueritatis acciperent, quam inuenire utique nisi hac occasione possent...

(CSEL 5, 554).

**3.** *Hist.* VII, 43. ...Nam ego quoque ipse uirum quendam Narbonensem, inlustris sub Theodosio militiae, etiam religiosum prudentemque et grauem, apud Bethleem oppidum Palaestinae beatissimo Hieronymo presbytero referentem audiui, se familiarissimum Athaulfo apud Narbonam fuisse, ac de eo saepe sub testificatione didicisse, quod ille, cum esset animo, uiribus, ingenioque nimius, referre solitus esset, se inprimis ardenter inhiasse, ut oblitterato Romano nomine Romanum omne solum Gothorum imperium et faceret et uocaret essetque, ut uulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset, et fieret nunc Athaulfus, quod quondam Caesar Augustus; at ubi multa experientia probauisset, neque Gothos ullo modo parere legibus posse propter effrenatam barbariem neque reipublicae interdici leges oportere, sine quibus respublica non est respublica, elegisse saltem, ut gloriam sibi de restituendo in integrum augendoque Romano nomine Gothorum uiribus quaereret habereturque apud posteros Romanae restitutionis auctor, postquam esse non potuerat immutator...

(CSEL 5, 559 s.).

---

(1) Conf. SALVIANI (vide infra), *De gubernatione Dei*, IV, 6: « Nam illud latrocinium ac scelus quis digne eloqui possit, quod, cum Romana respublica vel iam mortua vel certe extremum spiritum agens in ea parte qua adhuc uiuere uidetur, tributorum uinculis quasi praedonum manibus strangulata moriatur, inueniuntur tamen plurimi diuitum, quorum tributa pauperes ferunt, ...Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt, quam ut diuites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumularent; illis, ut demerentur vectigalia vetera, istis, ut adderentur noua»... (CSEL 8, 73 s.); et s. ISIDORI *Historia Gothorum*, 16: « Hucusque Romani, qui in regno Gothorum consistunt, adeo amplectuntur, ut melius sit illis cum Gothis pauperes vivere, quam inter Romanos potentes esse, et grave iugum tributi portare». (MGH AA 11, 274).

# II. SALVIANUS.

« Ieremias saeculi quinti », cca. a. 390 apud Coloniam Agrippinam natus, ab anno 424 in insula Lerinum, celeberrima tunc monachorum communitate, vivebat; postea ecclesiae Massiliensis presbyter factus, obiit post annum 470. Scripsit inter aa. 439 et 451 libros 8 « *De gubernatione Dei* » (vel « *De praesenti iudicio* ») (CSEL 8, 1-200; MGH AA, 1; ML 53), in quo divinae providentiae gubernationem defendit, contra eos, qui ob Romani imperii miserrimam ruinam et quidem imperii iam christiani — negandam Providentiam argumentabantur. Inter fontes historiae ecclesiasticae saec. V[1], Salviani opus longe eminet, etiamsi tristissimae corruptionis societatis Romanae narrationem contineat. Aliud Salviani opus « *Ad ecclesiam* » (vel « *De avaritia* ») carpit avaritiam Christianorum: « Religionis officium esse dico, ut Christianus diues, dum in hac uita est, diuitias mundi huius pro Dei nomine atque honore consumet, secundum autem, ut si id uel metu uel infirmitate uel necessitate aliqua praepeditus forte non fecerit, saltem moriens omnia dispenset » (CSEL 8, 224-316). Existunt insuper 9 eius epistulae, (ib. 8, 201-223).

**4.** *De gubern. Dei* III, 9: ... Quid enim dignius, aut quid iustius? Non audiuimus, non audimur, non respeximus, non respicimur. Quis rogo, ex carnalibus dominis hac cum suis lege agere contentus est, ut contemnat tantummodo seruos suos, quia fuerit ab eis ipse contemptus? Quamquam nos non hac solum iniuria contemnamus Deum, qua contemni a seruis suis domini carnales solent, quia seruorum hic contemptus est maximus, si non faciant quod iubentur. Porro autem nos omni studio, omni nisu non solum iussa non facimus, sed contra id facimus, quod iubemur. Iubet enim Deus, ut omnes nobis inuicem cari simus, omnes autem nos mutua infestatione laceramus; iubet Deus, ut cuncti egentibus sua tribuant; cuncti admodum aliena peruadunt; iubet Deus, ut omnis qui Christianus est, etiam oculos castos habeat, quotus quisque est, qui non se luto fornicationis inuoluat? Et quid plura? Graue et luctuosum est, quod dicturus sum: ipsa Ecclesia, quae in omnibus esse debet placatrix Dei, quid est aliud, quam exacerbatrix Dei! aut praeter paucissimos, qui mala fugiunt, quid est aliud paene omnis coetus Christianorum, quam sentina uitiorum?...

(CSEL 8, 56-57).

**5.** *De gubern. Dei*, VI: ... Et quidem quia longum est, nunc de omnibus dicere, amphitheatris scilicet, odiis, lusoriis,

pompis, athletis, petaminariis, pantomimis ceterisque portentis, quae piget dicere, quia piget malum tale uel nosse, de solis circorum ac theatrorum impuritatibus dico (CSEL 8, 128)... Si quando enim euenerit, quod scilicet saepe euenit, ut eodem die et festiuitas ecclesiastica et ludi publici agantur, quaero ab omnium conscientia, quis locus maiores Christianorum uirorum copias habeat, cauea ludi publici, an atrium Dei, et templum omnes magis sectentur an theatrum, dicta Euangeliorum magis diligant an thymelicorum, uerba uitae an uerba mortis, uerba Christi an uerba mimi? Non est dubium, quin illud magis amemus, quod anteponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, quaelibet Ecclesiae festa fuerint, non solum ad ecclesiam non ueniunt qui Christianos se esse dicunt, sed si qui inscii forte uenerint, dum in ipsa ecclesia sunt, si ludos agi audiunt, ecclesiam derelinquunt. Spernitur Dei templum, ut curratur ad theatrum, ecclesia uacuatur, circus impletur, Christum in altario dimittimus, ut adulterante uisu impurissimo oculos ludicrorum turpium fornicatione pascamus. (CSEL 8, 135)... Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletae ciuitatis [1] remedio circenses ab imperatoribus postulabant... Circenses ergo, Treueri, desideratis, et hoc uastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot euersae ciuitatis excidia?... Theatra igitur quaeritis, circum a principibus postulatis? Cui quaeso statui, cui populo, cui ciuitatis?... Ludicra ergo publica, Treuer, petis? Ubi quaeso exercenda? An super bustum et cineres, super ossa et sanguinem interemptorum?... Nigra est incendio ciuitas, et tu uultum festiuitatis usurpas, lugent cuncta, tu laetus es. Insuper etiam inlecebris flagitiosissimis Deum prouocas, et superstitionibus pessimis iram Diuinitatis inritas. Non miror plane, non miror euenisse mala tibi, quae consecuta sunt; nam quia te tria excidia non correxerant, quarto perire meruisti. (CSEL 8, 149-150).

**6.** *De gubern. Dei*, VII, 6. . Inter pudicos barbaros impudici sumus. Plus adhuc dico: offenduntur barbari ipsi impuritatibus nostris. Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum: soli inter eos praeiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani. Et quae nobis, rogo, spes ante Deum est? Impudicitiam nos diligimus, Gothi

[1] Treverorum, «*Summa urbe Gallorum*» (ib. p. 148).

exsecrantur; Puritatem nos fugimus, illi amant; Fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum posse consistere, putamus posse nos saluos esse, quando omne impuritatis scelus, omnis impudicitiae turpitudo a Romanis admittitur, et a barbaris uindicatur? Hic nunc illos requiro, qui meliores nos putant esse quam barbaros: dicant quid horum uel paucissimi Gothi faciant, uel quid non horum Romani omnes uel paene omnes? Et miramur, si terrae uel Aquitanorum uel nostrorum omnium a Deo barbaris datae sunt, cum eas, quas Romani polluerunt fornicatione, nunc mundent barbari castitate! (CSEL 8, 163).

## III. PROSPER.

ex Aquitania oriundus, inter aa. 428-440 Massiliae monachus fuit, ibique magno cum fervore s. Augustini doctrinam defendebat contra Semipelagianismum cuius praecipui propugnatores monachi Massilienses, Cassiano duce, erant. A. 440 videtur s. Leonem, qui dum in Gallia versaretur in Sedem Petri evectus est, Romam secutus fuisse, ibique s. Leonem in scribendis epistulis adiuvasse. Praecipua opera contra Semipelagianos sunt: *Epistula ad Rufinum de gratia et libero arbitrio* (ML 51, 77-90), *Epigrammata in obtrectatorem Augustini* (ib. 149-152) magnum carmen (100 hexametri) περὶ ἀχαρίστων hoc est *de ingratis*, i. e. adversariis gratiae, (ib. 91-148). Contra Cassianum et eius «*Collationes*» (ML 49, 477-1328) scripsit post a. 432: *De gratia et libero arbitrio contra Collatorem* (ML 51, 213-276); contra Vincentium Lerinensem: *Pro Augustino responsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum*» (ib. 177-186). Post synodum Ephesenam (a. 431) edidit: *Epitaphium Nestorianae et Pelagianae haereseon* (ib. 153-154). Pro historico fons magni momenti est Prosperi *Chronica* (MGH AA 9, 341-485. ML 51, 535-606), maxime ea pars in qua res gestas annorum 379-455 narrat. Ultima operis editio Romae compilata videtur.

**7.** *Chron.*: Varane v. c. consule (a. 410).
Roma a Gothis Alarico duce capta (VIIII kal. sept.)...
Honorio VIIII et Theodosio V (a. 412).
Gothi rege Athaulfo Gallias ingressi...
Lucio v. c. cons. (a. 413). Burgundiones partem Galliae propinquam Rheno optinuerunt...
Monaxio et Plintha (a. 419).
Constantius patricius pacem firmat cum Wallia [1], data

[1] Wisigothorum rege.

ei ad inhabitandum II Aquitanica et quibusdam civitatibus confinium provinciarum... (1).

Hierio et Ardabure (a. 427).

Gens Wandalorum ab Hispania in Africam transit...

Florentio et Dionysio (a. 429).

... Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, ecclesias Brittanniae dogmatis sui insinuatione corrumpit. Sed ad insinuationem Palladii diaconi papa Caelestinus Germanum Autisiodorensem episcopum vice sua mittit et deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigit...

Basso et Antiochio (a. 431).

... Ad Scottos in Christum credentes ordinatus a papa Caelestino Palladius primus episcopus mittitur...

Theodosio XV et Valentiniano IIII (a. 435).

Pax facta cum Wandalis, data eis ad habitandum Africae portione...

Eodem tempore Gundicharium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aetius bello obtinuit pacemque ei supplicanti dedit qua non diu potitus est, siquidem illum Chuni cum populo suo ab stirpe deleverint...

Aetio II et Segisvulto (a. 437).

... In Africa Gisiricus, rex Wandalorum, intra habitationis suae limites volens Catholicam fidem Arriana impietate subvertere, quosdam nostrorum episcopos, quorum Posidius, et Novatus ac Severianus clariores erant, eatenus persecutus est, ut eos privatos iure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet...

Per idem tempus quattuor Hispani viri, Arcadius, Paschasius, Probus, et Eutycianus dudum apud Gisiricum merito sapientiae et fidelis obsequii cari clarique habebantur, quos rex, ut dilectiores sibi faceret, in Arrianam perfidiam transire praecepit. Sed illi hoc facinus constantissime respuentes, ... primum proscripti, deinde in exsilium acti, tum atrocissimis suppliciis excruciati, ad postremum diversis mortibus interempti, inlustri martyrio mirabiliter occubuerunt...

Herculano u. c. cons. [et Sporacio] (a. 452).

Attila redintegritatis viribus, quas in Gallia amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit, nihil duce nostro Aetio... prospiciente, ... nihilque inter omnia consilia principis ac se-

(1) i. e. Romanis possessoribus remansit una tertia pars terrarum, dum duo tertiae partes Gothis tradendae erant.

natus populique Romani salubrius visum est, quam ut per legatos pax truculentissimi regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro consulari Avieno, et viro praefectorio Trygetio beatissimus papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum est, quam praesumpserat fides; nam tota legatione dignanter accepta, ita summi sacerdotis praesentia rex gavisus est, ut et bello abstinere praeciperet, et ultra Danuvium promissa pace discederet...

Valentiniano VIII et Anthemio (a. 455).

...Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrimis Romana captivitas, et Urbem omni praesidio vacuam Gisiricus optinuit, occurrente sibi extra portas s. Leone episcopo, cuius supplicatio ita eum Deo agente lenivit, ut cum omnia potestati ipsius essent tradita, ab igne tamen et caede atque suppliciis abstineretur (1)...

(MGH AA 9, 466-484).

## IV. S. PATRICIUS.

Hiberniae Apostolus, ea quae de eius vita certe constant ipse in libello ad fideles suos ante mortem dato, qui *Confessio s. Patricii* vulgo inscribitur, narravit. Aliunde (conf. The tripartite life of Patrick, ed. W. Stokes, London, 1887) constat, eum post captivitatem diuturnam in Hibernia apud s. Germanum Autisiodorensem episcopum vixisse et tandem c. a. 432 Hiberniae conversionem suscepisse. Obiit c. a. 460. Praeter *Confessionem* (crit. ed. N. I. D. White, *Libri s. Patricii* in « Proceedings of the R. Irish Academy » sect. C., 25, 1905, p. 235-253;

---

(1) Chronicorum illius aevi communis prototypus est *Eusebii Chronica* a *s. Hieronymo* in latinum sermonem conversa et usque ad sua tempora continuata (ed. R. Helm in CB. Eusebius, VII, 1) cuius iterum continuatio usque ad a. 455 est *Prosperi chronica* supra laudata. Inter diversas saecc. V/VI chronicas eminent tanquam fontes historiae ecclesiasticae: *Hydatii epi. Lemicensis chronica* (— 467), pro historia Gothorum et Svevorum praesertim in Hispania consulenda (MGH AA 11, 1-36 ML 51); *Marcellini comitis chronica* (— 534), de rebus praesertim in Oriente gestis (MGH ib., 60-108; ML 51); *Victoris Tunnunensis* epi. Africani *chronica* (— 567 (MGH ib., 184-206; ML 68); *Iohannis abb. Biclarensis* in Hispania (— 590) *chronica* (MGH ib., 211-220; conf. infr. n. 115); *Marii epi. Aventicensis* (— 581) *chronica* (MGH ib., 272-339).

etiam in ML 53, 801-818) scripsit *Epistolam ad Christianos Corotici tyranni subditos* (WHITE, ib. 254-259; ML 53, 813-818) qua in Coroticum regem Britonum regionis Strathclyde, cuius milites Hibernos Christianos a Patricio baptizatos aut occiderant aut captivos deduxerant, invehitur et « canticum Scotticum » *Faeth Fiada,* (Thesaurus palaeohibernicus edd. STOCKES et STRACHAN, 2, Cambridge, 1903, p. 354) hymnum quo ss. Trinitatis, Christi, Angelorum et Sanctorum auxilium implorat.

8. [*Confessio s. Patricii*] : (1) Ego Patricius peccator, rusticissimus et minimus omnium fidelium et contemptibilis sum apud plurimos. Patrem habui Calpornum diaconum filium quendam Potiti presbyteri qui fuit uico Bannauem Taberniae (1). Uillulam enim prope habuit, ubi ego capturam dedi. Annorum eram tunc fere XVI. Deum uerum ignorabam et Hiberione in captiuitate adductus sum, cum tot milia hominum, secundum merita nostra... (2). Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meae ut uel sero rememorarem dilicta mea et ut conuerterem toto corde ad Dominum Deum meum... (16) Sed postquam Hiberione deueneram, cotidie itaque pecora pascebam, et frequens in die orabam; magis ac magis accedebat amor Dei et timor ipsius, et fides augebatur et spiritus agebatur, ut in die una usque ad centum orationes et in nocte prope similiter, ut etiam in siluis et monte manebam. Ante lucem excitabar ad orationem per niuem per gelu per pluuiam, et nihil mali sentiebam, neque ulla pigritia erat in me, sicut modo uideo, quia tunc Spiritus in me feruebat... (35) Longum est autem totum per singula enarrare, laborem meum uel per partes. Breuiter dicam qualiter piissimus Deus de seruitute sepe [me] liberauit et de periculis XII qua periclitata est anima mea, praeter insidias multas, et quae uerbis expremere non ualeo; nec iniuriam legentibus faciam; sed Deum auctorem habeo qui nouit omnia etiam antequam fiant, ut me pauperculum pupillum idiotam tamen responsum diuinum creberrime admonuit... (41). Unde autem Hiberione qui numquam notitiam Dei habuerunt, nissi idula et inmunda usque nunc semper coluerunt, quomodo nuper facta est plebs Domini et filii Dei nuncupantur? Filii Scottorum et filiae regulorum monachi et virgines Christi esse uidentur... (50) Forte autem quando baptizaui tot milia hominum sperauerim ab aliquo illorum uel dimidio scriptulae? Dicite mihi et reddam uobis. Aut quando ordinauit ubi-

(1) Killpatrick prope Dumbarton (cf. ed. cit. p. 282).

que Dominus clericos per modicitatem meam et ministerium gratis distribui illis, si poposci ab aliquo illorum uel pretium uel calciamenti mei, dicite aduersus me, et reddam uobis magis. ... (61) Ecce iterum iterumque breuiter exponam uerba confessionis meae. Testificor in ueritate et in exultatione cordis coram Deo et sanctis angelis eius, quia numquam habui aliquam occasionem praeter euangelium et promissa illius ut unquam redirem ad gentem illam unde prius uix euaseram. (72) Sed precor credentibus et timentibus Deum, quicumque dignatus fuerit inspicere uel recipere hanc scripturam quam Patricius peccator indoctus scilicet Hiberione conscripsit, ut nemo unquam dicat quod mea ignorantia, si aliquid pussillum egi uel demonstrauerim secundum Dei placitum, sed arbitramini et uerissime credatur, quod donum Dei fuisset. Et haec est confessio mea, antequam moriar.

(WHITE, 235-253).

## V. S. MAXIMUS TAURINENSIS

episcopus inter oratores sacros saec. V eminet. Eius sermones et homilias collegit et edidit Romae a. 1784 B. BRUNI (ML 57). Iste inter alios codices adhibuit Veronensem LI (49) saec. VI, putans sermones et tractatus ibi descriptos s. Maximi esse, quos tamen nuperrime B. Capelle O. S. B. — mirum dictu — Maximini Ariani episcopi esse probavit (RB XXXIV, 1922 81-108; XL, 1928, 49-86). Inter sermones, qui eliminatis spuriis supersunt, notandi praecipue: homiliae 86-93 (ML 57, 450-470) occasione incursionis barbarorum (Attilae forte, a. 452?) habiti; sermones 81 et 82 (ib. 695-698) de martyrio ss. Alexandri, Martyrii et Sisinii in regione Anauniae (cfr. BHL 7794-7798), necnon sermones contra superstitiones paganas in regione Taurinensi superstites (homil. 100, 103, serm. 101, 102; ib. 483 ss., 731 ss.). De s. Maximi vita nihil fere certi constat, nisi eum interfuisse synodis Mediolanensi a. 451 et Romanae a. 465.

9. *Serm.* CI. *De idolis auferendis de propriis possessionibus.* Ante dies commonueram caritatem vestram, fratres, ut tanquam religiosi et sancti idolorum omnem pollutionem de vestris possessionibus auferretis, et erueretis ex agris universum gentilium errorem. Fas enim non est, ut qui Christum habetis in cordibus, Antichristum in habitaculis habeatis: cum vos Deum adoretis in Ecclesia, vestri diabolum venerentur in fanis. Nec se aliquis excusatum putet dicens: Non iussi fieri, non mandavi. Quisquis enim intelligit exerceri in re sua sacrilegia, nec fieri prohibet, quodammodo ipse praecipit; ta-

cendo enim et non arguendo consensum praebuit immolanti. Dicit enim beatus Apostolus criminosos esse, non solum qui faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus. Tu igitur, frater, cum tuum sacrificare rusticum cernis, nec prohibes immolare, peccas; si non data copia, attamen permissa licentia; si non iussio tua in crimine attamen voluntas in culpa est. Dum enim taces, placet tibi quod fecit rusticus tuus, quod si non faceret, forsitan displiceret. Non enim sibi tantum peccat subditus, cum sacrificat, sed et domnedio, qui non prohibet; qui si prohiberet, utique non peccaret. Grande igitur malum est idololatria; polluit exercentes, polluit habitantes, polluit intuentes; penetrat ad ministros, penetrat ad conscios, penetrat ad tacentes. Immolante enim rustico, inquinatur domnedius. Non potest non esse pollutus ubi cibum capit, quem sacrilegus cultor exercuit, terra cruenta edidit, tetrum horreum conservavit; omnia enim ibi inquinata, omnia sunt nefanda, ubi diabolus habitat in aedibus, in agris, in rusticis. Nihil ibi liberum est a scelere, ubi totum versatur in scelere. Cum cellam ingressus fueris, reperies in ea pallentes cespites mortuosque carbones, dignum sacrificium daemonis, cum mortuo numini rebus mortuis supplicatur. Et si ad agrum processeris, cernis aras ligneas et simulacra lapidea, congruens ministerium, ubi diis insensibilibus aris putrescentibus ministratur. Cum maturius vigilaveris, et videris saucium vino rusticum, scire debes, quoniam, sicut dicunt, aut dianaticus, aut aruspex est; insanum enim numen amentem solet habere pontificem; talis enim sacerdos parat se vino ad plagas deae suae, ut, dum est ebrius, poenam suam ipse non sentiat. Hoc autem non solum de temperantia, sed et de arte faciunt, ut minus vulnera sua doleant, dum vini ebrietate iactantur. Vanus plane vates est, qui putat crudelitate astruere pietatem. Quam misericors in alienos deus ille qui in suos est pontifices tam cruentus. Nam ut paulisper describamus habitum vatis huiusce : est ei adulterinis criniculis hirsutum caput, nuda habens pectora, pallio crura semicincta; et more gladiatorum paratus ad pugnam ferrum gestat in manibus, nisi quod gladiatore peior est, quia ille adversus alterum dimicare cogitur, iste contra se pugnare compellitur, ille aliena petit viscera, iste propria membra dilaniat; et si dici potest, ad crudelitatem illum lanista, istum numen hortatur. Hoc igitur indutus habitu, hac cruentus caede, iudicate, utrum gladiator sit an sacerdos. Ergo sicut gladiatorum publicum facinus reli-

giosa principum devotione sublatum est (1), ita et amentes gladiatores isti Christianitatis observatione de propriis domiciliis auferantur. (ML 57, 733-734).

## VI. C. S. M. SIDONIUS APOLLINARIS.

Lugduni ex nobilissima stirpe Gallo-Romana avo et patre praefectis praetorio Galliarum circa a. 430 natus est. A. 456 Avito imperatori, patri uxoris suae, panegyricum dixit, quo statuam in Foro Traiani sibi meruit, item a. 468 per panegyricum Anthemio imp. dictum praefecturam Urbis obtinuit. A. 469/70 episcopus urbis Arvernorum (Clermont-Ferrand) electus, strenue urbem et regionem contra Gothos, sibi iam ante ut barbaros (vid. infra Carm. 12), nunc ut Arianos invisos, defendit, sed frustra. A. 475 urbe ab Eurico rege expugnata, Sidonius in castrum Livianum captivus deducitur. Obiit a. 479 paulo post reditum in sedem suam. Laicus *Carmina 24* scripsit (MGH AA 8, 173-264; ML 58, 639-748) in quibus multum Romanitatis et mythologiae, parum christianitatis invenies. Episcopus *novem libros Epistularum* edidit, pro historia temporis fontem non parvi pendendum (MGH AA 8, 1-172; ML 58, 443-640).

**10.** *Carm.* 12. Quid me, etsi valeam, parare carmen
Fescenninicolae iubes Diones
Inter crinigeras situm catervas
Et Germanica verba sustinentem,
Laudantem tetrico subinde vultu
Quod Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comam butyro?
Vis dicam tibi quid poema frangat?
Ex hoc barbaricis abacta plectris
Spernit senipedem stilum Thalia
Ex quo septipedes videt patronos.
Felices oculos tuos et aures
Felicemque libet vocare nasum,
Cui non allia sordidaeque caepae
Ructant mane novo decem apparatus...
(MGH AA 8, 230 s.).

**11.** *Epist.* VI, 11. Sidonius domino papae (2) Eleutherio salutem. Iudaeum praesens charta commendat,

(1) Per legem Honorii, cuius tamen textus non est servatus, inter aa. 403 et 423.

(2) Nomen ex graeco « πάππας» derivatum a saec. iam III⁰ episcopis tribui solet, et quidem usque ad saec. VI incl. indiscriminatim omnibus,

non quod mihi placeat error, per quem pereunt involuti, sed quia neminem ipsorum nos decet ex asse damnabilem pronuntiare dum vivit; in spe enim adhuc absolutionis est cui suppetit posse converti; quae sit vero negotii sui series, ipse rectius praesentanea coram narratione patefaciet. Nam prudentiae satis obviat epistulari formulae debitam concinnitatem plurifario sermone porrigere. Sane quia secundum vel negotia, vel iudicia terrena, solent huiuscemodi homines honestas habere causas; tu quoque potes huius laboriosi, etsi impugnas perfidiam, propugnare personam. Memor nostri esse dignare, domine papa. (MGH AA 8, 100 s.).

**12.** *Epist.* VII, I. Sidonius domino papae Mamerto [1] salutem. Rumor est Gothos in Romanum solum castra movisse : huic semper irruptioni nos miseri Arverni ianua sumus. Namque odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta subministramus, quia, quod necdum terminos suos ab Oceano in Rhodanum Ligeris alveo limitaverunt, solam sub ope Christi moram de nostra tantum obice patiuntur... Sed animositati nostrae tam temerariae, tamque periculosae non nos aut ambustam murorum faciem aut putrem sudium cratem aut propugnacula vigilum trita pectoribus confidimus opitulatura; solo iam invectarum te auctore rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis instituendisque populus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certe non impari coepit initiari, et ob hoc circumfusis necdum dat terga terroribus. Non enim latet nostram sciscitationem, [quod] primis temporibus harumce supplicationum institutarum civitas caelitus tibi credita per cuiusque modi prodigiorum terriculamenta vacuabatur... Et vere iam de Deo tu minime poteras absque peccato post virtutum experimenta diffidere. Nam cum vice quadam civitas conflagrare coepisset, fides tua in illo ardore plus caluit : et cum in conspectu pavidae plebis obiectu solo corporis tui ignis recussus in tergum fugitivis flexibus sinuaretur, miraculo terribili novo invisitato, affuit flammae cedere per reverentiam, cui sentire defuit per naturam. Igitur primum nostri ordinis viris et his paucis indicis ieiunia interdicis flagitia, supplicia praedicis remedia promittis; exponis omnibus nec poenam

---

exinde soli Romano Pontifici. (Cf. P. DE LABRIOLLE, *Une ésquisse de l'histoire du mot « Papa »*, in « Revue d'histoire et de littérature religieuse », I, 1911, p. 213 ss.).

[1] Viennensis episcopus (463-475).

longinquam esse nec veniam; doces denuntiatae solitudinis minas orationum frequentia esse amoliendas; mones assiduitatem furentis incendii aqua potius oculorum quam fluminum posse restingui; mones minacem terrae motuum conflictationem fidei stabilitate firmandam. Cuius confestim sequax humilis turba consilii maioribus quoque suis fuit incitamento, quos cum non piguisset fugere, redire non puduit. Qua devotione placatus inspector pectorum Deus fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, ceteris imitationi, utrisque praesidio. Denique illic deinceps non fuere vel damna calamitati vel ostenta formidini. Quae omnia sciens populus iste Viennensibus tuis et accidisse prius et non accessisse posterius vestigia tam sacrosanctae informationis amplectitur, sedulo petens, ut conscientiae tuae beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmisit... (MGH AA 8, 103 s.).

**13.** *Epist.* VII, 6. Sidonius domino papae Basilio salutem... Evarix, rex Gothorum, quod limitem regni sui rupto dissolutoque foedere antiquo vel tutatur armorum iure vel promovet, nec nobis peccatoribus hic accusare, nec vobis sanctis hic discutere permissum est... Sed, quod fatendum est, praefatum regem Gothorum, quamquam sit ob vicium merita terribilis, non tam Romanis moenibus quam legibus Christianis insidiaturum pavesco. Tantum, ut ferunt, ori, tantum pectori suo catholici mentio nominis acet, ut ambigas, ampliusne suae gentis, an suae sectae teneat principatum. Ad hoc armis potens acer animis alacer annis hunc solum patitur errorem, quod putat sibi tractatuum consiliorumque successum tribui pro religione legitima, quem potius assequitur pro felicitate terrena. Propter quod discite cito catholici status valetudinem occultam, ut apertam festinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Helusani, Vasates, Convenae, Auscenses, multoque iam maior numerus civitatum summis sacerdotibus ipsorum morte truncatus nec ullis deinceps episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritalis ruinae limitem traxit. Quam fere constat sic per singulos dies morientum patrum proficere defectu, ut non solum quoslibet haereticos praesentum verum etiam haeresiarchas priorum temporum potuerit inflectere: ita populos excessu pontificum orbatos tristis intercisae fidei desperatio premit. Nulla in desolatis cura dioecesibus parochiisque. Videas in ecclesiis aut putres culminum lapsus aut

valvarum cardinibus avulsis basilicarum aditus hispidorum veprium fruticibus obstructos. Ipsa, pro dolor, videas armenta non modo semipatentibus iacere vestibulis sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed iam nec per rusticas solum solitudo parochias: ipsa insuper urbanarum ecclesiarum conventicula rarescunt. Quid enim fidelibus solacii superest, quando clericalis non modo disciplina, verum etiam memoria periit? Equidem cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis haeredem, in illa ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos. Atque ita quid spei restare pronunties, ubi facit terminus hominis finem religionis? Altius inspicite spiritalium damna membrorum; profecto intellegetis quanti subrepti sunt episcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam. Taceo vestros Crocum Simpliciumque collegas, quos cathedris sibi traditis eliminatos, similis exilii cruciat poena dissimilis. Namque unus ipsorum dolet se non videre, quo redeat; alter se dolet videre quo non redit. Tu sacratissimorum pontificum, Leontii Fausti Graeci urbe ordine caritate medius inveniris; per vos mala foederum currunt, per vos regni utriusque pacta condicionesque portantur. Agite, quatenus haec sit amicitiae concordia principalis, ut episcopali ordinatione permissa, p o p u l o s G a l l i a r u m quos limes Gothicae sortis incluserit, t e n e a m u s e x f i d e, e t s i n o n t e n e m u s e x f o e d e r e. Memor nostri esse dignare, domine papa. (MGH AA 8, 109 s.).

## VII. VICTOR VITENSIS.

urbis in Byzacena provincia sitae episcopus, insigne monumentum heroicarum passionum Ecclesiae catholicae in persecutione Wandalica (aa. 425-484) edidit, *Historiae* scil. *persecutionis Africanae provinciae* libros tres (CSEL 7, 1-107; MGH AA 3; ML 58, 180-260). Auctor, cuius vitae historia ignoratur, gestorum quae ll. 2 et 3 narrat, testis, ut plurimum, immediatus, inseruit operi nonnulla documenta, inter quae eminent *Edictum persecutionis regis Hunerici* a. 484 (CSEL 7, 72-78), et Eugenii episcopi Carthaginensis *Liber Fidei Catholicae* (ib. 46-71), egregiam continens expositionem Catholicae fidei contra Arianos (1). Addimus documentum, quod etsi non in Victoris Historia traditum est,

(1) De s. Eugenio vid. AA SS, Iul. III 487-95; existit praeterea eius *Epistola ad cives suos pro custodienda catholica fide,* quam Gregorius Turonensis inseruit suae *Historiae Francorum* (conf. infr. n. XXV).

intime tamen cum ipsa cohaeret, et melius fere quam ipsa catholicae Ecclesiae tribulationem illustrat, *Catalogum* scil. *episcoporum catholicorum provinciae Africae*, in quo ad singulorum episcoporum nomina additae sunt notae de eorum passione, perseverantia vel defectione (ib. 117-134).

**14.** *Hist. persec.* II, 26-37. Quibus autem prosequar fluminibus lacrymarum, quando episcopos, presbyteros, diacones et alia ecclesiae membra, id est quattuor milia DCCCCLXVI, ad exilium heremi destinauit, in quibus erant podagri quam plurimi, alii per aetatum annos a lumine temporali priuati.

In quorum erat numero beatus Felix Abbiritanus episcopus, habens iam in episcopatu XLIIII annos, qui paralysi morbo percussus nec sentiebat quicquam nec penitus loquebatur. De quo nos maxime cogitantes, quod non posset iumento portari, suggessimus ut a suis rex peteretur, ut saltem eum propere moriturum Carthagini esse iussisset, quod ad exilium nulla posset ratione perduci. Qui ita fertur tyrannus cum furore dixisse : « si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti, qui eum conligatis funibus trahendo perducant ubi ego praecepi ». Quem ex trauerso super burdonem uinctum quasi quoddam ligni truncum toto itinere portabamus. Congregantur uniuersi in Siccensem et Larensem ciuitates, ut illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad heremum perduxissent...

Quid multa? Praecepti sunt undique perstrepentibus Mauris ad iter, ubi destinati fuerant, praeparari. Exeuntes itaque die dominica linita habentes stercoribus uestimenta, facies simul et capita, a Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes : « haec est gloria omnibus sanctis eius ». Aderat enim ibi tunc beatus pontifex Cyprianus Unizibirensis episcopus, consolator egregius, qui singulos pio et paterno fouebat affectu non sine fluminibus currentium lacrimarum, paratus pro fratribus animam ponere et se ultroneum, si dimitteretur, talibus passionibus dare, qui totum quod habuit egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit; quaerebat enim occasionem qualiter confessoribus sociaretur, ipse animo et uirtute confessor. Qui postea per multos agones et squalores carceris ad exilium quod desiderabat cum exultatione perrexit. Quantae tunc multitudines de diuersis regionibus et ciuitatibus ad uisendos Dei martyres occurrerint populorum, testantur uiae uel semitae; quae agmina uenientium nequaquam capientes, per uertices montium

et callium concurrens turba fidelium inaestimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosque infantulos uestigiis martyrum proicientes ista uoce clamabant: « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontis aqua perennis? qui nobis paenitentiae munus collaturi sunt et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum uinculis soluturi? quia uobis dictum est: « quaecumque solueritis super terram, erunt soluta et in caelis ». Qui nos sollemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? a quibus diuini sacrificii ritus exhibendus est consuetus? uobiscum et nos libebat pergere, si liceret, ut tali modo filios a patribus nulla necessitas separaret ». In his uocibus et lacrimis nullus iam pergere ammissus est consolator, sed artabatur multitudo ad currendum, ut ubi cannaba erant praeparata, laboriosam caperent mansionem. Qui, cum senes deficerent et alii forte, et si iuuenes delicati, coeperunt hastilium cuspidibus ad currendum et lapidibus tundi; unde magis deficientes amplius lassabantur.

Post uero imperatum est Mauris, ut eos, qui ambulare non poterant, ligatis pedibus ut cadauera animalis mortui traherent per dura et aspera lapidum loca, ubi primo uestimenta, postea membra singula carpebantur, quia per gladios acutos petrarum hic caput conterebatur, alibi latera findebantur, et ita inter manus trahentium spiritum exalabant. Quorum numerum colligere nequaquam ualuimus multitùdine coercente; exultat tamen per totum aggerem publicum uilis sepultura sanctorum loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca peruenium, in quibus collocati hordeum ad uescendum ut iumenta accipiunt... (CSEL 7, 33-38).

**15.** *Hist. persec.* III, 2. ... Nesciens quoque quid loqueretur neque de quibus adfirmabat, legem, quam dudum Christiani imperatores nostri, contra eos et contra alios hereticos pro honorificentia Ecclesiae catholicae dederant, aduersum nos illi proponere non erubuerunt, addentes multa de suis, sicut placuit tyrannicae potestati. Haec est enim series datae et propositae legis: « Rex Hunirix Uuandalorum et Alanorum uniuersis populis nostro regno subiectis. Triumphalis et maiestatis regiae probatur esse uirtutis, mala in auctores consilia retorquere... Adeo in his est necessarium ac iustissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstratur, quas inductis secum in errore imperatoribus temporum diuersorum tunc contigit promulgari. Quarum illud uidetur tenere conceptio, ut nulla exceptis superstitionis suae

antistitibus ecclesia patuisset, nullibi liceret aliis aut conuictus agere aut exercere conuentus, nec ecclesias aut in urbibus aut in quibusdam paruissimis locis penitus obtinere neque construere, sed praesumpta fisci uiribus iungerentur; sed etiam et eorum patrimonia ecclesiis suae fidei sociata suis antistitibus prouenissent; nec commorari ad quaecumque loca talibus licentia patuisset, sed extorres omnibus urbibus rederentur et locis; nec baptismatis haberent omnino aliquam facultatem aut forte de religione disputarent, et nullam haberent ordinandi licentiam siue episcopos siue presbyteros uel alios, quos ad clericos pertinere contingeret, proposita seueritate uindictae, ut tam hi qui se paterentur huiusmodi honores accipere, quam etiam ipsi ordinatores denis libris auri singuli multarentur, eo adiecto, ut nullus eis locus esset uel aditus supplicandi, sed etiam si qua specialia meruissent, minime praeualerent; et si in hac pernicie perdurarent, et de proprio ablati in exilium sub prosecutione idonea mitterentur. In populos quoque praefati imperatores similiter saeuientes, quod eis nec donandi nec testandi aut capiendi uel ab aliis derelictum penitus subiaceret, non fideicommissi nomine, non legati, non donationibus aut relictione, quae mortis causa appellatur, uel quolibet codicillo aliisue forsitan scripturis, ita ut etiam, qui suis palatiis militarent, condemnationi grauissimae pro dignitatis merito facerent subiectos, ut omni honoris priuilegio expoliati infamiam incurrerent et publico crimini huiusmodi personae se cognoscerent esse subiectos. Officialibus etiam iudicum diuersorum XXX argenti pondo poena proposita; quam si quinque uicibus in errore perdurantes contigisset inferre, tum demum tales conuicti atque subiugati uerberibus in exilium mitterentur. Deinde codices uniuersos sacerdotum, quos persequebantur, praeceperant ignibus tradi; quod de libris huiusmodi, quibus sibi nominis illius errorem persuasit iniquitas, praecipimus faciendum. Hoc enim, ut dictum est, pro singulis quibusque personis illi obseruandum praeceperant, ut inlustres singillatim auri pondo L darent, spectabiles auri pondo XL, senatores auri pondo XXX, principales auri pondo XX, sacerdotales auri pondo XXX, decuriones auri pondo V, negotiatores auri pondo V, plebei auri pondo V, circumcelliones argenti pondo X; et si qui forte in hac pernicie permanerent, confiscatis omnibus rebus suis exilio multarentur. Ordines autem ciuitatum, sed et procuratores et conductores possessionum tali poena uidebantur affligere, ut si forte tales celare diligerent et minime pubblicassent et retentos iudicio non facerent prae-

sentari, ipsi tenerentur ad poenam; conductoribus etiam regalium praediorum hac multa proposita, ut quantum domui regiae inferrent, tantum etiam fisco poenae nomine cogerentur exsoluere, ut generaliter in omnibus conductoribus uel possessoribus, qui in eadem superstitione crediderint perdurandum, constituimus obseruari; iudicibus etiam, qui huic rei instantissime non imminebant, poena proscriptionis et sanguinis supplicium poneretur; sed et de primatibus officiorum tres numero punirentur, aliis uiginti librarum auri condemnatione multandis.

Quare his necesse est constitutionibus obligari omousianos omnes, quos huiusmodi malae persuasionis constat tenuisse et tenere materiam; quos ab omnibus supradictis abstinere decernimus, in persecutione uenturis per ordines cuntarum urbium: sed etiam iudices, qui super his neglecte dira supplicia diuersis intulisse monstrantur. Omnes supradictae fidei omousion erroribus inplicatos, quae cuncto praedamnata est concilio tantorum numero sacerdotum, uniuersis rebus praedictis et contractibus praecipimus abstineri, quod nihil sibi nouerint esse permissum, sed uniuersos similis poena maneat et astringat, si ad ueram religionem, quam ueneramur et colimus, intra diem Kalendarum Iuniarum anni octaui regni nostri conuersi non fuerint. Diem autem praestitutum adeo pietas nostra constituit, ut praedamnantibus errorem indulgentia non negetur, et obstinatos animos supplicia digna coherceant. Qui autem in eodem errore permanserint, seu domus nostrae occupati militia, seu forsitan diuersis titulis necessitatibusque praepositi, pro gradibus suis decursas superius multarum inlationes cogantur excipere, nihil ualituris quae forsitan per subreptionem quemquam talium contigit promereri. In priuatos etiam uel cuiuscumque gradus et loci personas hoc nostra promulgatio praecipit obseruandum, quod circa tales supradictis legibus uidebatur expressum, ut poenae congruae subderentur. Iudices autem prouinciarum, quod statutum est neglegentes exsequi, superiori poena, quae talibus praescripta, constituimus obligandos. Ueris autem maiestatis diuinae cultoribus, id est sacerdotibus nostris, ecclesias uniuersas uel totius cleri nominis supradicti quibuscumque terris et regionibus constitutas, quae propitia diuinitate imperii nostri regimine possidentur, una cum rebus quae ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus debere proficere, non dubitantes quod plus alimoniae inopum proficere, quod sacrosanctis pontificibus iuste conlatum est. Hanc ergo legem fonte iustitiae profluentem cunctis praecipimus innotescere,

quatenus nullus sibi ignotum esse, quod praeceptum est, possit obtendere. *Optamus uos bene ualere.* Data sub die VI K. Mart. Carthagine ». (CSEL 7, 72-78).

**16.** *Catalogus episcoporum.* « Incipiunt nomina episcoporum catholicorum diuersarum prouinciarum, qui Carthagine ex praecepto regali uenerunt pro reddenda ratione fidei die KL Februarias anno sexto regis Hunerici.

Nomina episcoporum prouinciae proconsularis uel qui in exilium missi sunt :

Eugenius Carthaginiensis, Tamalleni.
Felix Aboritanus, exilium.
Paulus Sinnarensis, exilium.
Felix Piensis, Corsica exil.
Marianus Hippzaritensis ut sp. (1).
Pascasius Gunelensis ut sp.
Sacconius Uzalensis ut sp.
Bonifatius Membresitanus, fug.
Gulosus Beneuentensis, Corsic.
Reparatus Utimmirensis ut sp.
Pastinatus Puppitanus ut sp.
Reparatus Puppianensis.
Fortunatianus Araditanus, Corsic.
Deumhabet Thelensis, Corsica.
Liberatus Mullitanus, ut sp.
Mannucius Duas-Senemsalensis.
Hirundinus Missuensis, Corsic.
Iona Lapdensis ut sp.
Peregrinus Assuritanus, in exil. hic.
Quintinianus Uricitanus.
Cresconius Tonnonensis, prbt. (2).
Florentinus Uticensis, Corsic.
Pascasius Migirpensis, ut sp.
Carissimus Gisipensis, in exil.
Gaius Uzitensis, prbt.
Exitiosus Uerensis, Corsic.
Crescens Cicisitanus, in exil.
Bonifatius Uolitanus, Corsic.
Felix Carpitanus, ut sup.

(1) Leg. « ut supra ».

(2) Haec nota (= presbyter) corrupta, legenda videtur « periit ». Conf. infr. p. 20 numerum episcoporum qui « perierunt », i. e. a fide defecerunt.

Carcadius Maxulitanus, ut sp.
Cyprianus Bonustensis.
Dalmatius Tinisensis, Corsic.
Aemilianus Culusitanus, Corsic.
Felix Bullensis, prbt.
Clementinus Neapolitanus, Corsic.
Felix Curubitanus, ut sp.
Deuterius Simminensis, ut sp.
Aurelius Clipiensis, ut sp.
Coronius Meglapolitanus, ut sp.
Benenatus Timidensis, ut sp.
Uincentius Ziggensis, in exil.
Florentius Seminensis, Corsica.
Honoratus Tagaratensis, prbt.
Uindemius Altuburitanus, exil.
Cyprianus Cellensis, in exil.
Augentius Uzipparitanus, in exil.
Cassosus Ausanensis, hic.
Maximinus Naraggaritanus, hic.
Felix Muzuensis.
Iohannes Bullensium Regiorum.
Cresciturus Titulitanus.
Benenatus Tuburbitensis.
Uictor Teudalensis.
Pascasius Tulanensis.
Sunt numero LIIII.... (1).

... Ac sic fiunt omnes episcopi diuersarum prouinciarum numero CCCCLXVI.
Ex quibus perierunt n. LXXXVIII id est
de proconsular. numr. III.
de prouinc. Numidiae numr. XXXIII.
de prouinc. Maurit. Caesar. numr. XXXII.
permanserunt numr. CCCLXXVIII.
Corsica relegati numr. XLVI.
Hic relegati numr. CCCII.
Fugerunt numr. XXVIII.
Passus numr. I.
Confessor numr. I. (CSEL. 7, p. 117-134).

(1) Sequuntur nomina episcoporum provinciarum Numidiae 125, Byzacenae 107, Mauritaniae Caesariensis 120, Maur. Sitifensis 44, Tripolitanae 5, Sardiniae 8. Et in fine resumitur numerus universorum ut supra in textu.

## VIII. GELASIUS PAPA. (492-496)

primus est inter Romanos Pontifices, cuius supersunt epistulae ad Barbaros in Romano Imperio consistentes datae. Servatae sunt epistulae eius 112, inter quas eminent tum eae quas in quaestione schismatis Acacii in Orientem misit, tum eae, quas de diversis Ecclesiae negotiis ad episcopos Italiae, regem Theodoricum aliosque scripsit quasque ex eius Registro excerptas « *Collectio Britannica* » (Cod. Musaei Britannici, Additional Mss. 8873 s. XII) servavit (1). Epistulas schisma Acacii respicientes optime edidit O. GÜNTER in CSEL 35, 1; caeteras ex parte habes apud A. THIEL, *Epistulae Romanorum Pontificum* I, p. 285-607, apud S. LÖWENFELD, *Epistolae Romanorum Pontificum ineditae* et in MGH AA 12, 389-392) (2).

**17.** Gelasius Theoderico regi. Apud magnanimitatis tue excursus constare manifestum est, pro quibuslibet intervenire pontificem ministerii sui qualitate constringi. Christianae mentis vestre pietate confisus, virum spectabilem Constantium credidi vobis meis litteris intimandum, utpote qui pro quolibet homine supplicare sacerdotalis officii ratione convenior. (NA V, p. 511) (3).

**18.** Gelasius Hereleuvae reginae (4). Qui pro victu pauperum domno filio excellentissimo regi cum meis litteris supplicaret, Petrum ecclesiae defensorem dirigere properavi. Quo veniente sublimitatem quoque tuam salutare non destiti, plurimum deprecans, ut pro vestrae salutis et prosperitatis augmentis egentium causas iuvare dignemini. Dat. V Kal. Martii. (Epp. Rom. Pontif. ed. Thiel. I, p. 502).

**19.** Gelasius Ereleuvae (reginae). Felicem et Petrum, Nolanae ecclesiae clericos, surripere potuisse sensibus vestre sublimitatis admiror, ut contra divinas humanasque leges ecclesiastica privilegia respuentes, suppresso nomine clericali, ad iudicia publica convolarent, quando imperialibus constitutis inter huiusmodi personas, quicquid sedes apostolica cen-

---

(1) Codicem, adhuc ineditum descripsit P. EWALD in NA V, 1880, p. 277 ss. et 503 ss.

(2) Conf. ZKTh. XLIII, 1919, p. 479 ss.

(3) Conf. ib. ep. 16 de sacerdotalis intercessionis officio.

(4) Theoderici regis matri.

suisset, decretum fuerit oportere servare, non solum domno filio meo magnifico regi illudentes, veluti laici contra proprium precepta regia deposcerent sacerdotem, sed etiam adhibitis barbaris, sub nomine domus vestrae in eiusdem presulis sui perniciem necemque sevierint... Quia ergo pervidet vestra sublimitas, etiam in apostolice sedis contumeliam eos fuisse progressos, officio meae salutacionis accepto precamur, ut privilegia beati apostoli Petri, quae divinis humanisque legibus concessit antiquitas, nulla patiamini subreptione convelli (1). (NA V, p. 521 s.).

**20.** Gelasius Theodorico regi. Certum est, magnificentiam vestram leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse praecepit (2), multo magis circa reverentiam beati Petri apostoli pro suae felicitatis augmento velle servari. (Thiel, p. 489 s.).

**21.** Gelasius Zeiae comiti. Nobilitatem tuam magis ac magis commonemus, ut se ab ecclesiasticis causis et rebus abstinere dignetur, et permittas omni exagitacione cessante religionis regulam custodiri. Precipue cum te alterius communionis esse non dubium sit, nec personam tuam debeas rebus ad te non pertinentibus qualibet intentione miscere, ne nos compellas, ut supradiximus, ad domnum filium meum regem hec omnia missa relatione referre. Quia cum ipse pro sua sapientia causis ecclesiasticis in nullo velit esse contrarius, iustum est, ut quicumque sub illius regno vivit, quod facit rex magnificus imitetur, ne videatur supra illius tendere voluntatem. (NA V, p. 514).

## IX. ANASTASIUS II. PAPA.

Inter eius epistulas (*Epistolae Rom. Pontificum* ed. A. THIEL, I, 614-639) eminet illa quam Clodoveo Francorum regi ad catholicam fidem converso, gratulationis officium persolvens, scripsisse fertur. I. HAVET (*Bibliothèque*

(1) De huius causae exitu scribit Gelasius Quinigesio et Constantino episcopis: « ... secundum beatitudinem temporum suorum vir praecellentissimus filius meus Theodoricus rex ad nostrum contumaces clericos remisit examen » (Thiel, p. 490).

(2) Videtur Gelasius alludere ad *Edictum Theoderici*, compilationem ex codicibus Romanis (Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano) quam Theodericus Gothis et Romanis communem normam iuris tum privati tum publici praescripsit (ed. MGH LL 5, 145 ss.).

*de l'Ecole des Chartes* 46, 1885, p. 258 s.) eam a Hieronymo Vignier, Oratoriano († 1661), fictam esse contendit, B. HASENSTAB (*Studien zu Ennodius*, München 1890, p. 52) non incongruis rationibus authenticam defendit.

**22.** Cludoeco Anastasius episcopus. Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in pontificatu contigisse (1) gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non laetari, quum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, et per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum iussus est mittere idem piscator hominum et coelestis Ierusalem beatus claviger. Quod serenitati tuae insinuare voluimus per Eumerium presbyterum, ut quum audiveris laetitiam patris, crescas in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, et sis corona nostra, gaudeatque mater ecclesia de tanti regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Laetifica ergo, gloriose et illustris fili, matrem tuam et esto illi in columnam ferream. Nam refrigescit caritas multorum et malorum hominum versutia navicula nostra feris fluctibus agitatur, et despumantibus undis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem et Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum et in tanto principe providit Ecclesiae qui possit eam tueri, et contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte et gloriose fili, ut Deus omnipotens serenitatem tuam et regnum protectione coelesti prosequatur, et angelis suis mandet, ut custodiant te in omnibus viis tus, et det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam. (Thiel, p. 624).

## X. EUGIPPIUS.

abbas Lucullanensis oppidi apud Neapolim Campaniae, libellum de *Vita s Severini* composuit (CSEL 9, 2; MGH AA I, 2; ML 62). Ex sola hac Severini vita nota sunt, quae de Ecclesiae in urbibus Romanis Norici Ri-

(1) «Exordium pontificatus» Anastasii fuit d. 24 nov. a. 496 († nov. 498). Cum Clodoveus baptizatus sit die 25 decembris, ut ex Aviti epistula (infr. n. 28) probatur, haec Anastasii epistula quam maxime confert ad determinandum annum baptismi, qui de caetero conprobatur etiam ex Gregorii Turon. Hist. Francor. II, 30, 31 (infra, n. 63). Gregorius primus est, qui s. Remigium Remensem episcopum Clodoveum baptizasse asserit, quin tamen ex Gregorii textu clare appareat, utrum Remis vel alibi baptizatus sit.

pensis conditionibus ad nos pervenerunt. Inter catholicos Romanos regionis istius vixit annis c. 460-482 Severinus monachus, adiutor et consolator miserorum Romanorum in gravissimis vexationibus quas a Rugis et Alamannis patiebantur. Eugippius, eius socius et discipulus corpus sancti magistri secum a. 488 in Italiam et anno tandem 494 in Castellum Lucullanum detulit, ibique a. 511 vitam scripsit. Eiusdem feruntur etiam magna *Excerpta ex operibus s. Augustini* (CSEL 9, 1).

**23.** *Uita Seuerini*, cap. 19.

Batauis [1] appellatur oppidum inter utraque flumina, Henum uidelicet atque Danuuium, constitutum, ubi beatus Seuerinus cellulam paucis monachis solito more fundauerat, eo quod ipse illuc saepius rogatus a ciuibus adueniret, maxime propter Alamannorum incursus assiduos, quorum rex Gibuldus summa eum reuerentia diligebat. Qui etiam quodam tempore ad eum uidendum desideranter occurrit. Cui sanctus obuiam, ne aduentu suo eandem ciuitatem praegrauaret, egressus est, tantaque constantia regem est allocutus, ut tremere coram eo uehementius coeperit, secedensque suis exercitibus indicauit nunquam se nec in re bellica nec aliqua formidine tanto fuisse tremore concussum. Cumque Dei famulo daret optionem impetrandi [2] quae uellet, rogauit doctor piissimus, ut sibi potius praestaturus gentem suam a Romana uastatione cohiberet et captiuos, quos sui tenuerant, gratanter absolueret. Tunc rex constituit, ut ex suis aliquem dirigeret ad id opus maturius exsequendum, statimque missus Amantius diaconus e uestigio regem subsequitur eiusque praefloribus excubans multis diebus non potuit nuntiari. Cui re, pro qua directus fuerat, non peracta tristissimo reuertenti apparuit quidam, effigiem sancti praeferens Seuerini, qui eum minaci compellatione perterritum sequi se iussit. Cumque pauens et concitus sequeretur, peruenit ad ianuam regis statimque dux ille praeuius ex oculis mirantis euanuit. Uerum regis internuntius diaconum unde esset uel quid speraret interrogat. Ille rem breuiter insinuans oblatis regi receptisque remeauit epistolis. Dimissus igitur reuexit fere septuaginta captiuos, insuper promissionem regis gratam deferens, qua se spopondit, cum diligenter prouinciam peragrauerit, remissurum quantos in eadem reperturus fuisset numeros captiuorum. Pro qua re sanctus Lucillus presbyter post-

(1) Hodie Passau in Bavaria.

(2) *edit.* imperandi.

modum destinatus magnam miserorum copiam ex captiuitate reuocauit. (CSEL 9, 37/38).

**24.** *Uita Seuerini*, cap. 39. A discipulorum quoque suorum cellula spiritalis doctor non longius habitabat, in orationibus uel abstinentia iugiter perseuerans: cum quibus tamen matutinas orationes et propriam noctis principio psalmodiam sollemniter adimplebat, reliqua uero orationum tempora in paruo complebat oratorio, quo manebat. In quibus saepe caelestibus firmatus oraculis multa futura per Dei gratiam praedicebat, multorum etiam occulta cognoscens, ut opus erat, proferebat in medium et singulis remedia, prout poscebat modus aegritudinis, prouidebat. Stratus eius unum erat in oratorii pauimento cilicium; omni tempore ipso quo uestiebatur amictu, etiam dum quiesceret, utebatur. Numquam ante solis occasum nisi certa soluit festiuitate ieiunium. Quadragesimae uero temporibus una per hebdomadem refectione contentus aequali uultus hilaritate fulgebat. Aliena quasi propria errata deflens quibus poterat praesidiis temperabat. (CSEL 9, 2, 55/56).

## XI. SYMMACHUS PAPA.

Eius pontificatus initia grauissimis schismatis Laurentiani turbata dissidiis tandem Theoderici regis et episcoporum Italiae sollicitudine felicem obtinuerunt exitum. Praeter Symmachi *Vitas*, quarum una a Laurentianae factionis auctore (L. P. ed. Duchesne, I, pag. 43-46), altera a Symmachi assecla (ib. p. 260-268) conscripta est, pretiosissimum fontem historiae Symmachi habemus in *Gestis synodorum Romanarum* aa. 499-502 et *epistulis Theoderici* regis ad episcopos ipsorumque ad regem rescripto (MGH AA 12, 399-455; THIEL, p. 641 ss. (1). Accedit epistula Symmachi ad Anastasium Imperatorem (THIEL, p. 700). Reliquas Symmachi epistulas perpaucas habes partim in CSEL 35, 1, 487 ss.; partim in MGH EPP 3, pag. 33-42 (2). Symmachi et praesertim Laurentiani schismatis temporibus attribuitur integra series documentorum spuriorum («Spuria Symmachiana»), de quorum quidem falsitate nullum dubium, nimia tamen levitate Symmacho vel eius asseclis eorum fictio imputatur; (ed.

(1) Vide infra n. XIII, et n. 27.

(2) Notanda praesertim ib. p. 40 epistula ad Caesarium Arelatensem episcopum ex a. 513: «Caritati tuae tantummodo. per omnes Gallicanas regiones utendi pallei concessimus facultatem», antiquissimum exemplum concessionis pallii per Papam.

apud COUSTANT, Epistolae RR. PP. I, Paris 1721, Appendix p. 29-58; 87-95; 111-124; conf. MAASSEN, *Geschichte der Quellen des kanon. Rechts*, Gratz 1870, nn. 537-539 et 557-559).

**25.** *Subscriptiones Synodi Romanae a. 499* (1). Caelius Symachus episcopus sanctae ecclesiae catholicae urbis Romae his constitutis synodalibus a me probatis atque firmatis consentiens subscripsi.

Caelius Rusticus episcopus civitatis Menturnensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac profiteor me manere sententia.

Caelius Bonifatius episcopus ecclesiae Veliternensis subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia.

Caelius Misenus episcopus civitatis Cumanae subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Rufinus | episcopus | ecclesiae | Canusinae | subscripsi |
| Cresconius | » | » | Tudertinae (2) | » |
| Clarus | » | » | Allifanae | » |
| Basilius | » | » | Tolentinatis | » |
| Vitalis | » | » | Fundanae | » |
| Decius | » | » | Trium Tabernarum | « |
| Innocentius | » | » | Mevanatis (3) | » |
| Valentinus | » | » | Amiterninae (4) | » |
| Bassus | » | » | Ferentini Novi | » |
| Vitalis | » | » | Fanestris (5) | » |
| Vitalianus | » | » | Rosellanae (6) | » |
| Maximus | » | » | Bleranae (7) | » |
| Constantius | » | » | Capuanae | » |
| Benignus | » | » | Aquaevivensis | » |
| Fortunatus | » | » | Suessanae | » |

(1) Synodorum Romanarum, quae etsi binae quotannis celebrabantur, gesta anno 465 antiquiora non extant. Hilarii Papae concilium d. d. 19 Nov. a. 465 antiquissimus est, cuius gesta plus minus integra, additis etiam episcoporum praesentium nominibus, servata sunt, THIEL, p. 159-165; conf. ML 84, 785, n. 74) Synodi a. 499 gesta cum subscriptionibus episcoporum Italiae et presbyterorum titulorum Urbis pretiosissimum documentum hierarchiae Italicae constituunt. Conf. F. LANZONI, *Le origini delle diocesi antiche d'Italia*, « Studi e Testi », vol. 35, 2ª ediz. 1927.

(2) Todi; (3) Bevagna; (4) S. Vittorino; (5) Fano; (6) Grosseto; (7) Bieda.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Palladius | episcopus | ecclesiae | Sulmontinae | subscripsi |
| Vindemius | » | » | Antiatinae (1) | » |
| Constantinus | » | » | Utriculanae | » |
| Iohannes | » | » | Ariminensis | » |
| Germanus | » | » | Pisaurensis | » |
| Martyrius | » | » | Terracinensis | » |
| Candidus | » | » | Tiburtinae | » |
| Laurentius | » | » | Trebiatis | » |
| Vitalianus | » | » | Narniensis | » |
| Serenus | » | » | Numentis | » |
| Iustus | » | » | Acerontinae (2) | » |
| Adeodatus | » | » | Cerrensis (3) | » |
| Stephanus | » | » | Nursinae | » |
| Dulcitius | » | » | Sabinensium | » |
| Fortunatus | » | » | Anagninae | » |
| Pascasius | » | » | Vulturnensis | » |
| Fortunatus | » | » | Anagninae *pro* | |
| Sanctulo | episcopo | civitatis | Signinae, quia subscribere non potuit, pro eodem subscripsi | |
| Valerius | episcopus | ecclesiae | Calenae (4) | subscripsi |
| Felicissimus | » | » | Caudinae | » |
| Innocentius | » | » | Forosemproniens. (5) | » |
| Valentinus | » | » | Amiterninae *pro* | |
| Romano | » | » | Pitinatium | » |
| Colonicus | » | » | Foroclodiensis (6) | » |
| Epiphanius | » | » | Beneventanae | » |
| Iohannes | » | » | Spoletinae | » |
| Constantius | » | » | Venafranae | » |
| Maximianus | » | » | Perusinae | » |
| Sallustius | » | » | Amerinae | » |
| Lucianus | » | » | Tarquiniensis | » |
| Molensis | » | » | Centumcellensis (7) | » |
| Florentius | » | » | Plestanae (8) | » |
| Maximianus | » | » | Subaugestra (9) | » |
| Fortunatus | » | » | Fulginatium | » |
| Iohannes | » | » | Vibonensis (10) | » |
| Gaudentius | » | » | Tadinatis (11) | » |
| Mercurius | » | » | Sutrinae | » |

(1) Porto d'Anzio; (2) Acerenza; (3) Cerveteri; (4) Calvi; (5) Fossombrone; (6) S. Liberato; (7) Civitavecchia; (8) Pistia; (9) Centocelle; (10) Monteleone? (11) Gualdo Tadino.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Felix | episcopus | ecclesiae | Faliscae et Nepesinae | subscr. |
| Serenus | » | » | Nolanae | subscripsi |
| Aucupius | » | » | Puteolanae | » |
| Timotheus | » | » | Abellinatis | » |
| Rosarius | » | » | Surrentinae | » |
| Stephanus | » | » | Neapolitanae | » |
| Rosarius | » | pro fratre meo Urso episcopo | | » |
| Gaudentius | » | ecclesiae | Vulsinensis | » |

Item Gaudentius episcopus *pro*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Proiecticio | episcopo | ecclesiae | Foronovanae | » |
| Quintus | » | » | Teanensis | » |
| Gaudentius | » | » | Salernitanae | » |
| Bellator | » | » | Ostiensis | » |
| Marius | » | » | Tifernatium (1) | » |
| Lampadius | » | » | Urbissalviensis | » |
| Adeodatus | » | » | Formiensis | » |
| Ursus | » | » | Stabianae (2) | » |
| Saturninus | » | » | Herdonitanae (3) | » |

Caelius Laurentius archipresbyter tituli Praxidae his subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia.

Caelius Iannuarius presbyter tituli Vestinae (4) his consensi et subscripsi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Maritanus | presbyter | tituli | s. Caeciliae | subscripsi ut supra |
| Gordianus | » | » | Pammachi (5) | » |
| Petrus | » | » | Clementis | » |
| Urbicus | » | » | Clementis | » |
| Paulinus | » | » | Iuli (6) | » |
| Valens | » | » | s. Sabinae | » |
| Petrus | » | » | Chrysogoni | » |
| Soranus | » | » | Vestinae (4) | » |
| Asterius | » | » | Pudentis | » |
| Iustinus | » | » | Pudentis | » |
| Felix | » | » | Aequiti (7) | » |
| Redemptus | » | » | Chrysogoni | » |
| Proiecticius | » | » | Damasi (8) | » |
| Iovinus | » | » | Aemilianae (9) | » |
| Bonus | » | » | Crescentianae | » |

(1) S. Angelo in Vado; (2) Castellamare; (3) Ortona; (4) SS. Gervasi et Protasii; (5) SS. Iohannis et Pauli; (6) S. Mariae trans Tiberim; (7) SS. Silvestri et Martini; (8) S. Laurentii in Damaso; (9) SS. IV Coronatorum.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Paschasius | presbyter | tituli | Eusebi | subscripsi |
| Iohannes | » | » | Pammachi (1) | » |
| Sebastianus | » | » | Nicomedis | » |
| Martinus | » | » | Cyriaci | » |
| Epiphanius | » | « | Cyriaci | » |
| Andreas | » | » | s. Matthaei | » |
| Servusdei | » | » | s. Clementis | » |
| Opilio | » | » | Vestinae (2) | » |
| Petrus | » | » | Chrysogoni | » |
| Romanus | » | » | Tigridae (3) | » |
| Marcellinus | » | » | Iuli (4) | » |
| Dominicus | » | » | Crescentianae | » |
| Abundantius | » | » | Sabinae | » |
| Marcellus | » | » | Romani | » |
| Asellus | » | » | Vizantis (5) | » |
| Agatho | » | » | Vizantis (5) | » |
| Sebastianus | » | » | Aequiti (6) | » |
| Valentinus | » | » | Eusebi | » |
| Anastasius | » | » | Anastasiae | » |
| Gensius | » | » | Nicomedis | » |
| Dionisius | » | » | Aemilianae (7) | » |
| Epiphanius | » | » | Apostolorum | » |
| Acontius | » | » | Fasciolae (8) | » |
| Paulinus | » | » | Fasciolae (8) | » |
| Agapetus | » | » | Apostolorum | » |
| Adeodatus | » | » | Aequiti (6) | » |
| Benedictus | » | » | Gai (9) | » |
| Dominicus | » | » | Priscae | » |
| Redemptus | » | » | Tigridae (3) | » |
| Severus | » | » | Gai (9) | » |
| Stephanus | » | » | Marcelli | » |
| Crescentius | » | » | Apostolorum | » |
| Iulianus | » | » | Anastasiae | » |
| Septimus | » | » | Iuli (4) | » |
| Cyprianus | » | » | Marci | » |
| Epiphanius | » | » | Fasciolae (8) | » |
| Bonifacius | » | » | Caeciliae | » |
| Petrus | » | » | Praxidae | » |

(1) SS. Iohannis et Pauli; (2) SS. Gervasii et Protasii; (3) S. Sixti via Appia; (4) S. Mariae trans Tiberim; (5) SS. Iohannis et Pauli; (6) SS. Silvestri et Martini; (7) SS. Quattuor Coronatorum; (8) SS. Nerei et Achillei; (9) S. Susannae.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Timotheus | presbyter | tituli | Marcelli | subscripsi |
| Hilarus | » | » | Lucinae (1) | » |
| Victorinus | » | « | Sabinae | » |
| Laurentius | » | » s | Laurenti | » |
| Eutyches | » | » | Aemilianae (2) | » |
| Iulianus | » | » | Anastasiae | » |
| Marcus | » | » | Lucinae | » |
| Vincemalus | » | » | Crescentianae | » |
| Abundius | » | » | Marci | » |
| Venantius | » | » | Marcelli | » |
| Stephanus | » | » | Eusebi | » |
| Paulinus | » | » s. | Laurenti | » |

Cyprianus diaconus sanctae ecclesiae Romanae regionis VII subscripsi et consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Anastasius | diaconus | regionis | I. | subscripsi |
| Tarrensis | » | » | I. | » |
| Citonatus | » | » | V. | » |
| Tertullus | » | » | IV. | » |
| Iohannes | » | » | II. | » |

(MGH AA 12, 405-415).

**26.** *Anagnosticon regis* [Theoderici] (3).

*Primum salutandi episcopi, et dicendum eis*:

Causam quae agitur si mihi visum fuisset aut iustitiam habuisset, ut ego debuissem audire, cum proceribus palatii mei potueram tractare et iudicare, quomodo et Deo placuisset et posteritati ingratum non fuisset. Sed quia causa est Dei et clericorum, ideoque modo ad petitionem senatus vel cleri feci ex diversis civitatibus convenire antistites, ut Deo medio, secundum quod legitis in Evangelio et Apostolo ad Corinthios, hoc sequamini. Nam si meum animum requiritis, ut superius dixi, quae praecipit Deus in Evangelio, hoc sequamini. Si vero vobis visum fuerit, sine discussione causam finite; aut discussa aut indiscussa quemadmodum visum vobis fue-

(1) S. Laurentii in Lucina; (2) SS. Quattuor Coronatorum.

(3) Instructio data a rege legatis suis Arigern, Gudila, Bedeulf, quos ad episcopos, qui in causa Symmachi Romae convenerant, misit. Consentiente Symmacho, causa ab episcopis discussa est et finita « quia eum ab inpugnatorum suorum petitione... obligari non potuisse cognovimus... ei quidquid de ecclesiasticis, intra sacram urbem Romam vel foris iuris est, reformamus; totam causam Dei iudicio reservantes... » (MGH AA 12, p. 431).

rit iudicate. Meam personam nolite metuere, reddituri rationem ante conspectum Dei : tantum est, ut senatum, clerum et populum pacificum dimittatis et quod iudicaveritis, scribatis. Nos enim hoc probabimus vos bene ordinare, si populo, senatui et clero pacem integram reddatis. Quod si minime feceritis, ostendetis vos uni parti favisse. Nullius ergo personam ante oculos habeatis, quamvis, si vobis aliquis violenter vellet quae iniusta sunt inponere, remissis rebus vestris iustitiam custodire debetis : nam multi et vestrae et nostrae religionis episcopi propter Dei causas et de ecclesiis et de rebus suis iactati sunt et tamen vivunt. Ego non solum inpono, sed etiam rogo, ut faciatis quae Deus praecepit et quae legitis in Evangelio et Apostolo. Si autem discutitis causam vel sub aliquo calore, melius causam iudicatis. Si autem indiscussam dimiseritis, datis exemplum sacerdotibus omnino male conversandi. *Haec quum diceret, ita proposuit similitudinem* : Aliquando Aspari a senatu dicebatur, ut ipse fieret imperator : qui tale refertur dedisse responsum : « Timeo, ne per me consuetudo in regno nascatur ». Ita dico ut modo ne irascantur sancti patres nostri : ne per eos, cum non discusserint et ita iudicaverint, consuetudo peccandi omnibus sacerdotibus generaliter detur. Item si voluerint discutere causam, ut securus egrediatur, Arigernus, Gudila et Bedeulfus sacramenta ei praestabunt. De arca vero vel de domo Lateranensi, prout iudicatum fuerit, eidem synodus reddat. De vindicta quae sperant, post discussionem, si eis placuerit, aut ipsi vindicent aut nos deputemus, qui legibus exequatur culpas. (MGH AA 12, 425-426).

## XII. ALCIMUS ECDICIUS AVITUS.

Viennensis episcopus, Burgundionum apostolus. Ex stirpe senatoria Viennensi oriundus, patrem habuit Hesycium, qui post s. Mamerti obitum a 475 Viennensis episcopus electus, Avitum filium a. 494 successorem habuit. Quantum in convertendis Arianis Burgundionibus adlaboraverit Avitus, testantur *Dialogorum eius cum Gundobado rege contra Arrianos* reliquiae (MGH AA 6, 2, 1-15). Eiusdem regis quaestionibus respondens scripsit *De subitanea paenitentia* (ib. 29-32); Gundobadi filium Sigismundum ad catholicam fidem convertit. Inter poetas christianos magnum sibi nomen meruit, per carmen biblicum (2552 hexametri): *De spiritalis historiae gestis* (ib. 201-294). Ut fons historiae eminent *Epistulae* 86 (ib.35-103), inter Homilias, eae quas in rogationibus et in consecratione basilicae Agaunensis habuit (ib. 108-113, 145 s.). Convocavit a. 517 synodum regni Burgundici apud Epaones. (MGH Concilia aev. Merovingici, 17-30).

**27.** *Ep. 34.* Avitus episcopus Fausto [1] et Symmacho senatoribus urbis. Primum fuerat talis status rerum desiderandus, ut ipsi per nos urbem orbi venerabilem pro dependendis divinis humanisque expeteremus officiis. Sed quia istud iam dudum per rationem temporum fieri posse cessavit, vellemus, quod fatendum est, vel ea securitate accedere, ut quae in causa communi supplicari oportet, amplitudo vestra congregatorum Galliae sacerdotum relatione cognosceret. Sed quoniam huius quoque nos voti non compotes reddit provincia praefixis regnorum determinata limitibus, quam primum supplici prece posco, ne celeberrimo ordini vestro pagina haec aliquod moveat, quasi ab uno directa, fastidium; quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minus per mandata quam per litteras oneratus, quaecumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. Dum de causa Romanae ecclesiae anxii nimis ac trepidi essemus, ut pote nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes, quos omnes una criminatio utique sine invidia multitudinis percusserat, si statum principis obruisset: perlata est sollicitudini nostrae ab Italiae exemplaribus sacerdotalis forma decreti [2], quam de papa Symmacho apud urbem collecti Italiae antistites ediderunt. Quam constitutionem licet observabilem numerosi reverendique concilii reddat adsensus, intelligimus tamen sanctum Symmachum papam, si saeculo primum fuerat accusatus, consacerdotum horum solacium potius adsciscere quam recipere debuisse iudicium. Quia sicut subditos nos esse terrenis potestatibus iubet arbiter caeli, staturos nos ante reges et principes in quacumque accusatione praedicens: ita non facile datur intellegi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur. Nam cum celebri praecepto apostolus clamet accusationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in principatum generalis ecclesiae criminationibus licere censendum est? Quod synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens causam, quam quod salva eius reverentia dictum sit, paene temere susceperat inquirendam, divino tutius servavit examini, perstringens tamen, prout breviter potuit, nihil vel sibi vel gloriosissimo viro Theoderico regi de his, quae papae

---

(1) « Eodem tempore Festus caput senati et Probinus exconsul coeperunt intra urbem Romam pugnare cum aliis senatoribus et maxime cum Fausto exconsule » (L. P. ed. Duchesne, I, p. 260).

(2) Synodi Romanae a. 502; conf. supra n. 26.

dicebantur obiecta, patuisse. Quibus cognitis quasi senatores ipse Romanus (1), quasi Christianos episcopus obtestor, si Divinitatis, quam colitis, dono temporibus vestris prosperitas optata succedat, si dignitas, in qua floretis universo orbi, speciem nominis Romani mundo labenti contineat, ut in conspectu vestro non sit Ecclesiae minor quam rei publicae status. Quodque vobis Deus posse praestitit, prosit et nobis: nec minus diligatis Ecclesiae vestrae sedem Petri, quam in civitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus vestri consilio rem videtis, non ea tantum modo, quae Romae geritur, causa cogitanda est: in sacerdotibus ceteris potest, si quid forte nutaverit, reformari. At si papa Urbis vocatur in dubium, episcopatus iam videbitur, non episcopus vacillare. Nostis bene, inter quas haeresum tempestates, veluti ventis circumflantibus fidei puppi, ducamur. Si nobiscum huiusce modi pericula formidatis, expedit, ut gubernatorem vestrum participato labore tueamini. Alias autem quae ultio est, si nautae sine magistro fuerint? Non sine illorum periculo ceditur isti discrimini. Reddat rationem, qui ovili dominico praeest, qua commissam sibi curam agnorum administratione dispenset. Ceterum non est gregis pastorem proprium terrere, sed iudicis. Quapropter reddite nobis principalem, si tamen necdum est restituta, concordiam...

(MGH AA 6, 2, 64 s.).

**28.** *Ep. 46.* Avitus episcopus Clodovecho regi. ...Illustrat tuum quoque orbem claritas sua, et occiduis partibus in rege non novi iubaris lumen effulgurat. Cuius splendorem congrua Redemptoris nostri nativitas inchoavit: ut consequenter eo die ad salutem regeneratrix unda vos pareret, quo natum redemptioni suae coeli dominum mundus accepit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit et vester: quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo; in quo vos animam Deo, vitam praesentibus, famam posteris consecrastis. Quid iam de ipsa gloriosissima regenerationis vestrae sollemnitate dicatur? Cuius ministeriis si corporaliter non accessi, gaudiorum tamen communioni non defui: quandoquidem hoc quoque regionibus vestris divina pietas gratulationis adiecerit, ut ante baptismum vestrum ad nos sublimissimae humilitatis nuntius, qua competentem vos profitebamini, pervenerit. Unde nos post hanc expectationem iam securos vestri sacra nox reperit. Conferebamus namque nobiscum tractabamusque, quale esset illud, cum adunatorum numerosa

(1) *ed.* Romanos.

pontificum manus sancti ambitione servitii membra regia undis vitalibus confoveret, cum se servis Dei inflecteret timendum gentibus caput : cum sub casside crinis nutritus salutarem galeam sacrae unctionis indueret : cum intermisso tegmine loricarum immaculati artus simili vestium candore fulgerent... Unum est, quod velimus augeri : ut quia Deus gentem vestram per vos ex toto suam faciet, ulterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia constitutas, nulla pravorum dogmatum germina corruperunt, de bono thesauro vestri cordis fidei semina porrigatis : nec pudeat pigeatque etiam directis in rem legationibus adstruere partes Dei, qui tantum vestras erexit. Quatenus externi quique populi paganorum pro religionis vobis primitus imperio servituri, dum adhuc aliam videntur habere proprietatem, discernantur potius gente, quam principe...

(MGH AA 6, 2, 75 s.).

**29.** [*Subscriptiones episcoporum regni Burgundici in synodo Epaonensi a. 517*].

Auitus episcopus constitutiones nostras, id est sacerdotum prouinciae Uienninsis, relegi et suscripsi die XVII kal. menses octaui, Agapito consule, Epaone.

Uiuentiolus episcopus ecclesiae Lugduninsis cum provincialibus meis constitutiones nostras relegi et subscripsi.

Siluester eps. civitatis Cabalonensis (1) relegi et subscripsi die et consule supra scripto.

Gemellus eps. civitatis Uasensis (2) relegi et subscripsi die et consule supra scripto.

Apollenaris eps. civitatis Ualentine (3) relegi et subscripsi.

Ualerius eps. civitatis Segistericae (4) relegi et subscripsi.

Uictorius eps. in Christi nomine civ. Gratianopolitanae (5) relegi et subscripsi.

Claudius in Christi nomine eps. civ. Uisensionensis (6) relegi et subscripsi.

Graegorius in Christi nomine eps. civ. Lingonicae (7) relegi et subscripsi.

Praumatius in Christi nomine eps. civ. Agustae (8) relegi et subscripsi.

Constantius in Christi nomine eps. civ. Octodorensis (9) relegi et subscripsi.

Catolinus in Christi nomine eps. civ. Ebreduninsis (10) relegi et subscripsi.

---

(1) Châlons s. Saône; (2) Vaison; (3) Valence; (4) Sisteron; (5) Grenoble; (6) Besançon; (7) Langres; (8) Autun; (9) Sion; (10) Embrun.

Sanctus in Christi nomine eps. civ. Darandasiensis (1) relegi et subscripsi.

Maximus in Christi nomine eps. civ. Genuensis (2) relegi et subscripsi.

Bubulcus in Christi nomine eps. civ. Uindoninsis (3) relegi et subscripsi.

Saeculatius in Christi nomine eps. civ. Deensis (4) relegi et subscripsi.

Iulianus in Christi nomine eps. civ. Carpentoratinsis (5) relegi et subscripsi.

Constantius in Christi nomine eps. civ. Uappincensis (6) relegi et subscripsi.

Florentius in Christi nomine eps. civ. Arausicae (7) relegi et subscripsi.

Item Florentius in Christi nomine eps. civ. Trecastininsis (8) relegi et subscripsi.

Fylagrius in Christi nomine eps. civ. Cauellicae (9) relegi et subscripsi.

Uenantius in Christi nomine eps. civ. Uiuarensis (10) relegi et subscripsi.

Praetextatus in Christi nomine eps. civ. Aptinsis (11) relegi et subscripsi.

Tauricianus in Christi nomine eps. civ. Niuerninsium (12) relegi et subscripsi.

Peladius presb. iussu domni mei Salutaris (13) episcopi, qui huic definitioni interfui et subscripsi.

(MGH Concilia aevi Meroving., p. 29 s.).

## XIII. MAGNUS FELIX ENNODIUS

nobili genere in Gallia natus, a pueritia in Italia educatus, a. 493 inter clericos s. Epiphanii Ticinensis epscopi receptus, mox sacerdos Mediolanensis, contra Symmachi adversarios decertavit, scripsitque contra libellum Laurentiani cuiusdam, cui titulus: « Adversus synodum absolutionis incongruae » suum *Libellum adversus eos qui contra synodum scribere praesumpserunt* (CSEL 6, 287-330, MGH AA 7, ML 63) (14). A. 513 episcopus Ticinensis electus, a. 515 a Hormisda papa legatus Constan-

(1) Tarantaise; (2) Genève; (3) Windisch; (4) Die; (5) Carpentras; (6) Gap; (7) Orange; (8) Saint Paul-Trois Châteaux; (9) Cavaillon; (10) Viviers; (11) Apt; (12) Nevers; (13) Avignon.

(14) Vide supra n. XI.

tinopolim mittitur (1). Inter plurima eius scripta epistulas, carmina, orationes ut fontes historiae coaevae eminent *Vita s. Epiphanii Ticinensis episcopi* (CSEL 6, 331-383) et *Panegyricus dictus clementissimo regi Theoderico* (ib. 261-286).

**30.** *Panegyric. Theoderico.* ... Restant adhuc multa quae dicerem, sed inter plures actuum tuorum praecones conuenit inlibatum aliquid reseruari, debent tibi u e n e r a n d a s t u d i a quod locuntur. Amauerunt praecessores tui inscitiam, quia numquam laudanda gesserunt. Sordebat inter aratra facundissimus et quod peritia dederat uis negabat: muto maerebant actore tribunalia nec ulla concedebatur palma dicenti. In casum negotiorum nutabat euentus, quando litteris genius non dabatur; unus ubique ingenia maeror oppresserat, quia adterebant otia eloquentium facultates: pompam seniorum edax neglegentia possidebat nec accendebatur tiro aemulatione sectanda. Uide diuitias saeculi tui: tunc uix fora habuere perfectos, nunc E c c l e s i a dirigit laudatorem.

Eat nunc et coturnatis relationibus Alexandrum iactet antiquitas, cui famae opulentiam peperit dos loquentum, ut per adiutricem facundiam uideatur crescere rebus mendica laudatio. Regis nostri merita solacium non postulant adserentis: minora sunt eius ueris actibus, quamuis aucta sint ueterum gesta mendaciis. Simulastis, poetae, grandia, sed fateri uos conuenit praesentem dominum gessisse potiora. Pellaeus ductor praeconiorum suorum summam Choerili uoluit constare beneficio, ne fallendi uotum multitudo deprehenderet et fieret testis inpudentiae qui adsciscebatur in adstipulatione uictoriae. Nihil detraho senioribus, quos praecipuos habuisset antiquitas, nisi Romani nominis erectio te dedisset. Illum uerae religionis ignarum obtinuit erroris mater inscitia; t e s u m m i D e i c u l t o r e m ab ipso lucis limine instructio uitalis instituit. Numquam applicas laboribus tuis quod euentus dexter obtulerit; scis in te curam, penes Deum perfectionis esse substantiam: agis ut prospera merearis adipisci, sed potius uniuersa adscribis auctori: exhibes robore uigilantia prosperitate principem, mansuetudine sacerdotem. Quid frustra maiores nostri diuos et pontifices uocarunt quibus sceptra conlata sunt? Singulare est actibus implere sanctissimum et ueneranda nomina non habere. Rex meus sit iure Alamannicus, dicatur

(1) Conf. CSEL 35 2, p. 510 ss.

alienus : ut diuus uitam agat ex fructu conscientiae nec requirat pomposae uocabula nuda iactantiae, in cuius moribus ueritati militant blandimenta maiorum. (CSEL 6, 282/3).

**31.** *Vita s. Epiphanii.* Interea ne solis ciuitatem (1) templorum aedibus uideretur ornasse, fessis eiusdem urbis habitatoribus remediorum utilitate prospexit. Nam directa legatione ad Odouacrem quinquennii uacationem fiscalium tributorum impetrauit, ad quae beneficia per singulos dispertienda tanta se castitate continuit, ut nemo ex his minus acciperet quam is quo fuerant impetrante concessa. Dum haec tamen gererentur, in perniciem Liguriae possessorum Pelagi, qui ea tempestate praetorio praefectus erat, repositus malitiae ardor efferbuit. Nam coemptionum enormitate grauissima tributa duplicabat reddebatque onus geminum, quod simplex sustineri non poterat. Unde mox ad sanctum uirum oppressorum turba confluxit, qui laetus succurrendi occasiones amplectitur et pro cunctorum necessitate alacer ambulauit poposcit obtinuit. Sed quid frusta gestio singulorum species laborum eius uel formas eloqui, dum qod non explicat possibilitas praesumit adfectus datque terminum latiora opinantibus sermonis angustia? Fuerunt tamen ista sacratissima uatis desideria, ut, cum innumerabilia faceret, optaret de laudibus suis aut nulla aut pauca perstringi. Unde si quid minus lingua pauper aperui, audientum et legentum sensibus derelinquo. Post multas tamen quas apud Odouacrem regem legationes uiolentia supplicationis exegit dispositione caelestis imperii ad Italiam Theodericus rex cum inmensa roboris sui multitudine commeauit, ad quem uir integerrimus, dum Mediolani iam positus esset, excurrit. Quem cum ille regum praestantissimus cordis oculis inxpexisset et solita iudicii sui sacerdotem nostrum libra pensaret, inuenit in eo pondus omnium constare uirtutum, cuius integritatem uelut fabrilibus lineis ad perpendiculum mentis emensus est, quique tali apud suos de illo sermone usus est : « ecce hominem, cui totus Oriens similem non habet, quem uidisse praemium est, cum quo habitare securitas. Fortissimo muro Ticinensis ciuitas incolumi isto uallatur, quos inpugnantum nulla uis possit obruere, quos nequaquam Balearis fundae transcendat excursus. Si qua necessitas inter undas certaminum adcesserit, tutum est apud istum matrem familiasque deponere et expeditum excursibus militare bellorum ». (CSEL 6, 358 s.).

(1) Ticinensem.

**32.** *Vita s. Epiphanii.* (*S. Epiphanius legatus a Theodorico rege ad Gundobadum Burgundionum regem missus ad redimendos captivos Italos* [1], *eorum a Gundobado libertatem obtinet*) :

Qui postquam rumor innotuit, tanta istius iam liberae multitudinis frequentia subito adstitit, ut desolata crederes esse etiam incolis rura Gallorum : nam testis huius rei ego sum, per cuius manus pictacia ad clusuras iussio sacerdotis elicuit, quadringentos homines die una de sola Lugdunensi ciuitate redituros ad Italiam fuisse dimissos. Identidem per singulas urbes Sapaudiae uel aliarum prouinciarum factum indubitanter agnouimus, ita ut istorum, quos solae preces beatissimi uiri liberarunt, plus quam sex milia animarum terris patriis redderentur. Eorum uero, qui redempti auro sunt, numerum ad liquidum cognouisse non potui, quia inter eos etiam multos fuga eripuit. Sic factum est ut tunc ad liberationem omnium subiugatorum transeundi occasio concessa sufficeret. Postquam tamen pecuniarum ille cumulus effusus est, continuo ad expensas redemptionis suggessit necessaria illa, quae ibi est thesaurus ecclesiae, Syagria, cuius prolixam quaerit uita narrationem; sufficit tamen ut ex operibus agnoscatur quam uerba transcendunt. Dedit etiam praestantissimus inter Gallos Auitus Viennensis episcopus, in quo se peritia uelut in diuorsorio lucidae domus inclusit. Quid pluribus? Auro illorum ex maxima parte actum est, ne Gallis diutius seruitum pubes Ligurum duceretur. Nec in uno loco summus uir in illa se regione continuit, ne forsitan in longinquo degentes dominorum feritas inpediret. Fuit Genauae, ubi Godigisclus germanus regis larem statuerat, qui formam fraternae deliberationis secutus bonis operibus eius se socium dedit. Breui tamen tantae liberatorum phalanges remissae sunt, ut uideres longe lateque agminibus feruentia itinera cum laude Dei nostri, tum etiam splendidissimi sacerdotis Epiphanii, cuius ministerio atque labore erepti fuerant, redeuntium. Et ne tanti lux nostra trophaeo muneris priuaretur atque ab oculis ipsius pulcherrimum spectaculum tolleretur, ipse cum his remeauit. Uideres duci in triumphis caelestibus uulgus liberum et pro mactandorum sanguine terram madefieri lacrimis

---

(1) De hac Epiphanii legatione conferenda est Gelasii I Papae epistula (25/I 494) ad Rusticium Lugdunensem episcopum : « ... Frater noster Epiphanius, qui ad gentis suae relevandos et redimendos captivos ad partes vestras destinatur »... (THIEL, p. 359).

exultantum, cum Heliae currum istarum cohortium ductor scanderet et quadriiugum ad caelestia pro merito suo raperetur excursu. Non sic Pellaeus princeps Alexander, quem pacatorem orbis uocauit uana laudatio, captum gentium duxit examen, ut iste reuocauit. Ecce tunc conperimus armatorum mentes sanctitate superatas et cessisse precibus electi principem qui obuium semper lanceis pectus ingessit. [1]

(CSEL 6, 375 ss.).

## XIV. HORMISDA PAPA

Magnum thesaurum fontium historiae constituit series 150 fere epistularum tam acceptarum, quam missarum, quae ex Hormisdae scrinio excerptae, totius negotii unionis ecclesiae Byzantinae per schisma Acacii separatae per Papam gestionem luculentissime illustrant (CSEL 35, 2; conf. THIEL, p. 739 ss.). Inter caeteras Hormisdae epistulas notandae sunt eae, quas ad Hispaniae episcopos directas *Collectio Hispana* servavit (ML 84, 811-830, nn. 86-95).

**33.** Dilectissimo fratri Sallustio [2] Hormisda. ...Suffragantibus igitur tibi tot meritis piae sollicitudinis et laboris, certo iam delectat iniungere, quae ad nostri curam constat officii pertinere: ut provinciis tanta longinquitate disiunctis et nostram possis exhibere personam et patrum regulis adhibere custodiam. Vices itaque nostras [3] per Baeticam Lusitaniamque provinciam, salvis privilegiis quae metropolitanis episcopis decrevit antiquitas, praesenti auctoritate committimus, augentes tuam huius participatione ministerii dignitatem, relevantes nostras eiusdem remedio dispensationis excubias. Et licet de singulis non indigeas edoceri, a quo iam probavimus cautius universa servari, gratius tamen esse solet, si ituris trames ostenditur, et laboraturis iniuncti operis forma monstratur. Paternas igitur regulas et decreta a sanctis definita conciliis ab omnibus servanda mandamus.

---

(1) Conf. quae in S. Caesarii Arelatensis Vita narrantur de captivis, praesertim urbis Arausici (Orange) ab eo redemptis (ML 67, 1015, cf. MGH SS RR Merov. 3, 471 s.).

(2) Hispalensis episcopus.

(3) Alias similes epistulas quamplurimas ad vicarios Papae per Illyricum directas habes in L. HOLSTE, *Collectio Romana bipartita*, Roma, 1662, p. 37 ss., ad vicarios per Gallias in MGH EPP 3, p. 41 ss.; cf. infr. n. 49.

In his vigilantiam tuam, in his curam fraternae monitu exhortationis ostendimus: his ea qua dignum est, reverentia custoditis, nullum relinquit culpae locum, nec sanctae observationis obstaculum. Ibi fas, nefasque praescriptum est, ibi prohibitum, ad quod nullus audeat aspirare, ibi concessum, quid debeat mens Deo placitura praesumere. Quoties universum poscit religionis causa concilium, te cuncti fratres evocante conveniant, et si quos eorum specialis negotii pulsat contentio, iurgia inter eos oborta compesce, discussa sacris legibus determinando certamina. Quidquid autem illic pro fide et veteribus constitutis, vel provida dispositione praecipies, vel personae nostrae auctoritate firmabis, totum ad scientiam nostram instructae relationis attestatione perveniat. Eo fiet, ut et noster animus officii caritate dati, et tuus securitate perfruatur accepti. *Deus te incolumem custodiat, frater carissime.*

(ML 84, 827, n. 94).

## XV. S. FULGENTIUS RUSPENSIS

Inter defensores fidei catholicae contra Arianos Wandalos eminet s. Fulgentius, cuius *Vita* anonyma, — Ferrando forsan diacono, auctori *Breviationis canonum* (ML 67, 949-962) tribuenda — pulcherrimam narrationem gestorum, morum, virtutum episcopi catholici sub Arianorum dominatione praebet (ML 65, 118-150). A. 507, post septennem vitam monasticam, episcopus urbis Ruspe eligitur, a. 508 a Thransamund rege Calarim in Sardinia relegatus, monasterium ibi instituit (1), cui multis praeest annis. A. 523 sub Hilderic rege in patriam redire permissus, pastorali curae et fidei per scripta defensioni ultimos vitae annos dedicat. Obiit a. 532. Inter eius opera eminent tractatus Antiariani: *Contra Arianos* lib. 1 (ML 65, 205 ss.); *Ad Transamundum regem Wandalorum* ll. 3 (ib. 223 ss.); *De Trinitate* l. 1 (ib. 497 ss.; *Contra sermonem Fastidiosi Ariani* l. 1 (ib. 507 ss.); inter alia opera theologica: *De fide seu de regula verae fidei* l. 1 (ib. 671 ss.); *De remissione peccatorum* ll. 2 (ib. 527 ss.).

---

(1) Bibliotheca Capituli s. Petri in Vaticano celeberrimum operum s. Hilarii codicem servat, qui post ultima Libri in Constantium verba, hanc habet subscriptionem: *Contuli in nomine Domini Iesu Christi apud Karalis constitutus anno quartodecimo Transamund regis* Scripta sunt haec a. 509/10 forte ab ipso s. Fulgentio, certe in eius monasterio Caralitano. Conf. Ehrle-Liebaert, *Specimina codicum Latinorum*, tab. 6.

**34.** *S. Fulgentii vita,* cap. 4. Beatus igitur et vere Fulgentius, nobili secundum carnem genere procreatus, parentes habuit ex numero Carthaginensium senatorum. Avus enim eius nomine Gordianus, dum rex Gisericus memoratam Carthaginem victor invadens, senatores plurimos, imo cunctos amissis omnibus bonis, ad Italiam navigare compelleret, inter caeteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit : volens saltem facultatibus perditis, non perdere libertatem. Post cuius obitum duo ex filiis eius, spe recuperandae haereditatis, Africanam provinciam repetentes, manere tamen intra Carthaginem minime potuerunt, domo propria donata sacerdotibus Arianis. Sed possessionibus suis ex parte per auctoritatem regiam repetitis ad Bizacium perrexerunt. Ibique in Tellepte civitate unus eorum nomine Claudius ex coniuge nomine Mariana, Christiana scilicet et honesta femina, istum, cui tanta gloria debebatur, feliciter genuit; eumque statim, quasi praescius qualis esset futurus, Fulgentium nominavit. Quem religiosa mater moriente celeriter patre graecis litteris imbuendum primitus tradidit, et quamdiu totum simul Homerum memoriter reddidisset, Menandri quoque multa percurreret; nihil de latinis permisit litteris edoceri : volens eum peregrinae linguae teneris adhuc annis percipere notionem, quo facilius posset, victurus inter Afros, locutionem graecam, servatis aspirationibus, tamquam ibi nutritus exprimere.

(ML 65, 118 s.).

**35.** *S. Fulgentii Vita,* cap. 27. Occasione igitur navigii felicioris inventa, Romam venit, et auctorum saecularium consono semper ore laudatam, caputque mundi veraciter appellatam, festinus ingreditur civitatem. Fuit autem tunc in Urbe maximum gaudium, Theoderici regis praesentia Romani senatus et populi laetificante conventum. Unde contigit ut beatus Fulgentius, cui mundus olim fuerat crucifixus, postquam sacra martyrum loca venerabiliter circuivit, omnesque servos Dei, quorum in brevi capere notitiam potuit, humili obsequio salutavit, in loco qui Palma Aurea dicitur (1), me-

(1) Conf. *Anonymus Valesii* 17: «Post factam pacem in Urbe ecclesiae ambulavit rex Theodericus Romam et occurrit b. Petro devotissimus ac si catholicus, cui Papa Symmachus et cunctus Senatus vel populus Romanus cum omni gaudio extra Urbem occurrentes. Deinde veniens ingressus Urbem venit ad senatum et ad Palmam, populo adlocutus se omnia Deo iuvante quod retro principes Romani or-

morato Theoderico rege concionem faciente, Romanae curiae nobilitatem decus ordinemque distinctis decoratam gradibus aspectaret, et favores liberi populi castis auribus audiens, qualis esset huius saeculi gloriosa pompa cognosceret. Neque tamen in hoc spectaculo aliquid libenter intuetur, nec nugis illis saecularibus superflua illectus delectatione consentit; sed inde potius ad illam supernae civitatis Hierusalem desiderandam felicitatem vehementer exarsit, salubri disputatione praesentes sic admonens : Fratres, quam speciosa potest esse Hierusalem coelestis, si sic fulget Roma terrestris! Et si in hoc saeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor et gloria et pax praestabitur sanctis contemplantibus veritatem? (ML 65, 130-131).

**36.** *S. Fulgentii Vita*, cap. 37-38. Suscepit interim beatus Fulgentius episcopatum sine aliqua ambitione, cum maxima devotione, manente in contradictoribus divina ultione. Nec ita factus est episcopus, ut esse desisteret monachus; sed accepta pontificis dignitate, professionis praeteritae servavit integritatem. Servata vero professionis integritas plus ornavit pontificis dignitatem. Nunquam denique pretiosa vestimenta quaesivit, aut quotidiana ieiunia praetermisit, aut conditos suaviter cibos, vel inter hospites manducavit, aut discumbendo saltem requiescere, et resolvere rigidum propositum voluit; sed una tantum vilissima tunica, sive per aestatem sive per hiemem patienter indutus, orario quidem, sicut omnes episcopi, nunquam utebatur, pelliceo cingulo tanquam monachus utebatur. Sic studio humilitatis ambitionem vestium fugiebat, ut nec ipsa calceamenta suscipiens clericorum, aut ultimis caligis in tempore hiemis, aut caligulis in tempore aestatis uteretur. Intra monasterium sane interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam pretiosam, vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel lactinio pallio circumdatus incessit. Quando temperies aëris invitabat, solo pallio intra monasterium est coopertus. Scapulis vero nudis numquam a nobis visus est, nec deposito saltim cingulo somnum petivit. Suae autem continentiae Deo teste, fiduciam gerens, in qua

---

dinaverunt, inviolabiliter servaturum» (ed. R. Cessi in *Rerum Italicarum Scriptores* di L. A. MURATORI, nuova edizione, Tomo 34, parte 4, Città di Castello 1913, p. 17).

tunica dormiebat, in ipsa sacrificabat; et tempore sacrificii, mutanda esse corda potius quam vestimenta dicebat.

Huic beatissimo sacerdoti nullus aliquando extorsit cuiuslibet generis carnes accipere, sed sola simpliciter olera ptisanas et ova, quamdiu fuit iuvenis, sine oleo, postquam vero senuit, superfuso oleo manducavit; ideo oleum persuasus accipere, ne caligo praevalens oculorum lectionis impediret officium. A vino autem sanus semper abstinuit. Si quando vero compellente infirmitatis necessitate vino modico uti compulsus est, calicibus plenis aqua superfundens quidpiam meri, nec saporis eius, nec odoris iocunditate fruebatur. Antequam vigiliae nuntiarentur a fratribus, ipse semper corde et corpore vigilans, aut orabat, aut legebat, aut dictabat aut cuicunque spiritali meditationi solus vacabat, quia se per diem filiorum Ecclesiae necessitatibus occupari iugiter sciebat. Ad agendas cum servis Dei vigilias interdum descendebat, sed privatas apud se vigilias, studiis quibus dixi, multo laudabilius exercebat. (ML 65, 135-136).

## XVI. S. REMIGIUS REMENSIS

Perpauca de eius vita nota sunt (Cf. MGH AA 4, 64 ss.). Die 25 Decembris a. 496 Chlodovaeum Francorum regem baptizavit. Quantae apud ipsum adhuc paganum auctoritatis fuerit ostendit epistula infra sequens. Quatuor tantum epistulae eius supersunt (MGH EPP 3, 112-116, ML 65, 963-970). Testamentum, quod fertur, spurium est. Sermones a Sidonio Apollinari laudati, perierunt.

**37.** Domino insigni et meritis magnifico, Hlodoveo regi, Remegius episcopus. Rumor ad nos magnus pervenit, administrationem vos Secunde Belgice suscepisse (1). Non est novum, ut coeperis esse, sicut parentes tui semper fuerunt: hoc inprimis agendum, ut Domini iudicium a te non vacillet, ubi tui meriti, qui per industriam humilitatis tuae ad summum culminisque pervenit, quia, quod vulgus dicitur, [ex fine] actus hominis probatur. Consiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam possent ornare. Et beneficium tuum castum et

(1) a. 483?

honestum esse debet, et sacerdotibus tuis debebis deferre et ad eorum consilia semper recurre; quodsi tibi bene cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare. Cives tuos erige, adflictos releva, viduas fove, orfanos nutre, si potius est, quam erudies, ut omnes te ament et timeant. Iustitia ex ore vestro procedat, nihil sit sperandum de pauperes vel peregrinis, ne magis dona aut aliquid accipere vellis; praetorium tuum omnibus pateatur, ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascunque opes possides, captivos exinde liberabis et a iugo servitutis absolvas : si quis in conspectu vestro venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum iuvenibus ioca, cum senibus tracta, si vis regnare nobilis iudicare. (MGH EPP 3, 113).

## XVII. S. CAESARIUS ARELATENSIS

In regione Cabillonensi circa a. 470 ex stirpe gallo-romana oriundus, a 488 in clerum urbis illius receptus, a. 490 in Lerinensi monasterio vitam monasticam agere coepit. Valetudinis periclitantis causa a. 498 Arelatem missus, ibi rhetoris Africani Iuliani Pomerii, — auctoris opusculi « De vita contemplativa » (ML 59, 415 ss.) — scholam frequentabat et mox ab Aeonio Arelatensi episcopo sacerdos consecratus est. A. 502 Aeonio in sede Arelatensi successit quam per 40 annos rexit, usque ad a. 507 sub dominatione Wisigothorum, exinde usque ad a. 536 sub Theodorici Ostrogothorum regis regimine, et tandem sub Francorum dominio. *Sermones* Caesarii sunt fons pretiosissimus ex quo vitam et mores bonos et malos populi christiani cognoscere possumus. Ignoti fere remanserunt usque ad recentissima tempora, quando D. Germain Morin O. S. B. inter sermones anonymos quos Maurini in appendicem operum s. Augustini relegaverant, quamplurimos Caesarianos invenit (ML 39) (1). Praeter opuscula dogmatica minoris momenti, scripsit *regulam pro monachis* (ML 67, 1099-1104) et pro *virginibus* (ib. 1107-1121). Maximi vero momenti sunt eius opera ad Ecclesiae disciplinam spectantia, inter quae primo loco recensenda sunt sic dicta *Statuta Ecclesiae antiqua*, compilatio canonum disciplinam cleri praecipue spectantium (ML 56, 879-887); Canones insuper Conciliorum Agathensis (a. 506), Arelatensis (a. 524), Carpentoratensis (a. 527), Arausicani et Vasensis (a. 529), Massiliensis (a. 533) certe a Caesario conscripti sunt. Epistulas Romanorum Pontificum ad Caesarium habes in MGH EPP 3, p. 35 ss., nn. 25-38.

(1) Elenchum habes v. g. in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, II 2, 2170, et apud M. SCHANTZ, *Geschichte d. röm. Litteratur*, IV, 2, 1920, p. 561 s.; cf. G. MORIN, *Etudes, Textes, Découvertes*, 1913, p. 41 ss.

Vitam s. Caesarii cuius primus liber a Cypriano Telonensi episcopo († c. 549), secundus a Messiano et Stephano Arelatensibus clericis conscriptus est, apud ML 67, 1001-1042, et in MGH SS RR Merov. 3, 457 ss.

38. *Sermo de Calendis Ianuarii.* Dies calendarum istarum, fratres carissimi, quas ianuarias vocant, a quodam Iano homine perdito ac sacrilego nomen accepit. Ianus autem iste dux quidam et princeps hominum paganorum fuit, quem imperiti homines et rustici dum quasi regem metuunt, colere velut deum coeperunt; detulerunt enim ei illicitum honorem, dum in eo expavescunt regiam potestatem. Homines quippe stulti et ignorantes Deum, illos tunc maxime deos existimabant, quos inter homines sublimiores esse cernebant... Hinc itaque est quod istis diebus pagani homines perverso omnium rerum ordine obscenis deformitatibus teguntur, ut tales utique se faciant qui colunt, qualis est iste qui colitur. In istis enim diebus miseri homines, et quod peius est, aliqui baptizati, sumunt formas adulteras, species monstruosas, in quibus quidem sunt quae primum pudenda, aut potius dolenda sunt. Quis enim sapiens poterit credere, inveniri aliquos sanae mentis qui cervulum facientes, in ferarum se velint habitum commutare? Alii vestiuntur pellibus pecudum, alii assumunt capita bestiarum, gaudentes et exsultantes, si taliter se in ferinas species transformaverint, ut homines non esse videantur...

Et quia Deus placatus vobis inspirare dignatus est, ut pro amore fidei ista miserabilis consuetudo de hac civitate in integrum tolleretur, rogo vos, fratres carissimi, ut vobis non sufficiat quod ipsi hoc malum, Deo donante, non facitis, sed ubicumque alibi fieri videritis, arguite, castigate, corripite, et vestro salubri consilio de isto miserabili sacrilegio stultos homines removete. Et ut ad integrum vos divinae misericordiae consecretis, etiam illas alias observationes velut diaboli venena respuite, quas, quod peius est, plures in populo christiano observare non erubescunt. Sunt enim qui calendis ianuariis auguria observant ut focum de domo sua vel aliud quodcumque beneficium cuicumque petenti non tribuant. Diabolicas etiam strenas et ab aliis accipiunt, et ipsi aliis tradunt. Aliqui etiam rustici mensulas in ista nocte quae praeteriit, plenas multis rebus, quae ad manducandum sunt necessariae componentes (1), tota nocte sic compositas esse volunt, credentes quod hoc illis calendae ianua-

(1) Conf. infra n. 59; 199.

riae praestare possint, ut per totum annum convivia illorum in tali abundantia perseverent. Et quia sicut scriptum est : « Modicum fermentum totam massam corrumpit » etiam ista, et alia his similia, quae longum est dicere, quae ab imperitis aut parva, aut nulla peccata creduntur, a vestris ordinate familiis removeri, et hoc praecipite, ut sic calendas istas colant quomodo aliorum mensium colere solent. Qui enim aliquid de paganorum consuetudine in istis diebus observare voluerint, timendum est ne eis nomen christianum prodesse non possit... (ML 39, 2001-2002).

**39.** *Sermo in Quadragesima.* ... An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo ad ecclesiam non vigilat, non beatorum martyrum loca sancta perquirit, sed surgens congregat servulos, disponit retia, canes producit, saltus silvasque perlustrat; servulos inquam secum pertrahit, magis ad ecclesiam venire cupientes, et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens reum se futurum tam de suo delicto quam de perditione servorum. Tota igitur die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum efferens, nunc silentium latenter indicens; laetus si aliquid repperit, iratus si id quod non habebat amiserit, et tanto studio gerit, quasi ideo indictum ieiunium fuerit, ut venetur... Nonnulli autem divinorum immemores praeceptorum, ita circa servos suos et subditos sibi potestatem dominationis exercent, ut in his diebus non dubitent flagris eos caedere, poenis afficere, compedibus praepedire; et si forte cum ad reficiendum venitur, tardius minister adfuerit, statim eum verberibus laniare, et prius se satiare servuli sanguine, quam convivii voluptate... Et quod magis dolendum est, christianus dominus christiano in his diebus servo non parcit, minime respiciens, quod etsi servus est conditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, iisdem participat sacramentis, eodem quo et tu, utitur Deo patre : cur te non utatur ut fratre? Sunt enim plerique qui de venationibus redeuntes, magis canum quam servorum gerunt curam, qui faciunt eos iuxta se accumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sua praesentia ministrantes, qui utrum servi eorum fame moriantur, ignorant; et quod est gravius, si diligenter his praeparatum non fuerit, pro cane servus afficitur. Vides etiam in nonnullorum domibus nitidos et crassos canes discurrere, homines autem titubantes et pallentes incedere. Isti ergo miserebuntur pauperibus aliquando, qui minime servis suis miserentur?... (ML 39, 2029-2030).

**40.** *Concilium Agathense* (a. 506). *Can. 13.* Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est ante octo dies dominicae resurrectionis publice in ecclesia competentibus tradi.

*Can. 15.* Poenitentes tempore quo poenitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote sicut ubique constitutum est consequantur, et si aut comas non deposuerint aut vestimenta non mutaverint abiiciantur, et nisi digne poenituerint, non recipiantur; iuvenibus etiam poenitentia non facile committenda est propter aetatis fragilitatem, viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum. (1)

*Can. 18.* Saeculares vero qui Natali Domini, Pascha, Pentecoste non communicaverint, catholici non credantur nec inter catholicos habeantur.

*Can. 21.* Si quis etiam extra parochias in quibus legitimus et ordinarius est conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus ut ibi missas teneant propter fatigationem familiae iusta ordinatione permittimus; Pascha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten et Natale s. Iohannis Baptistae vel si quis maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus aut in parrochiis teneant...

*Can. 40.* Omnes deinceps clerici sive laici Iudaeorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquis excipiat, quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi...

*Can. 42.* Ac ne id fortasse videatur omissum quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti clerici vel laici student auguriis et sub nomine fictae religionis, quas sanctorum sortes vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt, hoc quicunque clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.

---

(1) Conf. E. GÖLLER, *Studien über das gallische Busswesen zur Zeit Cäsarius' von Arles und Gregors von Tours*, AKK, 109, 1929, p. 61 ss. De poenitentia vide etiam infra n. 109 c. 8; n. 196 c. 12; n. 201; n. 221 c 2; n. 231; n. 251 c. 20; n. 281 c. 21; n. 282 c. 4; n. 321-2; n. 350; n. 371 c. 25, 30; n. 375 c. 55-58.

*Can. 47.* Missas die dominico a saecularibus totas teneri speciali ordinatione praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat; qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur [1]

*Can. 55.* Episcopis, presbyteris, diaconis ad venandum canes aut accipitres habere non liceat; quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus, si episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus abstineatur, uno diaconus ab omni officio vel communione cessabit.

*Can. 67.* Quoniam non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia, et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen se profitentur Christianos futuros esse catholicos.

*Can. 68.* Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos magos aut incantatores esse aut facere quae dicuntur phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum: hos autem qui talibus utuntur proici ab ecclesia iussimus [2].

(Ex Coll. Hispana, ML 84, 263-274).

**41.** *Concilium Vasense* (a. 529). *Can. 1.* Hoc placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parrociis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, iuniores lectores, quantoscumque sine uxoribus habuerint, secum in domo ubi ipsi habitare videntur, recipiant, et eos quomodo boni patres spiritaliter nutrientes psalmis parare, divinis lectionibus insistere et in lege Domini erudire contendant, ut et sibi dignos successores provideant et a Domino praemia aeterna recipiant...

*Can. 2.* Hoc etiam pro aedificatione omnium ecclesiarum et pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus sed etiam in omnibus parrociis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem, ita ut si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit praedicare, sanctorum patrum homiliae a diaconibus recitentur. ...

*Can. 3.* Et quia tam in sede apostolica quam per totas Orientales adque Italiae provincias dulcis et nimium salubris consuetudo est intromissa, ut Kyrie eleison frequentius

---

[1] Conf. can. 26 Aurelian. a. 511; 32 Aurelian. a. 538.

[2] Conf. can. 3 Elusan. a. 551.

cum grandi affectu et conpunctione dicatur, placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo et ad matutinos et ad missas et ad vesperam Deo propitio intromittatur...

*Can. 4.* Et hoc nobis iustum visum est, ut nomen domni Papae, quicumque sedi apostolicae praefuerit, in nostris ecclesiis recitetur. (MGH Concilia 1, 55-57).

## XVIII. CANONES CONCILIORUM AEVI MEROVINGICI

Selectos ex Conciliis Aevi Merovingici canones (ed. F. Maassen in MGH Concilia Aevi Merovingici, 1893) hic subiungimus. Saeculi VI 30 fere conciliorum in diversis regnis Merovingicis habitorum canones supersunt; saeculi VII vix quindecim.

42. *Concilium Aurelianense* (a. 538). *Can. 31.* Quia persuasum est populis die Dominico agi cum caballis aut bobus aut veiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum praeparari, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus exerceri, quae res ad Iudaicam magis quam ad Christianam observantiam pertineri probatur, id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat. De opere tamen rurali, id est arata vel vinea vel sectione, messione, excussione, exarto vel saepe, censuimus abstinendum, quo facilius ad ecclesiam venientes orationis gratiae vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis, quae interdicta sunt exercere, qualiter emundari debeat, non in laici districtione, sed in sacerdotis castigatione consistat.

*Can. 33.* Quia Deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus, Iudaei a die cenae Domini usque in secunda sabbati in pasca, hoc est ipso quatriduo, procedere inter Christianos neque catholicis populis se ullo loco vel quacumque occasione miscere praesumant.

(MGH Concil. 1, 82 s.).

43. *Concilium Aurelianense* (a. 541). *Can. 7.* Ut in oratoriis domini praediorum minime contra votum episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio pontificis observare praeceperit.

*Can. 26.* Si quae parrociae in potentum domibus constitutae sunt, ubi observantes clerici ab arcidiacono

civitatis admoniti secundum qualitatem ordinis sui fortasse, quod ecclesiae debent, sub specie domini domus implere neglexerint, corrigantur secundum ecclesiasticam disciplinam. Et si ab agentibus potentum vel ab ipsis rei dominis de agendo officio ecclesiae in aliquo prohibentur, auctores nequitiae a sacris ceremoniis arceantur, donec subsecuta emendatione in pace ecclesiastica revocentur.

*Can. 33.* Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere diocesim, primum et terras ei deputet sufficienter et clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur. (MGH Concil. I, 86 ss.).

44. *Concilium Aurelianense* (a. 549). *Can. 10.* Ut nulli episcopatum praemiis aut conparatione liceat adipisci, sed cum voluntate regis iuxta electionem cleri ac plebis sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum, a metropolitano vel quem in vice sua praemiserit, cum conprovincialibus pontifex consecretur [1]. Quod si quis per coemtionem hanc regulam huius sanctae constitutionis excesserit, eum qui per praemia ordinatus fuerit, statuimus removendum.

*Can. 11.* Item, sicut antiqui canones decreverunt, nullus invitis detur episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum cives aut clerici, quod dici nefas est, inclinentur. Quod si factum fuerit, ipse episcopus, qui magis per violentiam, quam per decretum legitimum ordinatur, ab indepto pontificatus honore in perpetuo deponatur.

*Can. 20.* Id etiam miserationis intuitu aequum duximus custodiri, ut qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab arcidiacono seu praeposito ecclesiae singulis diebus Dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum praeceptum divinum misericorditer sublevetur atque a pontifice instituta fideli et diligenti persona, quae necessaria provideat, competens victus de domo ecclesiae tribuatur.

*Can. 21.* Et licet propitio Deo omnium Domini sacerdotum vel quorumcumque haec cura possit esse fidelium, ut egentibus necessaria debeant ministrare, specialiter tamen de leprosis id pietatis causa convenit, ut unusquisque episcoporum, quos incolas hanc infirmitatem incurrisse tam territorii sui quam civitatis agnoverit, de domo ecclesiae iuxta possi-

---

[1] Conf. infra n. 105 c. 2; n. 106 c. 1.

bilitatem victui et vestitui necessaria subministret, ut non his desit misericordiae cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis constringit inopia. (MGH Concil. 1, 99 ss.).

**45.** *Concilium Matisconense* (a. 583). *Can. 5.* Ut nullus clericus sagum aut vestimenta vel calceamenta saecularia nisi quae religionem deceant induere praesumat. Quodsi post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste aut cum arma inventus fuerit, a senioribus ita coherceatur, ut triginta dierum conclusione detentus, aquam tantum et modici panis usu diebus singulis sustentetur. (MGH Concil. 1, 156).

**46.** *Concilium Matisconense* (a. 585). *Can. 15.* ... Statuimus, ut si quis saecularium honoratorum in itinere obviam habuerit aliquem ecclesiasticorum graduum usque ad inferiorem gradum honoris, veneranter sicut condecet Christianum, illi colla subdat, per cuius officia et obsequia fidelissima Christianitatis iura promeruit. Et si quidem ille saecularis equo vehitur, clericusque similiter, saecularis galerum de capite auferat et clerico sincerae salutationis munus adhibeat; si vero clericus pedes graditur et saecularis vehitur equo, illico ad terram defluat et debitum honorem saepe dicto clerico sincerae caritatis exhibeat... (MGH Concil. 1, 170 s.).

**47.** *Concilium Autissiodorense* (inter ann. 573 et 603).

*Can. 27.* Non licet, ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

*Can. 28.* Non licet, ut filiam uxoris suae quis accipiat.

*Can. 29.* Non licet, ut relictam fratris sui quis in matrimonio ducat.

*Can. 30.* Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in coniugio accipere.

*Can. 31.* Non licet consobrinam, hoc est, quae de duobus fratribus aut duabus sororibus procreantur in coniugium accipere, nec qui de ipsis nati fuerint, in coniugio socientur.

*Can. 32.* Non licet, ut nepos avunculi uxorem accipiat. (MGH Concil. 1, 182).

## XIX. VIGILIUS PAPA

Epistulas eius (aa. 537-555) authenticas — pariter ac praedecessorum eius ac successorum a Hormisda usque ad Gregorium I — nemo adhuc a spuriis critice secernendas et in unum collectas edendas curavit. In ipsis

Regestis Romanorum Pontificum a Jaffé et Kaltenbrunner a. 1885 editis, spuria foedissima pro authenticis recensentur (1). Inter authenticas certe numerandae sunt 8 epistulae, quas ad episcopos Arelatenses Vigilius scripsit (MGH EPP 3, 57-68); tres insuper quas in CSEL XXXV 1 sub nn. 83, 92, 93 habes; inter eas quae in ML 69 collectae sunt, praeter supra indicatas: decretalis ad Profuturum Bracarensem episcopum (ib. 15-19) et epistulae quinque ad causam 3 capitulorum spectantes (ib. 43-67). Certe spuriae sunt epistulae « *Scandala quae* » ad Eutychium (ib. 121-128) et subsequens « *Constitutum Vigilii pro damnatione 3 capitulorum* » (ed. E. SCHWARTZ in *Acta Conciliorum oecumenicorum* IIII, 2, 138-168, ML 69, 143-178) (2). Fons magni momenti ad cognoscendam Vigilii historiam est epistula quam clerus Italiae (Romae et Mediolani) scripsit ad legatos Francorum Byzantium a. 552 (?) proficiscentes, qua eos de omnibus quae in Vigilium et Dacium Mediolanensem episcopum Byzantii acta sunt, instruit (MGH EPP 3, 438-442, ML 69, 113-119). *Vitae* Silverii et Vigilii in LP (ed. Duchesne, I, 290-302) plurima continent, quae potius otiosae plebeculae rumusculos, quam sinceri historici narrationem sapiunt.

**48.** Dilectissimo fratri Caesario Vigilius.

Si pro observatione caelestium mandatorum catholicae filios Ecclesiae oportune vel inportune sacerdotes singulos decet instruere, quanto magis his, qui devotione laudabili de rebus sibi dubiis ad studium veniunt consulendum, conpetenti necesse est ordine responderi! Hinc est, quod gloriosi filii nostri, regis Theodeberti (3), interrogationem, qua nos per Modericum virum inlustrem legatum suum, credidit requirendos, duximus amplectendam; in qua gloriam suam desiderat informari, cuiusmodi paenitentia possit illius purgari delictum, qui cum uxore fratris sui inlicitum praesumpsit

---

(1) E. g. n. 909 epistula Vigilii ad Anthimum, Theodorum et Severum, qua Monophysiticam haeresim profitetur. (Conf. Liberati Breviarium, cap. 22, ML 68, 1041).

(2) Apud JAFFÉ-KALTENBRUNNER, nn. 936 et 937. Primam iam subscriptio codicis Paris. 1115 ex quo Petrus de Marca eam saec. XVII edidit maxime suspectam reddit, de qua conf. V. GARDTHAUSEN, *Griechische Paläographie*, II². 1913, p. 439; conf. etiam ML 68, 1093-1095. Alteram epistulam Vigilii esse primus affirmavit S. BALUZIUS, *Nova Collectio Conciliorum*, Paris, p. 1551 ss., quam tamen non Romani Pontificis sed alterius cuiusdam episcopi esse, ipse textus sententiae adversus 3 capitula probat (apud SCHWARTZ, l. c., p. 168, n. 165 ss., ML 69, 178).

(3) Theodebertus I rex Francorum, 534-547.

inire coniugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in subiectis inveniet, hoc indicare curavimus, quoniam tale commissum non parva cordis afflictione valeat expiari. Sed quia, sicut caritatem tuam bene nosse confidimus, modus paenitentiae praesentium potius sacerdotum inspectioni committitur, ut iuxta compunctionis meritum veniae quoque possit indulgeri remedium, tuae hoc potius aestimationi credidimus relinquendum. Quapropter caritas tua, totius facti qualitatem ac penitentis ipsius conpunctione perpensa, praedictum gloriosum regem, filium nostrum, et de temporis observatione non omittat instruere et, ne ulterius tale aliquid praesumatur, instanter exposcat, illud quam maxime praecavendo, ut nec ipse, qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus revertatur, sed divisis etiam habitationibus commanentes ab omni suspicione commissi facinoris reddantur inmunes.

*Deus te incolumem custodiat, frater carissime.*

Data pridie Nonas Maias, Flavio Iohanne viro clarissimo (1). (MGH EPP 3, p. 57, n. 38).

**49.** Dilectissimo fratri Aureliano Vigilius. ... Illud quoque credidimus sperandum, ut, quia scriptum est: «Frater fratrem adiuvans exaltabitur», et sicut de credentibus in Domino Actuum Apostolorum scriptura testatur: «Quia erat credentibus in Domino cor unum et anima una» ut sit fraternitas vestra in hac quoque parte sollicita et glorioso filio nostro Childeberto regi (2), quem christianitatis studio venerationem integram sedi apostolicae, cui nos Deus praeesse voluit, cognovimus exhibere, supplicare non desinas, quatenus in tanta rerum necessitate circa Ecclesiam Dei sollicitudinem suam, sicut et confidimus, christiana devotione persolvat: ut, quia Gothi cum rege suo in civitate Romana perhibentur ingressi (3), hoc ei dignetur scribere, ne

---

(1) a. 538, 6. mai.

(2) Childebertus I, rex Francorum aa. 511-558.

(3) Totila rex Gothorum, exeunte anno 549 vel ineunte 550 Romam iterum occupavit. Conf. L. P. ed. Duchesne, I, p. 298: «Habitavit rex cum Romanis quasi pater cum filiis». Eadem Vigilii de rebus Italiae cura manifestatur in ipsa Iustiniani «Pragmatica Sanctione» a. 554, quae incipit: «Pro petitione Vigilii venerabilis antiquioris Romae episcopi quaedam disponenda esse censuimus ad utilitatem omnium perti-

se in Ecclesiae nostrae praeiudicio, quippe velut alienae legis immisceat et aliquid faciat aut fieri qualibet ratione permittat, unde catholica possit Ecclesia perturbari. Dignum enim est et catholico, sicut est regi conveniens, ut fidem et Ecclesiam, in qua Deus illum voluit baptizari, omni debeat virtute defendere; scriptum est enim: « Vivo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo ». Festina ergo, frater carissime, ut in sancta fidei sinceritate persistentes, ecclesiarum pacem, quae vel a Deo per sacerdotii meritum tibi commissa est vel a nobis pro apostolica auctoritate vicaria potestate mandatur, competenti sollicitudine, Deo propiciante, custodias et vicarium te sedis nostrae dignis Deo manifestes operibus.

*Deus te incolumem custodiat, frater carissime.*

Data III. Kalendarum Maiarum, imperante domno Iustiniano perpetuo augusto anno XXIV, post consulatum Basili viri clarissimi anno IX. [1] (MGH EPP 3, 68).

**50.** [Epistula cleri Italiae ad legatos Francorum]. ...Missi sunt etiam aliqui in provincias Italiae, ut, si possint mentiendo aliqua de nomine ipsorum, hoc est beatissimi Papae et sancti episcopi Datii [2], odia eis in illis partibus faciant, et in locum eorum alios episcopos qui novitatibus consenciant, suadeant ordinari, in tantum ut et unum notarium ex servis beatissimi Papae progenitum simul sollicitaverint, qui manum sancti Papae imitari dicitur, et quantum conperimus, cartas aliquas de nomine ipsius falsas conscribi fecerunt, et cum ipsis cartis Stephanum quendam de ipsis quos sollicitaverunt ad Italiam cum legatis Gothorum miserunt, ut per falsitates et dolos aliquorum animos contra beatissimum Papam, quod Deus fieri non permittat, in illis partibus excitare videantur. Unde rogamus et contestamus gloriam vestram per futurum Dei nostri iudicium, quod omnis conditio humana formidat, ut ad provincias vestras haec

---

nentia, qui per occidentales partes habitare noscuntur ». *Corpus Iuris Civilis, Novellae*, edd. SCHOELL-KROLL, Berolini 1912, p. 799 ss.

[1] A. 550, 29 aprilis.

[2] Eodem probabiliter tempore scripsit Florianus abbas monasterii Romeni Nicetio Treverensi episcopo: « ... praecor, ut pro beatissimo viro, domino meo Datio episcopo, fratre vestro, semper oretis » (MGH EPP 3, 117). Conf. F. SAVIO, *Gli antichi Vescovi d'Italia*, I, *Milano*, p. 224-233.

omnia velociter indicetis, ne aut isti subripiant qui missi sunt, aut Anastasius quidam, quem sanctus episcopus Aurelianus Arelatensis civitatis ad beatissimum Papam ante hoc biennium direxerat, ibidem in Gallias aliqua mentiatur, quia et ipse, cum de Constantinopoli exire non posset, usus est consilio, ut promitteret, se omnium episcoporum Gallicanorum ad damnanda capitula, pro quibus haec scandala orta sunt, animos inclinare. Cui et praemia plurima dantes, districte ibi de hoc implendo sacramenta praestare fecerunt, et non permiserunt per eundem Anastasium beatissimum Papam, quid in ipsa causa ageretur, fratribus suis, episcopis Gallicanis, scribere, nisi tantum de aliis causis, et quia fidem catholicam et 4 sinodorum reverenciam secundum traditionem patrum custodit atque conservat... (MGH EPP 3, 441).

## XX. PELAGIUS I. PAPA

« Pelagii I epistulae atque historia spissis tenebris obrutae sunt eruntque, dum « Collectionis Britannicae » (1) nihil nisi laciniae sine ordine et consilio publicatae sunt, cetera et gravissima foede iacent neglecta». Quod de Pelagii I historiae fontibus iudicium ante 15 fere annos Eduardus Schwartz tulit (2), verum est et hodie. Epistulae eius editae 100 (a.. 555-560) per diversas collectiones dispersae latent (3). Praeter « Collectionem Britannicam » plurimas eius epistulas servavit Cardinalis Deusdedit Collectio Canonum (4), a. 1087 ex antiquis registris Romanorum Pontificum aliisque fontibus compilata. Dum adhuc diaconus esset Pelagius, scripsit tractatum *In defensione trium capitulorum*, quem adhuc ineditum mox editurus est v. cl. R. Devreesse.

**51.** Dilectissimo fratri Sapaudo Pelagius.

Quia legati filii nostri gloriosissimi, regis Childeberti, beatorum apostolorum Petri et Pauli et aliorum sanctorum martyrum reliquias poposcerunt, necesse habuimus, hominem Bonum subdiaconum de clero nostro dirigere, qui eas usque ad fraternitatem tuam cum reverentia deportaret. Et ideo salutantes hortamur, ut, quaesita occasione sive navis, sive terreno cum talibus personis, de quibus nulla periculi

(1) Vide supra n. VIII.

(2) Acta Conciliorum oecumenicorum 4, 2, p. XXIII, nota 1.

(3) Conf. JAFFÉ-KALTENBRUNNER, *Regesta Pontif. Rom.*, nn. 938-1038).

(4) Ed. V. WOLF v. GLANVELL, Paderborn, 1905.

possit esse suspicio ad nos eum, iuvante Domino, remittatis... Praeterea hortamur, ut viro magnificentissimo, filio nostro, patricio Placido, genitori tuo dicas, ut, quod de pensionibus possessionum ecclesiae nostrae collectum est, aut per suum hominem aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem; quia Italiae praedia ita desolata sunt (1), ut ad recuperationem earum nemo sufficiat. Et si possibile est, ut nobis de ipsis solidis saga tumentacia, quae pauperibus erogari possint et tunicas albas aut cucullas vel colobia aut, si quae aliae species in provintia fiunt, quae pauperibus, ut diximus, erogari debeant nobis exinde facite comparari et, opportunitate navis inventa, dirigite, ut maximas fraternitati tuae gratias referamus, dum huiusmodi sollicitudinem nostram providentia caritatis tuae relevari contigerit. Hortamur etiam, ut Anastasium, fratrem Pauli defensoris ecclesiae nostrae, ad nos faciatis occurrere.

*Deus te incolumem custodiat frater carissime.*

Data XIX Kalendas Ianuarias anno XV post consulatum Basili viri clarissimi (2). (MGH EPP 3, 72 s.).

**52.** [Pelagius] Symeoni illustri. Obliti sumus de epistola tibi scribere, quam se Emilie episcopi a nobis directam de Constantinopoli habere confingunt. Nec aliquam epistolam, quando in causa trium capitulorum in diaconatus officio agebamus ad Italiam misimus; sed hoc, quod fecimus nec negavimus nec aliquando negamus, id est: refutatorium ad Papam Vigilium, quando me dampnare volebat, et sex libros in defensionem capitulorum clausus (3) per diversa monasteria et exilia, non habens codicem, sed que mihi scripto diversi heretici, qui scandala semper Ecclesie generare moliuntur, secrete mittebant; propter istas cartas si epistolam meam in diaconatu de ista causa factam aliquis se habere dicit, aperte mentitur. (NA V, p. 561, n. 68).

---

(1) Conf. Pelagii epistulam ad Boetium praefectum praetorio per Africam: «Romana, cui Deo auctore praesidemus ecclesia post continuam XXV et eo amplius annorum uastationem bellicam in Italiae regionibus accidentem et pene adhuc minime discedentem, non aliunde nisi de peregrinis insulis aut locis clero pauperibusque, etsi non sufficiens uel exiguum tamen stipendium consequitur» (DEUSDEDIT, *Collectio Canonum*, III, 126, ed. V. WOLF von GLANVELL, p. 322.

(2) a. 556, Dec. 14.

(3) ed. clausos.

# XXI. S. NICETIUS

Treverensis episcopus (527 - c. 566), inter sanctos pastores qui post Romani imperii per Gallias ruinam, Francis barbaris ad mores christianos et cultiorem vitam inducendis operam navabant, eminet. Conciliorum subscriptiones testantur eum interfuisse synodis Arvernensi a. 535, Aurelianensi a. 549, Parisiensi a. 552. De eius vita et gestis plura narrat s. Gregorius Turonensis in libro Vitae Patrum cap. 17 (MGH SS RR Merov. I 2, p. 727-733; ML 71, 1077-1084). Epistulas nonnullas episcoporum, abbatum ad Nicetium datas habes in MGH EPP 3, p. 116-137, nn. 5, 6, 11, 21, 24. Ipsius Nicetii duae tantum *epistulae* servatae sunt (ib. nn. 7 et 8), quarum altera ad Chlodosvindam, Alboini Longobardorum regis uxorem directa, singulare de ferventissimo cultu Sanctorum per Gallias tunc vigente testimonium exhibet (1).

**53.** Dominae clementissimae in Christo filiae Hlodosuindae reginae (2) Nicetius peccator... Te, domna Hlodosuinda, per tremendum diem iudicii coniuro, ut hanc epistulam et bene legas et bene illi (3) et frequenter exponere studeas et ut ipsum interroges: Quis est Salvator? Patrem dicunt esse Salvatorem an Filium?

Quid nos ire per singula? Ad duodecim discipulos, quos habuit, et habet veniamus, quia ipsi Gothi (4) hodie ipsis venerationem inpendent et reliquiis eorum; sed furtim tollent, sed nihil ibi habent, ... Quid est, quod nihil ibidem praesumere audent, nisi furtive, ut canes a foris, animas decipient; cum illis suos fideles rex Alboenus ibidem mittat, et ad domni Petri, Pauli, Iohannis vel reliquorum sanctorum limina perducat? Ibidem missas facere, si audent, deliberent; sed non audent, quia domni Petri discipuli non apparent et contrarii Christi esse probantur: quia, quod per crucem ipse redemit,

---

(1) Quae Nicetio adtribuuntur (ML 68, 365-376) opuscula duo «De vigiliis servorum Dei» et «De Psalmodiae bono» sunt Nicetae episcopi urbis Remesiana (saec. V in.), de quo v. JTHS, XXII, p. 204 ss., XXIII, p. 225 ss.

(2) Filia Chlothari I Francorum regis.

(3) Alboino regi, Ariano, quo duce Longobardi a. 568 Italiam invaserunt.

(4) Quaeri potest, de quibusnam Gothis sermo sit. Gothorum in Italia regnum a. 552 destructum est; Wisigothos in Hispania Apostolorum reliquias venerasse aliunde non constat.

distruere infelices inveniuntur. Qua causa venena eorum talis rex et talis aetas percipit. Hic, si iubet, ad domnum Martinum per festivitatem suam, quam undecima dies facit Novemb., ipsos mittat, et ibi, si audent, aliquid praesumant, ubi caecos hodie inluminari conspicimus, ubi surdos auditum et mutos sanitatem recipere. Nam quid dicam de leprosis, aut de aliis quampluris, qui quanta et quanta debilitate percussi sunt, ibidem per singulos annos — sed per singulos annos alii et alii — sanantur? Et fortasse dicunt: Confingunt vel caecos. Quia caeci a nativitate esse videntur, quid dicunt, cum inde inluminatos conspicimus, et ad propria, Deo miserante, sanos reverti videmus? (1) Nam quid dicam adhuc de domnis Germano, Hilaro vel Lupo (2) episcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo: ubi tribulantes, id est daemonia habentes, in aëra suspensi torquentur, et dominos, quos dixi, esse confitentur? Numquid in ecclesiis eorum sic faciunt? Non faciunt, quia Deum et dominos sanctos ibi habitare non sentiunt: daemon daemonem non exorcizat, nam ubi sancti habitant, daemon vagari non dimittitur. Ideo fit, ut locus, ubi Deus est, ostendatur. Quid de domno Remigio et domno Medardo (2) episcopis, quos tu, ut credo, videras? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audisti, ava tua, domna bonae memoriae Hrodehildis, qualiter in Francia venerit, quomodo domnum Hlodoveum ad legem catholicam adduxerit (3); et, cum esset homo astutissimus, noluit adquiescere, antequam vera agnosceret. Cum ista, quae supra dixi, probata cognovit, humilis ad domni Martini limina cecidit et baptizari se sine mora promisit, qui baptizatus, quanta in hereticos Alaricum vel Gundobadum (4) regem fecerit, audisti; qualia dona ipse vel filii sui in saeculo possiderunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboenus rex esse dicitur, talis fama, quem mundus sic preponit, quare non convertitur, aut quare tardus ad requirendam viam salutis apparet?..

(MGH EPP 3, 119-122).

---

(1) Plurima miracula similia habes in s. Gregorii Turon. ll. 4 De miraculis s. Martini (MGH SS RR Merov. I 2, 584-661; ML 71, 911-1010).

(2) Episcopi Autissiodorensium († 448), Pictavensium († 367), Tricassinorum († 479) et Tornacensium († c. 550).

(3) Conf. infra n. 63 et supra p. 23 n. 1.

(4) Conf. supra n. XII; infr. p. 60 n. 1.

# XXII. FL. M. AUR. CASSIODORUS SENATOR

Inter viros qui de re publica et de Ecclesia saec. VI bene meruerunt, Cassiodorus facile primus est. Cursum honorum ingressus, quaestor fuit regis Theoderici a. 507, eiusque edicta dictabat usque ad a. 511, consul ordinarius a. 514, magister officiorum ultimis annis Theoderici et sub Athalarico Theoderici successore, corrector Lucaniae et Bruttii, praefectus praetorio a. 533. Totis viribus instabat magno Theoderici consilio uniendi Gothos et Romanos instaurandique Romani imperii. Gothorum regno per Byzantinos everso, inter aa. 540 et 555 mundo valedixit et in praedio suo Vivarium monasterium instituit, ibique pietati et scientiis ecclesiasticis operam navans usque ad 93 aetatis annum vixit († c. a. 580). Quae regum Gothorum, aut dum praefectus praetorio esset, proprio nomine dictabat edicta, collegit a. 537 12 libris, quos *Variae* intitulavit. (LL 1-5 edicta Theoderici, 6-7 formulae cancellariae, 8-9 edicta Athalarici, 10 edicta Amalasuinthae, Theodahad, Vitigis, 11, 12 edicta Cassiodori praefecti, ed. Mommsen in MGH AA 12, conf. ML 69, 501-880). Hisce 12 libris a. 540 decimum tertium *De anima* (!) addidit (ML 70, 1279-1308). De eius « Historia Gothorum » non supersunt nisi excerpta in Iordanis (a. 551) opere *De origine actibusque Getarum* (MGH AA 5, 1). Quae monachus scripsit, ipse indicat in praefatione operis *De orthographia* (ML 70, 1240 s.). Eminent inter ista eius *Institutiones divinarum litterarum* (ML 70, 1105-1150) et *Institutiones humanarum lectionum* (ML 70, 1150-1220). In latinam linguam ex graeca translatas ipso auctore ab Epiphanio scholastico historias ecclesiasticas Theodoreti, Sozomeni, Socratis in corpore 12 librorum (*Historia tripartita*, ML 69, 879-1214) edidit, similiter et Iosephi Flavii Antiquitates Iudaicas.

**54.** *Var. III* 24. Universis Barbaris et Romanis per Pannoniam constitutis Theodericus rex [1].

Institutum suum providentia nostra non deserit, cum subiectis semper intenta profutura disponit, ut ad maiorem devotionem concitentur qui sui curam nos habuisse cognoscunt. Hinc est quod Colosseo viro illustri nomine viribusque praepotenti, gubernationem vestram defensionemque commisimus, ut qui suae multa dedit hactenus experimenta virtutis, augeatur potius in futuris. Atque ideo parientiam vestram

---

[1] a. 507/511.

saepius approbatam nunc quoque eidem praesenti monstrate, quatenus in his quae pro regni nostri utilitate rationabiliter agenda praeceperit, devotione probabili compleantur : quia fidem constantia probat et ille integritatem propriae asserit mentis, qui iugibus persistit obsequiis. Illud praeterea vos credimus ammonendos, ut non in vos, sed in hostem saevire cupiatis. Res parva non vos ducat ad extrema discrimina. Adquiescite iustitiae, qua mundus laetatur. Cur ad monomachiam [1] recurratis, qui venalem iudicem non habetis? Deponite ferrum, qui non habetis inimicum. Pessime contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriose moriendum. Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? Aut pax esse unde creditur, si sub civilitate pugnetur? Imitamini certe Gothos nostros, qui foris praelia; intus norunt exercere modestiam. Sic vos volumus vivere, quemadmodum parentes nostros cernitis Domino praestante floruisse. (MGH AA 12, 91 s.).

**55.** *Var. VIII,* 24. Clero Ecclesiae Romanae Athalaricus rex [2].

Tanto Divinitati plurima debemus, quanto a ceteris mortalibus maiora suscipimus : nam quid simile rependat Deo, qui potitur imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compensari possit idonee, ipsi tamen gratia redditur, dum in servientibus honoratur. Itaque flebili aditione causamini hoc fuisse longae consuetudinis institutum, ut si quis sacrosanctae Romanae ecclesiae servientem aliqua crederet actione pulsandum, ad supradictae civitatis antistitem negotium suum dicturus occurreret, ne clerus vester forensibus litibus profanatus, officiis potius saecularibus occupetur : addentes diaconum quoque vestrum ad contumeliam religionis tanta executionis acerbitate compulsum, ut saius [3] eum propriae custodiae crederet mancipandum. Presbyterum quin

---

[1] Aliter eodem fere tempore (a. 502) de monomachia statuit Gundobadus rex Burgundionum in Lege Gundobadi (Lex Gombata, Loi Gombette) cap. 45 : « ... si pars eius, cui oblatum fuerit sacramentum, noluerit sacramenta suscipere, sed adversarium suum veritatis fiducia armis dixerit posse convinci, et pars diversa non cesserit, pugnandi licentia non negetur » (MGH LL 3, 551). Conf. infr. n. 317.

[2] a. 527?

[3] Saius, Gothici regiminis per Italiam minister publicus, de quo conf. Var. V 5, VII 42.

etiam Romanae ecclesiae pro levibus causis asseritis criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reverentia, quam nostro debemus auctori, displicuisse profitemur, ut qui pridem sacris meruerant inservire mysteriis, conventionibus inreverenter expositi nefariis iniuriis subiacerent. Sed aliorum plectenda subreptio nobis contulit plenissimae laudis eventum, ut causa contigeret praestandi, quae nos coelestibus commendaret auxiliis. Atque ideo considerantes et apostolicae sedis honorem, et consulentes desiderio supplicantum praesenti auctoritate moderato ordine definimus, ut si quispiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem in qualibet causa probabili crediderit actione pulsandum, ad beatissimi Papae iudicium prius conveniat audiendus, ut aut ipse inter utrosque more suae sanctitatis cognoscat aut causam deleget aequitatis studio terminandam, et si forte, quod credi nefas est, competens desiderium fuerit petitoris elusum, tunc ad saecularia fora iurgaturus occurrat, quando suas petitiones probaverit a supradictae sedis praesule fuisse contemptas. Quod si quis exstiterit tam improbus litigator atque omnium iudicio sacrilega mente damnatus, qui reverentiam tantae sedi exhibere contemnat et aliquid de nostris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conventionis effectum X librarum auri dispendio feriatur, quae a palatinis sacrarum largitionum protinus exactae per manus saepe memorati antistitis pauperibus erogentur, carensque impetratis negotii quoque sui amissione multetur. Dignus est enim duplici poena percelli, qui et divinam reverentiam et nostra iussa temeravit. Sed item vos quos iudicia nostra venerantur, ecclesiasticis vivite constitutis. Magnum scelus est crimen admittere, quos nec conversationem decet habere saecularem; professio vestra vita coelestis est. Nolite ad mortalium errores et humilia vota descendere. Mundani coerceantur humano iure, vos sanctis moribus oboedite. (MGH AA 12, 255).

**56.** *Var.* XI, 2. Ioanni Papae Senator Praefectus Praetorio [1].

Supplicandum vobis est, beatissime pater, ut laetitiam quam per vos Deo largiente percepimus, custodiri nobis ve-

(1) a. 533.

stris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui a Domino diligi non meremur, et permutatione officii bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem ieiuniis fames est exclusa popularis : decoris lacrimis tristitia foeda discessit, et per sanctos viros acceleratum est, ne traheret diutius quod gravabat. Et ideo salutans officiositate, qua dignum est, precor ut vivacius oretis pro salute regnantium, quatenus eorum vitam coelestis Princeps faciat esse longaevam, Romanae reipublicae hostes imminuat, tempora tranquilla concedat : deinde quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiae suae horreis largiatur : mihique filio vestro intelligentiae sensus aperiat, ut quae vere sunt utilia, sequar, quae vitanda, refugiam. Vigor ille rationabilis animae nobis consilium praestet; facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea; sequamur quod intus est, ne foris a nobis simus : instruat quod de vera sapientia sapit : illuminet quod caelesti claritate resplendet. Talem denique iudicem publicus actus excipiat, qualem filium catholica mittit Ecclesia. In suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat, quia graviores insidias antiqui adversarii tunc subimus, quando eius dona suscipimus. Nolite in me tantum reicere civitatis illius curam, quae potius vestra laude secura est. Vos enim speculatores Christiano populo praesidetis : vos patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet cogitare aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritaliter commissum vobis gregem : tamen nec ista potestis neglegere, quae corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est utraque refovere : Primum penuriam temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amovere. Si quid tamen, quod absit, acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub ubertate tractatur. Monete me quae sunt gerenda sollicite. Bene agere vel correptus exopto, quia difficilius errat ovis quae voces desiderat audire pastoris nec facile efficitur vitiosus, cui ammonitor institit assiduus. Sum quidem iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus : nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus. Sed cum me a vobis desiderem et moneri consiliis, et orationibus adiuvari, iam vobis est applicandum, si quid in me fuerit aliter quam optabatur inventum. Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, que licet generalis mundo sit

praestita, nobis etiam cognoscitur et localiter attributa. Tenemus aliquid sanctorum Apostolorum proprium, si peccatis dividentibus non reddatur alienum, quando confessiones illas, quas videre universitas appetit, Roma felicior in suis sinibus habere promeruit. Nil ergo timemus talibus patronis, si oratio non desistat Antistitis. Arduum est quidem multorum desideriis satisfacere, sed novit Divinitas magna praestare. Ipsa retundat invidos, ipsa nobis faciat cives coelesti aspiratione gratissimos et supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superna gratia praedicetur indulta. (MGH AA 12, 331 s.).

**57.** *De inst. divin. litter. Praefatio.* Cum studia saecularium litterarum magno desiderio fervere cognoscerem, ita ut multa pars hominum per ipsa se mundi prudentiam crederet adipisci, gravissimo sum, fateor, dolore permotus, quod Scripturis divinis magistri publici deessent, cum mundani auctores celeberrima procul dubio traditione pollerent. Nisus sum ergo cum beatissimo Agapito papa [1] urbis Romae, ut, sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum ab Hebraeis sedulo fertur exponi, collatis expensis in urbe Romana professos doctores scholae potius acciperent Christianae, unde et anima susciperet aeternam salutem, et casto atque purissimo eloquio fidelium lingua comeretur. Sed cum per bella ferventia et turbulenta nimis in Italico regno certamina [2], desiderium meum nullatenus valuisset impleri, quoniam non habet locum res pacis tempore inquietis, ad hoc divina charitate probor esse impulsus, ut ad vicem magistri introductorios vobis libros istos, Domino praestante conficerem... (ML 70, 1105-1106).

**58.** *De inst. divin. litterar., cap. 30.* Ego tamen fateor votum meum, quod inter vos quaecumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum mihi studia, — si tamen veraciter scribant — non immerito forsan plus placere; quod et mentem suam relegendo Scripturas divinas salubriter instruant, et Domini praecepta scribendo, longe lateque disseminent. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu

---

(1) aa. 535-536.

(2) Bella inter Byzantinos et Gothos aa. 535-552.

hominibus praedicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera satanas accipit, quot antiquarius Domini verba describit...

(ML 70, 1144-45).

## XXIII. S. MARTINUS DUMIENSIS

c annum 550 ex Oriente, quo locorum sanctorum visitandorum gratia ex patria Pannonia se contulerat, in Gallaeciam advectus, 30 fere annorum labore primo Dumiensis monasterii abbas et episcopus, post Bracarensis sedis episcopus metropolitanus, Suevorum gentem, tunc ab Ariana haeresi ad catholicam fidem conversam, in fide et pietate instituit. Interfuit a. 561 synodo Bracarensi primo, praefuit secundo a. 572 (ML 84, 562 ss.). Obiit a. 580. De eius *Vita* nonnulla narrant Gregorius Turonensis (Histor. Francorum V, 37, MGH SS RR Merov. I 1, p. 229) et Isidorus Hispalensis (De viris illustribus c. 35, ML 83, 1100). Inter opuscula eius, praeter ethica et ascetica (ML 72, 21-48), notanda sunt: Epistula *De trina mersione*, ritum baptismi dilucidans (Collectio Conciliorum Hispaniae, ed. Aguirre, III², Roma 1753, p. 402-403), tractatus *De Pascha* (ML 72, 47-52) et sermo *De correctione rusticorum*, pretiosissimum documentum ex quo cognoscimus tum superstitiones paganas inter Christianos illius regionis superstites, tum modum quo sanctus episcopus in extirpandis istis procedebat (ed. C. P. Caspari, *Martin von Bracaras Schrift De Correctione rusticorum*, Christiania 1883).

**59.** *De correctione rusticorum*, cap. 11. Iam quid de illo stultissimo errore cum dolore dicendum est, quia dies tinearum et murium obseruant, et si dici fas est, ut homo Christianus pro deo mures et tineas ueneretur. Quibus si per tutelam cupellae aut arculae non subducantur, aut panis aut pannus, nullo modo, proferendo sibi exhibitis, quod inuenerint, parcent. Sine causa autem miser homo sibi istas praefigurationes ipse facit, ut, quasi sicut in introitu anni satur est et laetus ex omnibus, ita illi et in toto anno contingat. Obseruationes istae omnes paganorum sunt per adinuentiones daemonum exquisitae. Sed uae illi homini, qui Deum non habuerit propitium, et ab ipso saturitatem panis et securitatem uitae non habuerit datam! Ecce istas superstitiones uanas aut occulte, aut palam facitis, et numquam cessatis ab istis sacrificiis daemonum. Et quare uobis non praestant, ut semper

saturi sitis et securi et laeti? quare quando Deus iratus fuerit, uos non defendunt ista sacrificia uana de locusta, de mure, et de multis aliis tribulationibus, quas uobis Deus iratus immittit?...

16. ... Et quomodo aliqui ex uobis, qui abrenuntiauerunt diabolo et angelis eius et operibus eius malis, modo iterum ad culturas diaboli reuertuntur? Nam ad petras et ad arbores, et ad fontes et per triuia cereolos incendere, quid est aliud nisi cultura diaboli? Diuinationem et auguria (1) et dies idolorum obseruare, quid est aliud nisi cultura diaboli? Uulcanalia et Kalendas obseruare, mensas ornare, lauros ponere, pedem obseruare, effundere [in foco] super truncum frugem et uinum, et panem in fontem mittere, quid est aliud, nisi cultura diaboli? Mulieres in tela sua Mineruam nominare et Ueneris diem in nuptias obseruare et quo die in uia exeatur adtendere, quid est aliud, nisi cultura diaboli? Incantare herbas ad maleficia et inuocare nomina daemonum incantando, quid est aliud, nisi cultura diaboli? Et alia multa, quae longum est dicere... (2)

(Caspari, pp. 14-17 et 29-34).

**60.** *Concil. Bracarense I* (a. 561) ... (3) Omnes episcopi dixerunt: Necessarium et valde utile hoc arbitramur, ut ea quae apud unumquemque nostrum varia et inordinata consuetudine retinentur, unito inter nos per Dei gratiam et concordiam celebrentur officio, et idcirco si quid illud est magnum vel parvum quibus variari videmur, ad unam sicut dictum est, formulam praefixis rationabiliter capitulis revocetur: praecipue cum et de certis quibusdam causis instructionem apud nos sedis apostolicae habeamus, quae ad interrogationem quondam venerandae memoriae praecessoris tui Profuturi ab ipsa beatissimi Petri cathedra directa est.

Lucretius episcopus dixit: Recte vestra fraternitas pro auctoritate sedis apostolicae reminiscita est, quae licet eodem tempore innotuerit quo directa est, tamen pro firmitate testi-

---

(1) Cf. Concilia Toletana XII, a. 681 can. 11 et XVI a. 693 can. 2, contra « veneratores lapidum, accensores facularum, excolentes sacra fontium vel arborum, auguratores seu praecantatores » (ML 84, 479 et 537).

(2) Conf. supra n. 38; infr. n. 199.

(3) Conf. DENZINGER nn. 231-245.

monii et instructione multorum, si vestrae unanimitati complacet, quia prae manibus est, coram his omnibus relegatur.

Omnes episcopi dixerunt: Iustum est, ut quia mentio ipsius auctoritatis est habita, quae sit eius doctrina a circumstantibus audiatur.

Relecta est auctoritas sedis apostolicae ad quondam Profuturum directa episcopum, quae propter prolixitatem his gestis minime est inserta. Post cuius lectionem Lucretius episcopus dixit:

Manifestius patet apostolicam nobis opitulari doctrinam; et ideo sicut fraternitas vestra praedixit, si quid per ignorantiam apud quosdam variat, ad uniformem concordiae regulam praescriptis inter nos capitulis astringatur.

Proposita sunt igitur capitula et relecta, quae continent haec:

1. Placuit omnibus communi consensu ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur, et non diverse ac private, neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula sint permixtae.

2. Item placuit ut per solemnium dierum vigilias vel missas omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia legant...

4. Item placuit, ut eodem ordine missae celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam huius metropolitanae ecclesiae episcopus ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum (1).

5. Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem praetermittat, quem et antea tenuit metropolitana Bra-

(1) Cf. Vigilii epistulam ad Profuturum: «Ordinem quoque precum in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate habere diversum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero paschalis aut ascensionis Domini, vel Pentecostes, et Epiphaniae Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subiungimus, quibus commemorationem sanctae solemnitatis aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: caetera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicae precis textum direximus subter adiectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat quibus locis aliqua festivitatibus apta connectimus, paschalis diei preces simul adiecimus.» (ML 84, 832). Quae Vigilius se huic epistulae addidisse asserit, perierunt. Conf. tamen Canonem Romanum in *The Stowe Missal* ed. G. Warner in *H. Bradshaw Society*, 32, 2, p. 10 ss.

carensis ecclesia, et pro amputanda aliquorum dubietate praedictus Profuturus ab episcopis scriptum sibi et directum a sede beatissimi Petri suscepit...

18. Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sanctorum sepeliantur, sed si necesse est, de foris circa murum basilicae usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitus murorum cuiuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere. (ML 84, 565-567).

## XXIV. PELAGIUS II. PAPA

Gothica ex stirpe ortus («de patre Winigildo» LP I, p. 309), electus est a 578 «absque iussione principis (1), eo quod Langobardi obsiderent civitatem Romanam» (ib. p. 309). Inter sex epistulas eius authenticas (MGH EPP 2, 440-467; 3, 448-450; ML 72, 703-745, ubi tamen n. VI [p. 738-744] spuria, et quae p. 745-750 adduntur, Pelagii I sunt); singulare momentum habent tres epistulae ad episcopos Istriae, schismati ex causa 3 Capitulorum tempore Vigilii orto adhaerentes (MGH EPP 2, 442-467, ACO 4, 2, 105-132, ML 72, 706-738).

**61.** Dilectissimo fratri Aunario (2) Pelagius. ... Si enim mundo venerabilem iudicatis hanc urbem, si ad pacem sedis apostolicae cunctarum regere ecclesiarum moderamina praedicatis: quid non et tribulationes nostras et temporales angustias caritatis compassione gemiscitis scientes divino per Apostolum nobis ore mandari, ut nos invicem diligamus, ut

(1) Ex quo Italia Byzantinorum dominio subiecta est, a clero et laicis Urbis post electionem novi Pontificis ita ad imperatorem scribebatur: «... Ideoque lacrimabiliter cuncti famuli supplicamus ut dominorum pietas servorum suorum obsecrationem dignanter exaudiat et concessa pietatis suae iussione, petentium desideria... ad effectum de ordinatione ipsius precipiat pervenire, quatenus per sacros clementiae vestrae apices sub pastore eodem constituti pro vita imperioque serenissimorum dominorum nostrorum omnipotentem Dominum et b. Petrum apostolorum principem, cuius ecclesiae dignum ordinari gubernatorem conceditis, iugiter exoremus» *Liber Diurnus Rom. Pontificum*, ed. Th. v. Sickel, Vindobonae 1889, formula 58, p. 48. Conf. infr. n. XXVIII.

(2) Autissiodorensi episcopo.

onera invicem nostra portemus, ut quociens fratrum quicumque uritur, nos uramur, dum paene in conspectu vestro tantus sanguis innocentium sit effusus, ita sacra violentur altaria, ita catholicae fidei ab idolatris insultetur? ... Propter quod vos decuerat, qui illic catholicae membra estis Ecclesiae, uni corpori unius capitis gubernatione coniuncta, omnibus quibus viribus valeretis, paci quietique nostrae pro ipsa sancti Spiritus unitate concurrere. Nec enim credimus ociosum nec sine magna divinae providentiae ammiratione dispositum, quod vestri reges Romano imperio in orthodoxae fidei confessione sunt similes: ut huic urbi, ex quo fuerat oriundum, vel universae Italiae finitimos adiutoresque praestaret. Cavete igitur, karissime frater, ne, dum regibus vestris iuvandi nos virtus sit data divinitus, caritatis vestrae circa nos lenitas arguatur, qui illis et in fide et in consiliis vestro sacerdotio sic devotis suadere talia aut negligitis aut difertis. Sacras autem reliquias, quas et tua caritas et gloriosissimus filius noster petiit dirigendas, cum coherente sibi sanctificatione transmisimus. Propter quod nihilominus ammonemus, ut, quorum virtutem quaeritis, eorum templa a pollucione gentium liberari, in quantum vobis est possibile, festinetis et vestris regibus instantissime suadeatis, quatenus ab inimiciciis et coniunctione nefandissimi hostis Langobardorum salubri se provisione segregari festinent, ne dum illorum vindictae tempus advenerit, sicut et celere fieri divina miseratione confidimus, eorum etiam illi inveniantur esse participes... Data III Nonas Octobris, imperante domno Tiberio Constantino [1] augusto anno VI [2], consulatus eiusdem anno regn.

(MGH EPP 3, 448 s.).

**62.** Pelagius episcopus dilecto filio Gregorio [3] venerabili diacono. Omnia quidem quae necessaria fuerunt, per Honoratum notarium tibi curavimus indicare, quem cum fratre et coepiscopo Sebastiano ad dilectionem tuam direximus, ut, quia in illis partibus ad Ravennam usque nunc cum viro gloriosissimo domno Decio patricio fuit, ipse sua relatione te

---

[1] Codd. et ed. cit. «Constantinopole», corrigendum videtur «Constantino» (Fl. Tiberius Constantinus).

[2] Octob. 5, 580.

[3] S. Gregorius Magnus, tunc Pelagii apocrisiarius Constantinopoli.

ex omnibus studeat informare vel, si qua necessaria iudicaveris, possit domno imperatori suggerere, quia tantae calamitates ac tribulationes nobis a perfidia Langobardorum illatae sunt contra suum proprium iusiurandum, ut nullus possit ad referendum sufficere. Praedictum autem fratrem Sebastianum quo modo susceperimus vel in quali apud nos te suggerente fuerit caritate, ipsius poteris relatione cognoscere. Qui etiam promisit nobis necessitates vel pericula totius Italiae piissimo domno imperatori suggerere. Loquimini ergo et tractate pariter, quo modo nostris celerius possitis subvenire periculis, quia ita hic coangustata est respublica, ut, nisi Deus piissimi in corde principis impetraverit, ut insita sibi misericordia suis famulis largiatur et super illam diacoposin (?) vel unum magistrum militum et unum ducem dignetur concedere, in omni simus angustia destituti, quia maxime partes Romanae omni praesidio vacuatae videntur et exarchus scribit nullum nobis posse remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere... Data IV non. Octubr. indictione III [1]. (MGH EPP 2, 440 s.).

## XXV. S. GREGORIUS TURONENSIS

Circa a. 538 apud Arvernos ex senatoria stirpe oriundus, ab a. 573 episcopus Turonensis, obiit a. 594. Eius opera fontes eximii sunt ad cognoscendam historiam Ecclesiae in regnis Merovingicis saec. VI. Eminent inter ista ll. 10 *Historiae Francorum* (MGH SS RR Merov. I, 1; Collection de textes pour servir à l'étude et à l'enseignement de l'histoire, fasc. 2 e 16, Paris. 1886 et 1894; ML 71, 163-572), quorum maior pars (ll. 5-10) inter aa. 580-91 conscripta, narrationem historiae auctori coaevae continent. Gregorius plurimas Galliae urbes peragravit, reges, reginas, episcopos aliosque viros illustres vidit et audivit, eorum crimina et virtutes sine ira et studio memoriae servavit. Singularia monumenta historiae illius aevi sunt Gregorii opera hagiographica, praecipue *L. in gloria martyrum* (MGH I 2, 484-561, ML 71, 705-809), *LL. 4 de virtutibus s. Martini* (MGH ib., 584-661, ML 71, 913-1010), *L. de passione et virtutibus s. Iuliani martyris* (MGH ib., 562-584) ex quibus praeter plurima facta miraculosa egregie fidem populi magnam eiusque manifestationes varias cognoscimus, passim vero et credulitatem. Historias plurium Sanctorum Galliae saecc. V et VI narrat in libris *Vitae patrum* (MGH ib.,

---

[1] a. 584, Octob. 4.

661-774; ML 71, 1009-1096) et *In gloria confessorum* (MGH ib., 744-820, ML 71, 827-910). Scripsit etiam *De cursibus ecclesiasticis* l. I (MGH ib., 857-872) in quo horas quibus singulis mensibus matutinum officium incipiendum sit, determinat ex variarum constellationum ortu.

**63.** *Hist. Franc.* II 30. Regina vero non cessabat praedicare, ut Deum verum cognusceret et idola neglegerit. Sed nullo modo ad haec credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos conmoveretur, in quo conpulsus est confiteri necessitatem, quod prius voluntate negaverat. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu vehementer caederentur, atque exercitus Chlodovechi valde ad internitionem ruere coepit. Quod ille videns, elevatis ad caelum oculis, conpunctus corde, commotus in lacrimis, ait : « Iesu Christe, quem Chrotchildis praedicat esse filium Dei vivi, qui dare auxilium laborantibus victuriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuae opis gloriam devotus efflagito, ut, si mihi victuriam super hos hostes indulseris, et expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomine dicatus probasse praedicat, credam tibi et in nomine tuo baptizer. Invocavi enim deos meos, sed, ut experior, elongati sunt ab auxilio meo; unde credo, eos nullius esse praeditos potestatis, qui sibi oboedientibus non occurrunt. Te nunc invoco, tibi credere desidero, tantum ut eruar ab adversariis meis ». Cumque haec dicerit, Alamanni terga vertentes, in fugam lapsi coeperunt. Cumque regem suum cernirent interemptum, Chlodovechi se ditionibus subdunt, dicentes : « Ne amplius, quaesumus, pereat populus, iam tui sumus ». At ille, prohibito bello, cohortato populo cum pace regressus, narravit reginae, qualiter, per invocationem nominis Christi victuriam meruit obtenire. Actum anno 15. regni sui.
31. Tunc regina arcessire clam sanctum Remedium Remensis urbis episcopum iubet, depraecans, ut regi verbum salutis insinuaret. Quem sacerdos arcessitum secritius coepit ei insinuare, ut Deum verum, factorem caeli ac terrae, crederit, idola neglegerit, quae neque sibi neque aliis prodesse possunt. At ille ait : « Libenter te, sanctissime pater, audebam; sed restat unum, quod populum, qui me sequitur, non patitur relinquere deus suos; sed vado et loquor eis iuxta verbum tuum ». Conveniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, praecurrente potentia Dei, omnis populus pariter adclamavit : « Mortalis deus abigimus, pie rex, et Deum quem Remegius praedicat inmortalem sequi parati sumus ». Nun-

tiantur haec antestiti, qui gaudio magno repletus, iussit lavacrum praeparari. Velis depictis adumbrantur plateae, ecclesiae curtinis albentibus adurnantur, baptistirium conponitur, balsama difunduntur, micant flagrantes odorem cerei, totumque templum baptistirii divino respergeretur ab odore, talemque sibi gratiam adstantibus Deus tribuit, ut aestimarent se paradisi odoribus collocari. Rex ergo prior poposcit, se a pontifice baptizare. Procedit novos Constantinus ad lavacrum, deleturus leprae veteris morbum sordentesque maculas gestas antiquitus recenti latice deleturus. Cui ingresso ab baptismum sanctus Dei sic infit ore facundo: «Mitis depone colla, Sigamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti». Erat autem sanctus Remegius episcopus egregiae scientiae et rethoricis ad primum inbutus studiis, sed et sanctitate ita praelatus, ut Silvestri virtutibus equaretur. Est enim nunc liber vitae eius, qui eum narrat mortuum suscitasse. Igitur rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus, baptizatus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti delebutusque sacro crismate cum signaculo crucis Christi. De exercito vero eius baptizati sunt amplius tria milia. Baptizata est et soror eius Albofledis, quae non post multum tempus migravit ad Dominum (1). (MGH SS RR Merov. I 1, 91-93).

**64.** *Hist. Franc.* V 38. Magna eo anno in Hispaniis christianis persecutio fuit, multique exiliis dati, facultatibus privati, fame decocti, carcere mancipati, verberibus adfecti ac diversis suppliciis trucidati sunt. Caput quoque huius sceleris Goisuenta fuit, quam post Athanachilde regis conubium rex Leuvichildus acceperat; sed quae Dei servis notam humilitatis inflixerat, prosequente ultione divina, ipsa quoque est omnibus populis facta nutabilis. Nam unum oculum nubs alba contegens, lumen, quod mens non habebat, pepulit a palpebris. Erant autem Leuvichildae regi ex alia uxore duo filii, quorum senior Sygiberthi, iunior Chilperici regis filiam disponsaverat. Sed Ingundis Sygiberthi regis filiam, cum magno apparatu in Hispaniis directa, ab avia Goisuinta cum gaudio magno suscepitur. Quam nec passa est in relegione catholica diu commorare; sed ut rebaptizaretur in Arriana herese, blandis coepit sermonibus inlecere. Sed illa viriliter reluctans, coepit

(1) Conf. supra n. 22; 28; 53.

dicere : « Sufficit satis me ab originale peccato baptismo salutare semel abluta fuisse et sanctam Trinetatem in una equalitate esse confessam. Haec me credere ex corde toto confiteor nec umquam ab hac fide ibo retrorsum ». Haec illa audiens, iracundiae furore succensa, adpraehensam per comam capitis puellam in terram conlidit, et diu calcibus verberatam ac sanguine cruentatam iussit expoliare et piscinae inmergi; sed, ut asserunt multi, numquam animum suum a fide nostra reflexit. Leuvichildus autem dedit eis unam de civitatibus, in qua resedentes regnarent. Ad quam cum abissent, coepit Ingundis praedicare viro suo, ut, relicta heresis fallacia, catholicae legis veritatem agnuscerit. Quod ille diu refutans, tandem commotus ad eius praedicationem, conversus est ad legem catholicam; ac dum crismaretur, Johannis èst vocitatus. Quod cum Leuvichildus audisset, coepit causas querere, qualiter eum perderet. Ille vero haec intellegens, ad partem se imperatoris iungit, legans cum praefectum eius amicicias, qui tunc Hispaniam inpugnabat. Leuvichildus autem dirixit ad eum nuntius, dicens : « Veni ad me, quia extant causae, quas conferamus simul ». Et ille : « Non ibo, quia infensus es mihi, pro eo quod sim catholicus ». At ille, datis praefecto imperatoris triginta milibus solidorum, ut se ab eius solatio revocaret, commotu exercitu, contra eum venit. Herminigildis vero, vocatis Grecis, contra patrem egreditur, relicta in urbe coniuge sua. Cumque Leuvichildus ex adverso veniret, relictus a solatio, cum viderit nihil se praevalere posse, ecclesiam, qui erat propinquam, expetiit, dicens : « Non veniat super me pater meus; nefas est enim, aut patrem a filio aut filium a patre interfici ». Haec audiens Leuvichildus, misit ad eum fratrem eius; qui, data sacramenta ne humiliaretur, ait : « Tu accede et prosternere pedibus patris nostri, et omnia indulget tibi ». At ille poposcit vocare patrem suum; quo ingrediente prostravit se ad pedes illius. Ille vero adpraehensum osculavit eum et blandis sermonibus delinitum duxit ad castra; oblitusque sacramenti, innuit suis et adpraehensum expoliavit eum ab indumentis suis induitque illum veste vile; regressusque ad urbem Tolidus, ablatis pueris eius, misit eum in exilio cum uno tantum puerolo (1).

(MGH SS RR Merov. I 1, 229-231).

(1) Hermenegildi mortem (a. 585) Gregorius narrat L. VIII, c. 28 hisce verbis : « Leuichildus vero Herminichildum filium suum ... morti tradedit ». — Conf. infr. n. 89; p. 121 not. 3.

**65.** *Hist. Franc.* X 1. Anno igitur quinto decimo Childeberthi regis (1) diaconus noster ab urbe Roma sanctorum cum pigneribus veniens, sic retulit, quod anno superiore, mense nono tanta inundatio Tiberis fluvius Romam urbem obtexerit, ut aedes antiquae deruerent, horrea etiam ecclesiae subversa sint, in quibus nonnulla milia modiorum tritici periere. Multitudo etiam serpentium cum magno dracone in modo trabis validae per huius fluvii alveum in mare discendit; sed suffocatae bestiae inter salsos maris turbidi fluctus et litori eiectae sunt. Subsecuta est e vestigio cladis, quam inguinariam vocant. Nam medio mense undecimo adveniens, primum omnium iuxta illud, quod in Ezechiel propheta legitur: « A sanctoario meo incipite », Pelagium papam perculit et sine mora extinxit. Quo defuncto, magna stragis populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absque rectorem esse non poterat, Gregorium diaconum plebs omnis elegit. Hic enim de senatoribus primis, ab adulescentia devotus Deo, in rebus propriis sex in Sicilia monasteria congregavit, septimum infra urbis Romae muros instituit; quibus tantum delegans terrarum copiam quantum ad victum cotidianum praebendum sufficeret, reliqua vindedit cum omni praesidio domus ac pauperibus erogavit; et qui ante syrico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per urbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu, ad altaris dominici ministerium consecratur, septimusque levita ad adiutorium papae adsciscitur. Tantaque ei abstenentia in cibis, vigilantia in orationibus, strenuetas in ieiuniis erat, ut, infirmato stomacho, vix consistere possit. Litteris grammatecis dialecticisque ac rethoricis ita est institutus, ut nulli in urbe ipsa putaretur esse secundus; hoc apicem adtentius fugire timptans, ne, quod prius abicerat, rursum ei in saeculo de adepto honore iactantia quaedam subriperit. Unde factum est, ut epistolam ad imperatorem Mauricium dirigeret, cuius filium ex lavacro sancto susciperat, coniurans et multa praece deposcens, ne umquam consensum praeberet populis, ut hunc huius honoris gloria sublimaret. Sed praefectus urbis Romae Germanus eius anticipavit nuncium, et compraehensum, disruptis epistulis, consensum, quod populus fecerat, imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicicia diaconi, quod repperisset locum honoris eius, data praeceptione, ipsum iussit (2) institui.

(MGH SS RR Merov. I 1, 406 s.).

(1) a. 590.

(2) Conf. quae de « iussione principis » adnotavimus supra XXIV, nota 1; de « consensu populi » v. infr. n. 100.

66. *Glor. mart.* 27. Petrus apostolus ob humilitatem docendam caput desuper tundi instituit; qui ab apostolis ceteris episcopus ordinatur, Romae cathedram locavit. Cuius oratione vel Pauli Simonis magi calliditas vel detecta est vel obruta. Extant hodieque apud urbem Romanam duae in lapide fossulae, super quem beati apostoli, deflexu poplite, orationem contra ipsum Simonem magum ad Dominum effuderunt. In quibus cum de pluviis limphae collectae fuerint, a morbidis expetuntur, haustaeque mox sanitatem tribuunt (1). Sanctus vero Petrus apostolus, ut praefati sumus, post Neroniana ac Simoniaca bella ad crucem venisset, impleto iam felicis trophei certamine, resupinis ad caelum vestigiis se expetiit crucifigi, indignum se vociferans ut Dominum exaltari. Sicque dirigens spiritum vivacem in astris, sepultus est in templo quod vocitabatur antiquitus Batecanum, quattuor ordines columnarum valde admirabilium numero nonaginta sex habens. Habet etiam quattuor in altare, quod sunt simul centum, praeter illas quae ciborium sepulchri sustentant. Hoc enim sepulchrum sub altare collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulchrum; et sic fenestella parvula patefacta, inmisso introrsus capite, quae necessitas promit efflagitat. Nec moratus effectus, si petitionis tantum iusta proferatur oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum iacet intrinsecus; deinde vigilans ac ieiunans, devotissime deprecatur, ut devotionis suae virtus apostolica suffragetur. Mirum dictu! Si fides hominis praevaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius, quam prius pensaverat, ponderetur; et tunc scit qui levaverit, cum eius gratia sumpsisse quod petiit. Multi enim et claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulchri faciunt, cui ferentes pro benedictione priores, quibus infirmitates tribulantum medicantur. Omnia enim fides integra praestat. Sunt ibi et columnae mirae elegantiae candore niveo quattuor numero, quae ciborium sepulchri sustenere dicuntur.

(MGH SS RR Merov. I 2, 503 s.).

---

(1) Conf. LP ed. Duchesne, I, p. 466, not. 9.

# XXVI. VENANTIUS H. C. FORTUNATUS

Natus apud Tarvisum c. a. 540, Ravennae in artibus grammaticae, rhetoricae, metricae edoctus, c. a. 565 s. Martini sepulchrum apud Turones veneraturus iter in Gallias suscepit. Ab a. 567 Pictavis, ubi S. Radegundis, Thuringiorum regis filia, Chlotharii I uxor monasterium virginum instituerat, sacerdos et (ab a. c. 600) episcopus vixit. Carmina et scripta magni poetae christiani, Gregorii Turonensis amici, ad cognoscendos vitam et mores ecclesiasticos, aulicos et civiles Francorum saec. VI ex. singulari modo conferunt. Extant *Carminum* ll. XI (MGH AA 4, 2; ML 88, 59-362), *De Vita s. Martini* ll. IV (MGH ib. 293-370; ML 88, 363-426); *Vitae* ss. *Hilarii* Pictavensis, *Germani* Paris., *Albini* Andegav., *Paterni* Abrincens. et s. *Radegundis* (MGH AA 4, 2, 38-49; ML 88, 437-512).

**67.** *Vita s. Radegundis* c. 17. ... Nam praeter cotidianam mensam, qua refovebat matriculam (1), duobus semper diebus sabbati quintam et sabbatum vicibus balneo parato ipsa succincta de savano capita lavans egenorum, defricans quidquid erat, crustam, scabiem, tineam nec purulenta fastidiens, interdum et vermes extrahens, purgans cutis putredines, singillatim capita pectebat ipsa quae laverat. Ulcera vero cicatricum, quae cutis laxa detexerat aut ungues exasperaverant more euangelico oleo superfuso mulcebat morbi contagium. Mulierum vero descendentium in tinum ipsa cum sapone a capite usque ad plantam membra singula diluebat. Egredientibus exinde si cui veterata indumenta conspiceret tollens rasa, nova reddens, ante pannosos faciebat venire cultos ad prandium. Quibus congregatis, ministerio parato, ipsa aquam sive mappam singulis porrigebat et invalidis ipsa pariter os et manus tergebat. Hinc tribus ferculis inlatis, farcitis deliciis, stans ante prandentes ieiuna, praesens convivis ipsa incidebat panem, carnem, quidquid adponeret. Languidis autem et caecis non cessabat ipsa cibos cum cocleare porrigere, hoc praesentibus duabus sed se sola serviente, ut nova Martha satageret, donec potulenti fratres laeti fierent conviviis. Tunc illa removens se loco, ut ablueret manus, iam bene culto convivio tota gratificabatur. Si quid audiret de fremitu, iubebat tamen ut sederent, donec vellent adsurgere. c. XVIII. Venerabili vero omni dominico die hoc habebat in canone vel aestate vel hieme, ut pauperibus collectis primo merum sua manu de potu dulce porrigeret, puellae postea committens,

(1) Conf. infr. p. 281, not. 2.

ut omnibus illa propinaret, quia ipsa festinabat orationi occurrere, quo et cursum consummaret et sacerdotibus ad mensam invitatis occurreret, quos adhuc regali more ad propria cum redirent sine munere non laxaret. c. XIX. Hanc quoque rem intremescendam qua peragebat dulcedine! Cum leprosi venientes signo facto se proderent, iubebat adminiculae, ut unde uel quanti essent pia cura requireret. Qua sibi renuntiante, parata mensa, missorium, cocleares, cultellos, cannas, potum et calices scola subsequente intromittebatur furtim, quo se nemo perciperet. Ipsa tamen mulieres variis leprae maculis comprehendens in amplexu, osculabatur et vultum toto diligens animo. Deinde posita mensa ferens aquam calidam, facies lavabat, manus, ungues et ulcera et rursus administrabat ipsa pascens per singula. Recedentibus praebebat auri vel vestimenti vix una teste munuscula.

(MGH AA 4, 2, 42-43).

## XXVII. S. GREGORIUS MAGNUS

primus est inter Romanos Pontifices, cuius *Registrum epistularum* integre servatum est. 850 fere epistulae et documenta aa. 590-604 (MGH EPP 1, 2; ML 77, 441-1328) inaestimabilis auctoritatis fontium thesaurum constituunt, ex quo non solum Gregorii modum in gubernanda Ecclesia cognoscimus, sed et de Ecclesiae in diversis partibus conditionibus instruimur (1). Ut fons historiae Ecclesiae, in Italia praesertim, aestimandi sunt ll. 4 *Dialogorum* (FSI 57; ML 77, 149-430); ad cognoscendos mentem et mores hominum illius aevi, usus ecclesiasticos et pietatem populi simplices illae Gregorii de vitis et gestis Sanctorum narrationes plurimum conferunt (2); l. II (FSI 57, 71-134; ML 66, 125-204) unicus fons est, ex quo Vitam s. Benedicti cognoscimus (3). In curae animarum exercendae rationem maximum influxum per totum medium aevum habebant Gregorii opera: *Liber regulae pastoralis* (ML 77, 13-126) et *Moralium in Iob* ll. 35 (ML 75, 509-1162 et 76, 9-782). Post s. Leonem I. Gregorius primus est cuius exem-

---

(1) Conf. W. M. Peitz, *Das Register Gregors I*, Freiburg 1917; inter recentiores Gregorii Vitas, quarum auctores Registrum ut fontem primarium adhibuerunt, notandae sunt: H. Grisar, *S. Gregorio M.*, Roma 1904; P. Batiffol, *St. Grégoire le Grand*, Paris. 1928.

(2) Conf. capitulum « I *Dialogi* come fonte storica » introductionis in FSI 57, p. LXIV-LXXVIII.

(3) Marci enim monachi Cassinensis carmen de S. Benedicto (ML 80, 183-186) ante a. quidem 589, quo Cassinense monasterium a Langobardis dirutum est, scriptum, parum ad cognoscendam Sancti vitam confert.

pla orationum ad populum habitarum servata sunt: *Homiliae 40 in Evangelia* (ML 76, 1075-1312) et *Homiliarum in Ezechiel* ll. 2 (ML 76, 785-1072).

**68.** *Reg.* I 30. Gregorius Iohanni exconsuli atque patricio et quaestori. Bona vestrae excellentiae expertus tanto erga vos amore constringor, ut vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenus possit. Sed contra amorem non modice contristor, quia quietem me quaerere cognovistis et ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecistis, bona aeterna retribuat, sed me a tanto loci huius periculo qualiter voluerit absolvat; quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Langobardorum episcopus factus sum, quorum sinthichiae spatae sunt et gratia poena. Ecce ubi me vestra patrocinia perduxerunt. Gemo cotidie occupationibus pressus et respirare non valeo. Sed vos, qui adhuc valetis, mundi huius occupationes fugite; quia quanto in eo quisque profecerit, tanto, ut video, ab amore Dei amplius decrescit. Praeterea sacratissimam clavem a beati Petri apostolorum principis corpore vobis transmisi, quae super aegros multis solet miraculis coruscare; nam etiam de eius catenis interius habet. Eaedem igitur catenae, quae illa sancta colla tenuerunt, suspensae vestra colla sanctificent (1).

(MGH EPP 1, 42 s.).

**69.** *Reg.* I 75. Gregorius universis episcopis Numidiae. Si quando, karissimi in Christo fratres, inter virentes segetes zizaniorum quaedam se infert inportuna commixtio, hanc radicitus necesse est cultoris manus adimat, ne futurus secundae segetis fructus possit intercipi. Et nos ergo, qui licet indigni Dominici culturam agri suscepimus, ab omni zizaniorum scandalo ingenuam reddere segetem festinemus, quatenus ager Domino reditu abundantiori fructificet. Petistis etenim per Hilarum chartularium nostrum a beatae memoriae decessore nostro, ut omnes vobis retro temporum consuetudines servarentur, quas a beati Petri apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit. Et nos quidem iuxta seriem relationis vestrae consuetudinem, quae tamen contra fidem catholicam nihil usurpari dinoscitur, immotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis, ceterisque capitulis; exceptis his, qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos pro-

(1) Scripta mense Februario, a. 591.

vehi ad primatus dignitatem etiam cum ordo eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. ... (1)
(MGH EPP 1, 95).

**70.** *Reg.* II 34. Gregorius universis militibus in Neapoli. Summa militiae laus inter alia bona merita haec est, oboedientiam sanctae rei publicae utilitatibus exhibere, quoque sibi utiliter imperatum fuerit, obtemperare. Sicut et nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quae epistolis nostris, quibus magnificum virum Constantium tribunum custodiae civitatis deputavimus praeesse, paruit, et congruam militaris devotionis oboedientiam demonstravit. Unde scriptis vos praesentibus curavimus ammonendos, uti praedicto magnifico viro tribuno, sicut et fecistis, omnem debeatis pro serenissimorum dominorum utilitate vel conservanda civitate oboedientiam exhibere, quatenus quicquid a vobis hactenus bene gestum agnoscitur per praesentis temporis vigilantiam ac sollicitudinem augmentetis (2).
(MGH EPP 1, 130 s.).

**71.** *Reg.* III 10. Gregorius Savino subdiacono nostro. Exeuntes maligni homines turbaverunt animos vestros, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus adfirmant, astruentes, quod aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piae memoriae Iustiniani temporibus sit inminutum, quam omni fide omnique devotione veneramur. Et sic quattuor synodos sanctae universalis Ecclesiae sicut quattuor libros sacri evangelii recipimus. De personis vero, de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, eiusdem piae memoriae Iustiniani temporibus est ventilatum; ita tamen, ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eandem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum (3). Anathematizamus autem, si quis ex definitione fidei, quae in eadem synodo prolata est, aliquid inminuere praesumit, vel quasi corrigendo eius sensum mutare. Sed sicut illic prolata est per omnia custodimus. ... (4). (MGH EPP 1, 169 s.).

---

(1) a. 591, m. Augusto.
(2) a. 592, Iul.
(3) Sermo est de causa 3 capitulorum.
(4) a. 592, Oct.

**72.** *Reg.* IV 2. Gregorius Constantio episcopo Mediolanensium. Dilectissimus filius meus Bonifatius diaconus quaedam mihi ex scripto fraternitatis tuae secreto nuntiavit, quod exquisita occasione potius quam inventa tres se episcopi a fraternitatis vestrae communione separaverint, dicentes, vos in damnatione trium capitulorum consensisse atque cautionem fecisse. Et si quid de tribus capitulis in quocumque vel verbo vel scripto nominatum est bene fraternitas tua reminiscitur, quamvis decessor fraternitatis tuae Laurentius districtissimam cautionem sedi apostolicae emisit, in qua viri nobilissimi et legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego quoque tunc urbanam praeturam (1) gerens pariter subscripsi, quia postquam talis scissura pro nulla re facta est iustum fuit, ut sedes apostolica curam gereret, quatenus unitatem in universalis Ecclesiae sacerdotum mentibus per omnia custodiret. Quod autem dicitur filiam nostram Theodelindam (2) reginam sese a communione hoc audito nuntio suspendisse, constat per omnia, quia etsi pravorum hominum verbis ad paululum seducta est, venientibus tamen Yppolito notario et Johanne abbate erit modis omnibus vestrae fraternitatis communionem quaesitura. Cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione transmittat. De episcopis vero qui se suspendere visi sunt aliam epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris eos non ambigo de superstitione suae superbiae apud fraternitatem vestram paenitentiam acturos. Subtiliter autem mihi et breviter indicastis vel de Agone (3) rege vel de Francorum regibus quae gesta sunt. Peto, ut fraternitas vestra quae adhuc cognoverit mihi modis omnibus innotescat. Si autem videtis, quia cum patricio (4) nihil facit Ago Langobardorum rex, de nobis ei promittite, quia paratus sum in causa eius me impendere, si ipse aliquid utiliter cum republica voluerit ordinare (5). (MGH EPP 1, 233 ss.).

**73.** *Reg.* IV 33. Gregorius Theodelindae reginae Langobardorum. Quorundam ad nos relatione pervenit, ab aliquibus episcopis gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam ut sese a catholicae

(1) Sic ed.; legendum videtur «praefecturam».

(2) Langobardorum regina, regis Authari primum, postea Agilulfi uxor, ex catholica ducum Baiuvariae stirpe progenita; cf. infr. n. 113.

(3) Agilulfo.

(4) i. e. cum exarcho Byzantinorum, qui Ravennae residebat.

(5) a. 593, Septemb.

unanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quae loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere quae audierint, possunt. Qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi fecerunt. Nos enim veneramur sanctas quattuor sinodos: Nicenam, in qua Arrius; Constantinopolitanam, in qua Macedonius; Ephesinam primam, in qua Nestorius atque Dioscorus; Calcedonensem, in qua Eutyches dampnatus est. Profitentes, quia quisquis aliter sapit quam hae quattuor synodi, a fide veritatis alienus est. Damnamus autem quoscumque damnant et quoscumque absolvunt absolvimus, sub anathematis interpositione ferientes eum, qui earundem quattuor sinodorum, maxime autem Calcedonensis, de qua quibusdam inperitis hominibus dubietas nata est, fidei addere vel adimere praesumit. Cum itaque haec ex aperta mea professione cognoscitis, dignum est, ut de ecclesia beati Petri apostolorum principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis. ... [1].

(MGH EPP 1, 268 s.).

**74.** *Reg.* IV 37. Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi. ... Quod autem scripsistis, quia epistolam meam reginae Theodelindae transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea quinta synodus nominabatur, si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est ut minime transmitteretis. Unde nunc ita facimus sicut vobis placuit, ut quattuor solummodo synodos laudaremus. De illa tamen synodo, quae in Constantinopoli postmodum facta est, quae a multis quinta nominatur, scire vos volo, quia nihil contra quattuor sanctissimas synodos constituerit, vel senserit; quippe quia in ea de personis tantummodo non autem de fide aliquid gestum est, et de eis personis, de quibus in Calcedonensi concilio nihil continetur. Sed post expressos canones facta contentio et extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen sicut voluistis ita fecimus, ut eiusdem synodi nullam memoriam faceremus. Sed et de episcopis quae scripsistis praedictae filiae nostrae reginae scripsimus. ... [2].

(MGH EPP 1, 272 s.).

---

[1] a. 594, Iul.

[2] a. 594, Iul.

**75.** *Reg.* V 36. Gregorius Mauricio Augusto. ... Haec ergo pietati dominorum non pro me, sed pro sacerdotibus suggero. Ego enim peccator homo sum et, quia omnipotenti Deo incessanter cotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus cotidie plagis ferior; et credo, quia eundem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male servientem districte affligitis. Multas enim iam plagas acceperam et supervenientibus dominorum iussionibus inveni consolationes quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum quod mihi pax sumpta est, quam cum Langobardis in Tuscia positis sine ullo reipublicae dispendio feceram. Deinde corrupta pace de Romana civitate milites ablati sunt; et quidem alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis et Perusiae positi et ut Perusia teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga gravior fuit adventus Agilulfi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra civitatem fuimus Deo protegente manus eius evasimus, quaesitum est, unde culpabiles esse videremur, cur frumenta defuerint, quae in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia — teste conscientia fateor — adversa quaelibet pati paratus sum, dum modo haec omnia cum salute dumtaxat meae animae evadam. Sed de gloriosis viris Gregorio praefecto praetorio et Casto magistro militum non mediocriter sum afflictus, qui et omnia quae potuerunt fieri nullo modo facere neglexerunt et labores vigiliarum et custodiae civitatis in obsessione eadem vehementissimos pertulerunt et post haec omnia gravi dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter intellego, quia eos non sua acta, sed mea persona gravat, cum quo, quia pariter in tribulatione laboraverant, post laborem pariter tribulantur. (1) ... (MGH EPP 1, 319 s.).

**76.** *Reg.* V 39. Gregorius Constantinae Augustae. ..... Viginti autem iam et septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa ab hac ecclesia cotidia-

(1) a. 595, Iun.

nis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennae partibus dominorum pietas apud primi exercitus Italiae saccellarium habet, qui causis supervenientibus cotidianas expensas faciat, ita et in hac urbe in causis talibus eorum saccellarius ego sum. Et tamen haec ecclesia, quae uno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo atque insuper Langobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium ecclesiarum afflictione premitur, quae de hac unius hominis superbia [1] multum gemunt, etsi dicere nihil praesumunt. ... [2]. (MGH EPP 1, 328).

**77.** *Reg.* V 57[a]. Incipit decretum ad clerum in basilica beati Petri apostoli. Regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, temporibus piissimi ac serenissimi domni Mauricii Tiberii et Theodosii Augustorum, eiusdem domni Mauricii imperii anno tertio decimo, indictione tertia decima, quinto die mensis Iulii: Gregorius papa coram sacratissimo beati Petri apostoli corpore cum episcopis et omnibus Romanae ecclesiae presbyteris residens adstantibus diaconibus et cuncto clero dixit:

(I.) In sancta hac Romana ecclesia, cui divina dispensatio praeesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis serviant, quos ad praedicationis officium elemosinarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad sacrum ministerium, dum blanda vox quaeritur, quaeri congrua vita neglegatur et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re praesenti decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant solumque evangelicae lectionis officium inter missarum sollemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos vel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire temptaverit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit. (II.) Vere-

---

[1] Iohannis scil. Constantinopolitani episcopi, qui oecumenici patriarchae titulum sibi adtribuebat. Cf. infr. p. 475.

[2] a. 595, Iun. 1.

cundum mos torporem indiscretionis involvit, ut huius sedis pontificibus ad secreta cubiculi servitia laici pueri ac saeculares obsequantur et, cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis, nesciunt, quam tamen, ut dictum est, saeculares pueri sciunt. De qua re praesenti decreto constituo, ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis testes tales habeat talesque viri eius in secreto conversationem videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant. ... (IV.) Sicut indignos nos per beati Petri apostoli reverentiam mens fidelium veneratur, ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere et impensae sibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium huius sedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut, cum eorum corpora humi mandanda deferuntur, haec dalmaticis contegant easdemque dalmaticas pro sanctitatis reverentia sibimet partiendas populus scindat: et cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum martyrumque velamina, a peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reverentia reservetur. De qua re praesenti decreto constituo, ut feretrum quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere sedis huius presbyteros ac diaconos censemus. Si quis vero ex eorum ordine haec curare neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit. (V.) Antiquam patrum regulam sequens nihil umquam de ordinationibus accipiendum esse constituo neque ex datione pallii neque ex traditione cartarum neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando episcopo pontifex manum ponit, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit, et sicut pontificem non decet manum quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinationem eius vocem suam vel calamum venumdare. Pro ordinatione ergo vel pallio seu cartis atque pastello eundem qui ordinandus est vel ordinatus omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus praedictis rebus si quis hunc aliquid commodi appellatione exigere vel petere forte praesumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito neque exactus aut petitus post acceptas cartas et pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiae tantummodo

causa voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpae maculam ingerit, quae ex accipientis ambitu non processit. ... (1). (MGH EPP 1, 362 ss.).

**78.** *Reg.* VI 57. Gregorius Brunigildae reginae Francorum. Excellentiae vestrae christianitas ita nobis veraciter olim innotuit, ut de bonitate eius nullatenus dubitemus, sed magis certum modis omnibus teneamus, quia in causa fidei devote et studiose concurrat et religiosae sinceritatis suae solacia copiosissime sumministret. Ex qua re bene confidentes paterna caritate salutantes indicamus ad nos pervenisse Anglorum gentem Deo annuente velle fieri christianam, sed sacerdotes qui in vicino sunt pastoralem erga eos sollicitudinem non habere. Quorum ne animae in aeterna damnatione valeant deperire, curae nobis fuit prasentium portitorem Augustinum servum Dei, cuius zelum et studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis Dei illic dirigere, ut per eos ipsorum potuissemus voluntates addiscere et de eorum conversione vobis quoque adnitentibus, in quantum est possibile, cogitare. Quibus etiam iniunximus ut, ad agenda haec e vicino secum debeant presbyteros ducere. Excellentia ergo vestra, quae prona in bonis esse consuevit operibus, tam pro nostra petitione, quam etiam divini timoris consideratione eum dignetur habere in omnibus commendatum atque ei tuitionis suae gratiam vehementer impendat et labori eius patrocinii sui ferat auxilium et, ut plenissime possit habere mercedem, ad suprascriptam Anglorum gentem sua tuitione securum ire provideat, quatenus Deus noster, qui in hoc vos saeculo bonis sibi placitis decoravit, idem et in aeterna requie cum suis vos sanctis faciat gratulari. Praeterea dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum et patrimoniolum ecclesiae nostrae quod illic situm est vestrae christianitati commendantes petimus, ut tuitionis vestrae gratiam in omnibus consequatur (2). (MGH EPP 1, 431 s.).

**79.** *Reg.* VIII 28. Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino. Utilis semper est docti viri allocutio, quia aut discit audiens quod nescire se noverat aut cognoscit, quod est am-

---

(1) a. 595, Iul. 5.

(2) a. 596, Iul.; cf. infr. n. 178.

plius, id quod se et nescisse nesciebat. Qua in re ex audientium numero ego nunc factus sum, cui sanctissima vestra beatitudo scribere studuit, ut cunctorum martyrum gesta, quae piae memoriae Constantini temporibus ab Eusebio Caesariense collecta sunt, transmittere debeamus. Sed haec neque si sic collecta sint neque si sint, ante vestrae beatitudinis scripta cognovi. Ago ergo gratias, quia sanctissimae doctrinae vestrae scriptis eruditus coepi scire quod nesciebam. Praeter illa enim quae in eiusdem Eusebii libris de gestis sanctorum martyrum continentur nulla in archivo huius nostrae ecclesiae vel in Romanae urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quaedam in unius codicis volumine collecta. Nos autem paene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus atque cotidianis diebus in eorum veneratione missarum sollemnia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantum modo nomen, locus et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut praedixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed haec habere vos beatissimos credimus. Ea vero quae transmitti voluistis quaerentes quidem non invenimus, sed adhuc non invenientes quaerimus et, si potuerint inveniri, transmittimus. ... [1]. (MGH EPP 2, 29).

**80.** *Reg.* VIII 9. Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino. ... Sed quoniam in bonis quae agitis scitur, quod et aliis congaudetis, vestrae vobis gratiae vicem reddo et non dissimilia nuntio, quia, dum gens Anglorum in mundi angulo posita in cultu lignorum ac lapidum perfida nuncusque remaneret, ex vestrae mihi orationis adiutorio placuit, ut ad eam monasterii mei monachum in praedicatione transmittere Deo auctore debuissem. Qui data a me licentia a Germaniarum episcopis episcopus factus cum eorum quoque solaciis ad praedictam gentem in finem mundi perductus est, et iam nunc de eius salute et opere ad nos scripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipse vel hi qui cum eo transmissi sunt in gente eadem coruscant, ut apostolorum virtutes in signis quae exhibent imitari videantur. In sollemnitate autem Dominicae nativitatis, quae hac prima indictione tran-

---

[1] a. 598, Iul.

sacta est, plus quam decem milia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narravi, ut cognoscatis, quid in Alexandrino populo loquendo et quid in mundi finibus agitis orando. Vestrae enim orationes sunt in eo loco ubi non estis, quorum operationes sanctae monstrantur in eo loco ubi estis... ([1]). (MGH EPP 2, 30 s.).

**81.** *Reg.* IX 213. Gregorius Brunichildae reginae Francorum. Postquam excellentiae vestrae sollicitudo regia est ubique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriae suae vigilantiorem se debet et providam exhibere, ut quos consilio regit exterius, perire interius non permittat, quatenus per fructum piae sollicitudinis post huius quod geritis temporalis regni fastigium ad aeterna Deo auctore gaudia possitis et regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus posse ratione contingere, si inter alia bona de ordinandis curam sacerdotibus gesseritis. Quorum officium in tanta illic, sicut didicimus, ambitione perductum est, ut sacerdotes subito, quod grave nimis est, ex laicis ordinentur. Sed quid isti acturi, quid populo praestaturi sunt, qui non ad utilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? Hi igitur quia necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agitur, nisi ut paucorum provectus inlicitus fiat multis interitus et in confusionem ecclesiasticae moderationis observantia deducatur, quippe ubi nullus regularis ordo servatur? Nam qui ad eius regimen improvidus et praecipitatus accedit, qua ammonitione subiectos aedificet, cuius exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profecto, pudet aliis imperare, quod ipse nescit custodire. Nec illud quidem, quod similiter emendationi tradendum est, praeterimus, sed omnino execrabile et esse gravissimum detestamur, quod sacri illic ordines per simoniacam heresem, quae prima contra ecclesiam orta et districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur, ut sacerdotis dignitas in dispectu et sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare committit, et nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur aut quis

([1]) a. 598, Iul.

non vile putet esse quod emitur? Unde valde contristor et terrae illi condoleo; quia, dum Sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere dispiciunt, sed praemiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernae gratiae venalia iudicantur, ad Dei servitium non vita quaeritur, sed magis contra Deum pecuniae venerantur. Quia igitur tantum facinus non solum illis periculum, verum etiam vestro regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu petimus, ut de huius pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occasione committi, synodum fieri iussio vestra constituat, ubi praesente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ne ullus ex laico habitu subito ad episcopatus audeat gradum accedere neque pro ecclesiasticis ordinibus quilibet quicquam dare vel sit ausus accipere, ut Dominus et redemptor noster sic, quae vestra sunt, faciat, sicut excellentiam vestram in his quae sua sunt pia esse viderit devotione sollicitam. Curam vero et sollicitudinem eiusdem synodi, quam fiendam decrevimus, fratri coepiscopoque nostro Syagrio, quem vestrum proprium novimus, specialiter delegare curavimus; quem petimus ut et supplicantem libenter audire et ope iuvare dignemini, quatenus, quod ad mercedem vestram respiciant, remoto huius mali contagio in cunctis finibus iuri vestro subiectis pia et Deo placita procedat ordinatio sacerdotum... [1]. (MGH EPP 2, 198 s.)

**82.** *Reg.* XI 34. Gregorius Desiderio episcopo Galliae. Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata, ita cordi nostro est nata laetitia, ut negare ea quae sibi fraternitas vestra concedenda poposcerat minime pateremur. Sed post hoc pervenit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus ac sumus vehementius aspernati, ut ea quae prius dicta fuerant in gemitu et tristitia verteremus, quia in uno se ore cum Iovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopo canere, quod nec laico religioso

---

[1] a. 599, Iul.

conveniat, ipse considera. Et quamvis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum veniens hac de re suptiliter requisitus negaverit atque vos conatus fuerit excusare, de nostris tamen adhuc animis non recessit, quia quanto execrabile est hoc de sacerdote enarrari, tanto, utrum ita necne sit, districta et veraci oportet satisfactione cognosci. Unde si post hoc evidenter haec quae ad nos perlata sunt falsa esse claruerint neque vos nugis et saecularibus litteris studere constiterit, et Deo nostro gratias agimus, qui cor vestrum maculari blasfemis nefandorum laudibus non permisit, et de concedendis quae poscitis securi iam et sine aliqua dubitatione tractabimus... (1). (MGH EPP 2, 303).

**83.** *Reg.* XI 46. Gregorius Brunigildae reginae Francorum. Cum scriptum sit : « Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum », tunc regnum stabile creditur, cum culpa quae cognoscitur citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conversari, ut et audire nobis opprobrium et lamentabile sit referre. Ne ergo, postquam huius nequitiae huc usque se tetendit opinio, aliena pravitas aut nostram animam aut regnum vestrum peccati sui iaculo feriat, ardenter ad haec debemus ulciscenda consurgere, ne paucorum facinus multorum possit esse perditio. Nam causa sunt ruinae populi sacerdotes mali. Quis enim pro populi se peccatis intercessor obiciat, si sacerdos, qui exorare debuerat, graviora comittat? Sed quoniam eos quorum haec locus est insequi nec sollicitudo ad requisitionem nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, et personam si praecipitis, cum vestrae auctoritatis assensu transmittimus, quae una cum aliis sacerdotibus haec et suptiliter quaerere et secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda quae dicimus, quia qui emendare potest et neglegit, participem se procul dubio delicti constituit. Providete ergo animae vestrae, providete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis et, priusquam creator noster manum suam ad feriendum excutiat, de correctione huius sceleris studiosissime cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius et cle-

(1) a. 601, Iun.

menter expectat. Scitote autem, quia magnum Deo nostro sacrificium placationis offertis, si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis. Data die X kalendarum Iuliarum indictione IIII [1]. (MGH EPP 2, 318 s.).

84. *Reg.* XI 56. Gregorius Mellito abbati in Franciis. Post discessum congregationis nostrae, quae tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nihil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum vero Deus omnipotens vos ad reverentissimum virum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei, quid diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa quae in eis sunt, idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiae ponantur, quia, si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu daemonum in obsequio veri Dei debeant commutari, ut, dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat et Deum verum cognoscens ac adorans ad loca quae consuevit familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio daemonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua sollemnitas inmutari, ut die dedicationis vel natalicii sanctorum martyrum quorum illic reliquiae ponuntur tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent; nec diabolo iam animalia immolent, sed et ad laudem Dei in esu suo animalia occidant et donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut, dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscidere impossibile esse non dubium est, quia is qui summum locum ascendere nititur gradibus vel passibus, non autem saltibus elevatur. Sic Israhelitico populo in Aegypto Dominus se quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum usus, quae diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in suo sacrificio animalia immolare praeciperet, quatenus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, ut, etsi ipsa essent animalia quae offerre consueverant, vero tamen Deo haec et non idolis immolantes iam sacrificia ipsa non essent. Haec igitur dilectio-

[1] a. 601, Iun. 22.

nem tuam praedicto fratri necesse est dicere, ut ipse in praesenti illic positus perpendat, qualiter omnia debeat dispensare (1). (MGH EPP 2, 331).

**85.** *Reg.* XI 56-*a*. Gregorius Augustino episcopo. Per dilectissimos meos filios Laurentium presbyterum et Petrum monachum fraternitatis tuae scripta suscepi, in quibus me de multis capitulis requirere curasti. Sed quia praedicti filii podagrae me invenerunt doloribus afflictum, et cum urgerent citius se dimitti ita relaxati sunt, ut in eadem me doloris afflictione relinquerent; singulis quibusque capitulis, ut debui, latius respondere non valui. Primo capitulo «de episcopis qualiter cum suis clericis conversentur, vel de his quae fidelium oblationibus accedunt altario quantae debeant fieri portiones, et qualiter episcopus agere in ecclesia debeat». Sacra scriptura testatur, quam te bene nosse non est dubium, et specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolae, in quibus eum erudire studuit, qualiter in domo Dei conversari debuisset. Mos autem sedis apostolicae est ordinatis episcopis praecepta tradere (2), ut ex omni stipendio quod accedit quattuor debeant fieri portiones, una videlicet episcopo et familiae propter hospitalitatem atque susceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum vivere non debet a clericis suis, in ecclesia Anglorum, quae auctore Deo nuper adhuc ad fidem perducta est, hanc debet conversationem instituere quae initio nascentis ecclesiae fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his

---

(1) Textui in Registro sine nota temporis tradito, in Bedae Historia eccles. Gentis Anglorum I 30 subduntur haec: Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili. Data die XV kal. [Aug.] imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo augusto anno XIX, p. c. eiusdem domini anno XVIII, ind. IV. (a. 601, Iul. 18).

(2) Haec «praecepta» extant in *Libri diurni* formula VI, ed. Sickel, p. 5 ss. Conf. form. LXXIV qua episcopus noviter electus spondet se haec praecepta fideliter servaturum esse. Inter ista praecipue notandum est: «illud etiam prae omnibus spondeo atque promitto, me omni tempore per singulos dies a primo gallo usque mane cum omni ordinatione clericorum meorum vigilias in ecclesia celebrare». (ed. Sickel, p. 77 s.). Conf. infra n. 91.

quae possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant eis omnia communia. Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri uxores debent et stipendia sua exterius accipere, quia et de eisdem patribus, de quibus praefati sumus, novimus scriptum, quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat. De eorum quoque stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant et canendis psalmis invigilent et ab omnibus inlicitis cor et linguam et corpus Deo auctore conservent. Communi autem vita viventibus iam de faciendis portionibus vel exhibenda hospitalitate et adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum, cum omne quod superest in causis piis ac religiosis erogandum est Domino magistro omnium docente: «Quod superest, date elemosinam, et ecce omnia munda sunt vobis»? II. «Cum una sit fides, sunt ecclesiarum diversae consuetudines et aliter consuetudo missarum in sancta Romana ecclesia atque aliter in Galliarum ecclesiis tenetur». Novit fraternitas tua Romanae ecclesiae consuetudinem, in qua se meminit nutritam; valde amabilem te habeat. Sed mihi placet, sive in Romana sive in Galliarum sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas et in Anglorum ecclesia, quae adhuc ad fidem nova est, institutione praecipua, quam de multis ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis quae pia, quae religiosa, quae recta sunt elige et haec quasi in fasciculo collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. ... (1).

(MGH EPP 2, 332 ss.).

86. *Reg.* XIII 1. In nomine Domini Salvatoris nostri Iesu Christi. Per indictionem sextam die vicesima tertia mensis Novembrii temporibus domni et beatissimi papae Gregorii coronatus est Focas et Leontia Augusta in Septimo in palatio qui dicitur Secundianas, et occisus est Mauricius imperator cum omnibus filiis suis masculis, id est Theodosio iam coronato, Tyberio, Petro, Paulo et Iustiniano, simul et Petro fra-

(1) a. 601, Iul.

tre suprascripti Mauricii Augusti : sed et aliqui procerum, qui ei cohaerebant, id est Constantinus patricius et curator de Placidias sed et Georgius notarius principis. Venit autem icona suprascriptorum Focae et Leontiae Augustorum Romae septimo Kalendarum Maiarum, et adclamatum est eis in Lateranis in basilica Iulii ab omni clero vel senatu : « Exaudi Christe! Focae Augusto et Leontiae Augustae vita! ». Tunc iussit ipsam iconam domnus beatissimus et apostolicus Gregorius papa reponi eam in oratorio sancti Caesarii intra palatio (1). (MGH EPP 2, 364 s.).

87. *Reg.* XIII 2. Denuntiatio pro septiformi letania. ... Proinde fratres carissimi, contrito corde et correctis operibus crastina die primo diluculo ad septiformem letaniam iuxta distributionem inferius designatam devota cum lacrimis mente veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat; nullus quodlibet negotium agere praesumat, quatenus ad sanctae genetricis Domini ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus simul omnes mala quae fecimus deploremus ut districtus iudex, dum culpas nostras nos punire considerat, ipse a sententia propositae damnationis parcat. Letania clericorum exeat ab ecclesia sancti Iohannis Baptistae; letania virorum ab ecclesia sancti martyris Marcelli; letania monachorum ab ecclesia beatorum martyrum Iohannis et Pauli; letania ancillarum Dei ab ecclesia beatorum martyrum Cosmae et Damiani; letania feminarum coniugatarum ab ecclesia beati primi martyris Stephani; letania viduarum ab ecclesia beati martyris Vitalis; letania pauperum et infantium ab ecclesia beatae martyris Caeciliae. Fecit et in basilica sanctae Savinae sub die III. kalendarum Septembrium indictione VI. (MGH EPP 2, 366 s.).

88. *Reg.* XIV 12. Gregorius Theodelindae reginae. Scripta quae ad nos dudum a Genuensibus partibus transmisistis gaudii vestri nos fecere participem, propter quod omnipotentis Dei gratia et filium vobis donatum et, quod valde est excellentiae vestrae laudabile, catholicae eum fidei cognovimus sociatum. Nec enim de christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere vos

(1) a. 603.

ut quem divino munere suscepistis, catholicae rectitudinis auxilio muniretis, ut et Redemptor noster familiarem te suam famulam cognosceret Langobardorum genti novum regem in timore suo feliciter enutriret. Unde oramus omnipotentem Deum, ut et vos in mandatorum suorum via custodiat et eundem excellentissimum filium nostrum Adulouualdum in suo faciat amore proficere, quatenus, sicut hic inter homines iam magnus est, sic quoque et bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus. ... Excellentissimo autem filio nostro Adulouualdo regi transmittere filacta curavimus, id est crucem cum ligno sanctae crucis Domini et lectionem sancti evangelii, theca Persica inclausum. Filiae quoque meae sorori eius tres anulos transmisi, duo cum iacinthis et unum cum albula; quae eis peto per vos dari, ut apud eos nostra caritas ex vestra excellentia condiatur. Paterna praeterea caritate solventes salutationis officium petimus, ut excellentissimo filio nostro regi coniugi vestro pro nobis de facta pace gratias referatis atque eius animum, sicut consuistis, ad pacem et de futuro per omnia provocetis, quatenus mercedem populi innocentis, qui in scandalo perire potest, ante conspectum Dei inter multa bona quae agitis invenire possitis [1].

(MGH EPP 2, 430 ss.).

89. *Dialog.* XXXI. *Gregorius*: Sicut multorum, qui ab Hispaniarum partibus veniunt, relatione cognovimus, nuper Hermenigeldus rex, [2] Leuvigeldi regis Wisigothorum filius, ab arriana herese ad catholicam fidem, viro reverentissimo Leandro, Hispalitano episcopo, dudum mihi in amicitiis familiariter iuncto, praedicante, conversus est. Quem pater arrianus, ut ad eandem heresem rediret, et praemiis suadere, et minis terrere conatus est. Cumque ille constantissime responderet, nunquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnovisset, iratus pater eum privavit regno, rebusque omnibus expoliavit. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset, in arta illum custodia concludens, collum manusque illius ferro relegavit. Coepit itaque isdem Hermenigeldus rex iuvenis, terrenum regnum dispiciens, et forti desiderio caeleste quaerens, in ciliciis iacere vinculatus, om-

---

(1) Conf. supra n. 64; infr. p. 121 not. 3.

(2) a. 603, Decemb.

nipotenti Deo ad confortandum se praeces effundere, tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi dispicere, quanto et relegatus agnoverat nihil fuisse quod potuit auferri. Supervenienti autem paschalis festivitatis die intempestae noctis silentio, ad eum perfidus pater arrianum episcopum misit, ut ex eius manu sacrilegae consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus arriano episcopo venienti exprobravit, ut debuit, eiusque a se perfidiam dignis increpationibus reppulit, quia etsi exterius iacebat legatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso episcopo, arrianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic, ubi iacebat, occiderent; quod factum est. Nam mox ut ingressi sunt, securem cerebro illius infigentes, vitam corporis abstulerunt, hocque in eo valuerunt perimere, quod ipse quoque qui peremptus est in se constituerat dispexisse. Sed pro ostendenda vera eius gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam coepit in nocturno silentio psalmodiae cantus ad corpus eiusdem regis et martyris audiri, atque ideo veraciter regis, quia martyris. Quidam etiam ferunt quod illic nocturno tempore accensae lampades apparebant; unde factum est, quatinus corpus illius, ut videlicet martyris, iuste a cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater vero perfidus et parricida, commotus paenitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen usque ad obtinendam salutem; nam quia vera esset catholica fides agnovit, sed, gentis suae timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui, oborta aegritudine, ad extrema perductus, Leandro episcopo, quem prius vehementer adflixerat, Reccaredum regem filium, quem in sua heresi relinquebat, commendare curavit, ut in ipso quoque talia facerit, qualia in fratre illius suis exortationibus fecisset. Qua videlicet commendatione expleta, defunctus est. Post cuius mortem Reccharedus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab arrianae haereseos pravitate conversus est, totamque Wisigotharum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui regno Dei hostis existere per hereticam perfidiam non timeret. Nec mirum, quod vere fidei praedicator factus est, qui frater est martyris, cuius hunc quoque merita adiuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquam posset, si Hermenigeldus rex pro veritate mortuus non fuisset. Nam sicut scriptum est « Nisi

granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert » hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Wisigotharum etenim gente unus est mortuus, ut multi viverent; et dum unum granum fideliter cecidit ad obtinendam fidem animarum, segis multa surrexit.

*Petrus.* Res mira, et nostris stupenda temporibus.

(FSI 57, 204-207).

## XXVIII. LIBER DIURNUS ROMANORUM PONTIFICUM

Formulas selectas ex iis, quibus notarii Romanorum Pontificum in conscribendis epistulis, maxime in negotiis saepius eodem modo recurrentibus expediendis utebantur, hic subiungimus. Constat enim iam Gregorii notarios adhibuisse quamplures ex iis formulis, quae in antiquissima earum collectione, quae postea *Liber Diurnus* vocabatur, extant (1). Libri Diurni duo tantum ad nos pervenerunt codices (2), qui saec. quidem IX descripti, formulas tamen servaverunt saecc. V, VI, VII aut integras et immutatas, aut additamentis et mutationibus necessitatibus temporum adaptatas. Ad cognoscendam rationem, qua Romanus Pontifex munere suo fungebatur, Liber Diurnus quam maxime confert. Formulae 57-63, 82-85 ad electionem Romani Pontificis referuntur; magni momenti sunt inter istas professiones fidei Pontificis noviter electi (83-85). Formulae 2-6, 72-76, 78-80 de electionibus episcoporum agunt, inter quas iterum formulae 73-76, professiones et sponsiones episcoporum, speciali modo notandae sunt. Formulae 45-48 de concessione pallii per Romanum Pontificem agunt; formulae 40 et 41 de ordinatione presbyterorum. Caeterae formulae respiciunt unionem dioecesium, basilicas et altaria sacranda, concessiones reliquiarum, administrationem Patrimonii Ecclesiae Romanae; quamplurimae sunt privilegiorum, quae a Romanis Pontificibus monasteriis et ecclesiis concedebantur, formulae.

---

(1) Quod egregie probavit W. M. Peitz, *Ueberlieferung des Kanzleibuches u. sein vorgregorianischer Ursprung*, SBW, 1918, 4. Conf. Civ. Catt. 71, 1920, vol. 3, p. 438 ss.

(2) Primum, hodie in tabulario Vaticano servatum, edidit a. 1889 Th. v. Sickel, alterius, in Bibliotheca Ambrosiana servati phototypicam editionem curaverunt L. Gramatica et G. Galbiati in « Analecta Ambrosiana » VII, 1921. Conf. Civ. Catt. 73, 1922, vol. 3, p. 408 s. Tertius codex, quem Ioh. Garnier S. I. in prima L. D. editione (Paris. 1680, ML 105, 10-188) adhibuit, periisse videtur.

90. *Formula* III. Decretale quem leget diaconus designato episcopo. Domino beatissimo papae sanctae ecclesiae ill. presbiteri diaconi et plebs consistens cum adiacentibus parrochiis in Domino salutem. — Pontificii vestri est destitutis ecclesiis subvenire, ne plebs Deo devota diu sine proprio videatur esse rectore. Et ideo, domine beatissime papa, precamur apostolatum vestrum uti nobis ill. virum venerabilem diaconum nostrum vita et moribus comprobatum et ab universitate electum dignemini consecrare pastorem. — *Et alia manus.* Optamus te per multos annos bene valere, domine beatissime papa. — *Et subscripserunt*: Ill. archipresbiter subscripsit. ill. presbiter subscripsit. ill. archidiaconus subscripsit. ill. diaconus subscripsit. ill. subdiaconus subscripsit. ill. primicerius subscripsit. ill. acolytus subscripsit. [ill.] cantor et ceteri subscripserunt. (L. D. ed. Sickel, p. 4).

91. *Form.* VI. Synodale quem accipit episcopus. Clero ordini et plebi consistenti illic dilectissimis filiis in domino salutem. Probabilibus desideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem iam et coepiscopum nostrum ill. vobis ordinavimus sacerdotem cui dedimus in mandatis: ne umquam ordinationes praesumat inlicitas, ne bigamum aut qui virginem non est sortitus uxorem [1] neque inliteratum vel in qualibet corporis parte vitiatum [2] aut expoenitentem vel curiae [3] aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad sacros ordines permittat accedere, sed si quos huiusmodi forte repererit, non audeat promovere. Afros passim ad ecclesiasticos ordines pretendentes nulla ratione suscipiat, quia aliqui eorum Manichei, aliqui rebaptizati [4] sepius sunt probati, ministeria atque ornatum

---

[1] Conf. Siricii epistulam «Directa ad» ex a. 385 (ed. Coustant, Paris. 1721, p. 632, 634, 636).

[2] Conf. Gelasii epistulam «Necessaria rerum» ex a. 494: «Illiteratos quoque et nonnulla parte corporis imminutos sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio et apostolicae sedis vetus forma non recipit» (ed. Thiel, pag. 371 s.).

[3] Conf. Innocentii I epistulam «Etsi tibi» ex a. 404 (ed. Coustant, p 748 s., 754) et eiusdem epistulam «Saepe me» ex a. 404 (ed. Coustant, p. 769 ss.).

[4] Conf. epistulam Synodi Arelatensis ad Silvestrum Papam ex a. 314 (ibid. p. 347).

ecclesie vel quicquid illud est in patrimonio eiusdem, non minuere studeat sed augere. De reditu vero ecclesie vel oblatione fidelium quattuor faciat portiones, quarum unam sibi ipse retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, tertiam pauperibus et peregrinis, quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam (1), de quibus divino erit redditurus iudicio rationem. Ordinationes vero presbiterorum seu diaconorum non nisi primi quarti septimi et decimi mensum ieiuniis sed et ingresso quadragesimali atque medianae vespere sabbati noverit celebrandas (2). Sacrosancti autem baptismi sacramentum non nisi in paschali festivitate et pentecosten noverit esse prebendum, exceptis his qui mortis urguente periculo (3), ne in eternum pereant, talibus oportet remediis subvenire. Huic ergo sedis nostrae precepta servanti devotis animis obsequi vos oportet, ut irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesie per Christum dominum nostrum qui vivit et regnat cum Deo Patre omnipotente et Spiritu Sancto per omnia secula seculorum, amen. — *Et subscriptio eius.* Deus vos incolomes custodiat, dilectissimi filii.

(L. D. ed. Sickel, p. 5 ss.).

**92.** *Form.* X. Petitio dedicationis oratorii. Domino sancto et beatissimo patri patrum ill. pape ill. famulus vester. Ad augmentum catholice religionis pertinet, quotiens in honore sanctorum loca venerabilia divino cultui consecrantur. In predio quidem ill. iuris mei (4) basilicam sumpto proprio me suggero construxisse, quam in honore sanctorum ill. et ill. martyrum desidero consecrari: cui basilice ad luminaria vel ad alimonias ibidem servientibus offero ill. et ill. Quapropter queso apostolatum vestrum, uti datis preceptionibus vestris ad ill. virum venerabilem civitatis ill. antistitem, quatenus supramemoratam basilicam debeat sacrosanctis ministeriis consecrare, ut hoc facto beatitudinis vestre temporibus sancta veneratio sumat augmentum. Promitto pariter nihil mihi de eodem loco ulterius vindicandum

(1) Conf. Gelasii epistulam supra citatam: «Sicut dudum rationabiliter est decretum» (Thiel, p. 378).

(2) Conf. Gelasii epistulam cit. (Thiel, p. 368).

(3) Conf. Siricii epistulam cit. (Coustant, p. 626 s.).

(4) Conf. supra n. 43 c. 7, 33; infr. n. 109 c. 14; 125 c. 2; 254 c. 15; 307 c. 21.

nisi precessionis gratia, quae Christianis omnibus in commune debetur. Pari prece deposco, ut datis affatibus ad ill. virum venerabilem ill. civitatis episcopum, quatenus possit mihi reliquias supramemoratorum sanctorum solemniter contradere. (L. D. ed. Sickel, p. 9 s.).

**93.** *Form.* XI. Responsum oratorii dedicandi. Ill. petitorii nobis insinuatione suggessit quod habetur in subditis, in fundo ill. iuris ill. oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem sancti illius desiderat consecrari. Et ideo, frater karissime, si in tue parrochie memorata constructio iure consistit et nullum corpus ibi constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est ill. et ill. vel ill. prestantes liberos a fiscalibus titulis solidos tot gestisque municipalibus allegatis, predictum oratorium absque missas publicas sollemniter consecrabis, ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur nec presbiterum constituas cardinalem, sed et si missas fieri sibi fortasse maluerit, a dilectione tua noverit presbiterum postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus presumatur. Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis.
(L. D. ed. Sickel, p. 10 s.).

**94.** *Form.* XXXII. Privilegium. Quoniam semper sunt concedenda quae rationabilibus congruunt desideriis, oportet ut devotio conditoris pie constructionis oraculi in privilegiis prestandis minime denegetur. Igitur quia postulasti a nobis, quatenus monasterium sancti ill. situm in locum ill. privilegiis sedis apostolice infulis decoretur, ut sub iurisdictione sanctae nostrae cui Deo auctore deservimus ecclesiae constitutum nullius alterius ecclesie iurisdictionibus summittatur, pro qua re piis desideriis faventes hac nostra auctoritate id quod exposcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cuiuslibet ecclesiae sacerdotem in prefato monasterio dicionem quamlibet habere hac auctoritate preter sedem apostolicam prohibemus, ita ut nisi ab abbate monasterii fuerit invitatus, nec missarum ibidem sollemnitatem quispiam presumat omnimodo celebrare, ... (L. D. ed. Sickel, p. 23 s.).

**95.** *Form.* XXXIX. Preceptum libertatis. Domino credimus Deo nostro placere quod pietatis intuitu discreta prosequatur compassione, eo aiente : « Misericordiam volo et non sacrificium », ipse namque in suis legitur eloquiis conductis operariis tribuisse mercedem. Ad cuius imitationem nos qui

pastoris vices eo dispensante gerimus, fidelia exhibentibus servitia premia laborum reddere debemus, ut illi quod miserendo fecerimus sit acceptabile. Igitur servitiis exhibitis prona in quantum valuisti mente quibus nostros in commissis animos satisfecisti, ill. sanctae cui Deo auctore deservimus ecclesiae famule, auctoritate beati Petri apostolorum principis per huius nostrae preceptionis paginam recompensationis munere a presenti ill. indictione, cumulo libertatis largito, ab omni servili fortuna et conditione liberum te esse censemus civemque Romanum solutum ab omni subiectionis noxa decernimus, solam cunctis nec aliud nisi salutationem perdebere, ut profecto absolutus a iugo servili rite possis degere quibus advixeris diebus et more liberorum Deo agens gratias pro cuius hoc amore et mandato te constat promeruisse. (L. D. ed. Sickel, p. 29 s.).

**96.** *Form.* XLVIII. (De usu pallei). Item aliud episcopis Siciliae (1). Apostolice sedis benivolentia et antique consuetudinis provocati fraternitati tuae, quam in ill. ecclesia gubernationis suscepisse constat officium, pallii usum providimus concedendum, illis videlicet temporibus atque eo ordine quibus decessorem quoque tuum usum esse non ambigis. Hoc nihilominus ammonentes, ut sicut a nobis in huius decoris usu ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ad gloriam in Christo susceptum sacerdotale adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decori conspicuus, si ad huiusce corporis habitum mentis quoque tue bona concordent. Omnia etiam privilegia quae tue pridem concessa esse constat ecclesiae, nostra auctoritate firmamus et inlibata decernimus permanere. (L. D. ed. Sickel, p. 39 s.).

**97.** *Form.* LIII. Colonis et familie massarum sive fundorum in provincia ill. constitute. Ad sollicitudinem vos ill. sedis nostrae notarii et rectoris dispositio nostra pertinere constituit. Iubemus enim ut eius presentia utilitatibus et culture agrorum mandatis parere properetis et salubrioribus oboedire preceptis. Cui talem dedimus potestatem, ut eos qui contumaces extite-

(1) Secundum hanc formulam conscriptae sunt Gregorii epistulae V 61, VI 8, 18; XIII 40.

rint, districta severitate corripiat. Noveritis enim sub hac conditione vos esse commissos, ut mancipia, si qua foris latitant, vel fines pervasos sua instantia iuri ecclesiastico revocare non differat; pariter etiam periculo suo fuisse commonitum, ne aliquando violentiam rebus alienis vel raptum forsitan facere presumatis. (L. D. ed. Sickel, p. 43).

98. *Form.* LVII. De ordinatione pontificis. Psallunt secundum consuetudinem. Procedit electus de secretario cum cereostatis septem et venit ad confessionem et post letania ascendit ad sedem, simul episcopi et presbiteri. Tunc episcopus Albanensis dat orationem primam, deinde episcopus Portuensis dat orationem. Postmodum adducuntur evangelia et aperiuntur et tenentur super capud electi a diaconibus. Tunc episcopus Ostiensis consecrat eum pontificem. Post hoc archidiaconus mittit ei pallium. Deinde ascendit ad sedem et dat pacem omnibus sacerdotibus et dicit: Gloria in excelsis Deo. (L. D. ed. Sickel, p. 46 s.).

99. *Form.* LXXVI. Indiculum episcopi de Langobardia. In nomine domini Dei Salvatoris nostri Iesu Christi, imperante *et cetera*. — Promitto ego ill. episcopus sanctae ecclesiae ill. vobis beato Petro apostolorum principi vicarioque tuo beatissimo pape domino meo ill. eiusque successoribus per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, Trinitatem inseparabilem et hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem et puritatem sanctae fidei catholicae exhibere et in unitatem eiusdem fidei, Deo operante persistere in qua omnis Christianorum salus esse sine dubio comprobatur, et nullo modo contra unitatem communis et universalis Ecclesiae suadenti quippiam consentire, sed ut dixi, fidem et puritatem meam atque concursum tibi utilitatibusque ecclesiae tuae cui a domino Deo data est potestas ligandi solvendique, et predicto vicario tuo atque successoribus eius per omnia exhibere [1]. Promittens

---

[1] Sequens sententia in iuramento episcoporum suburbicariae regionis ita exprimitur: «Promittens pariter quia si quid contra rempublicam vel piissimum principem nostrum quodlibet agi cognovero, minime consentire, sed in quantum virtus suffragaverit, obviare et vicario tuo domino meo apostolico modis quibus potuero nuntiabo ed id agere facerevel, quatenus fidem meam in omnibus sincerissimam exhibeam» (L. D. ed. Sickel,

pariter festinare omni annisu, ut semper pax quam Deus diligit inter rempublicam et nos, hoc est gentem Langobardorum, conservetur, et nullo modo contra agere facerevel quippiam adversum promitto, quatenus fidem meam in omnibus sincerissimam exhibeam. Quodsi, quod absit, contra huius promissionis meae seriem aliquid facere quolibet modo aut ingenio vel occasione temptavero vel contra catholicam legem, reus inveniar aeterno iudicio et ultionem Ananie et Saphire incurram, qui etiam beato Petro de rebus propriis fraudem facere et falsa dicere presumpserunt. Hoc autem indiculum sacramenti mei ego qui supra ill. episcopus manu propria scripsi atque positum supra sacratissimum corpus tuum, beate Petre, prebui. Iusiurandum, ut superius legitur, Deo teste et iudice, conservare promitto.

(L. D. ed. Sickel, p. 80 s.).

100. *Form.* LXXXII. Decretum Pontificis [1]. Inter cetera quae summe divinitatis consilio disponuntur, pontificalis promotionis sublimitas, ipso a quo procedit omne quod bonum est predestinante ac largiente, conceditur. Et nimirum novit humanis rebus providentia divina succurrere et merentium fletus ac gemitus in exultationem convertere, ut qui nuper consternabantur afflicti, postmodum appareant nimium consolati. ... Etenim pontificalis memoriae domno ill. papa de presentibus curis ad aeternam requiem evocato, ut adsolet humanis rebus accidere, magna nos tristitiarum moles obstrinxerat proprio dispensatore destitutos, sed non diu in afflictione persistere consueta Dei nostri benignitas sperantes in se dereliquit. Diu enim nobis in oratione manentibus, ut omnium mentibus celestis dignatio demonstraret quem dignum ad successionem apostolice vicis iubeat eligendum, eius gratia suf-

---

p. 79 s.); in iuramento a s. Bonifatio, quando die 30 Novemb. a. 722 a Gregorio II consecratus est, exhibito, ita: «Sed et si cognovero, antestites contra instituta antiqua sanctorum patrum conversari, cum eis nullam habere communionem; sed magis, si valuero prohibere, prohibeam, si minus, fideliter statim domno meo apostolico renuntiabo». (MGH Epistulae selectae I, p. 29).

[1] Conf. Vitam Silverii (a. 536) in L. P. (ed. Duchesne, p. 290): «Hic levatus est a tyranno Theodato sine deliberatione decreti... Quod quidem sacerdotes non subscripserunt in eum secundum morem anticum vel decretum confirmaverunt ante ordinationem.

fragante et omnium animis inspirante, in uno convenientibus nobis ut moris est, id est cuncti sacerdotes ac proceres ecclesiae et universus clerus atque optimates et universa militaris presentia seu cives honesti et cuncta generalitas populi istius a Deo servate Romane urbis, si dici licitum est a parvo usque ad magnum, in personam ill. sanctissimi huius sancte apostolicae sedis Romane ecclesiae diaconi Deo cooperante et beatorum apostolorum annisu concurrit atque consensit electio. Cuius Deo amabilis vir(i) tantum meruit apud omnium conscientias bone et pudicae conversationis profectio, ut nullus in eius electione dissideret, nullus abesset nullusve se ipsum subtraheret. Quem enim ad hoc apostolice vicis officium incomparabilis atque indeficiens Dei nostri providentia predestinatum habuerat, quomodo non et humanis mentibus unanimis consonantia conveniret? Quod procul dubio in Dei presentia tenebatur adfixum. Cuius et decretum sollemniter facientes et desideria cordium circa eius electionem manus subscriptionibus confirmantes, profitemur ipsum Deo amabilem nostrum electum castum pudicum sobrium ac benignum et in omnibus piis operibus esse perfectum atque orthodoxe fidei et sanctorum patrum traditionum defensorem et fortissimum observatorem. Hunc omnes ut profecto mitissimum virum pro eius suavissima ac bone voluntatis constantia unianimiter nobis elegimus pastorem atque pontificem, unde ob eius pie conversationis integritatem immensas Redemptori nostro gratiarum laudes offerimus, consona cum propheta canentes voce : « Magnus es, domine Deus noster, et magna virtus tua; quis enim loquitur potentias tuas, Domine, auditas faciet omnes laudes clementiae tuae. Quoniam vota petentium te exaudiens pium nobis contulisti pastorem, qui sanctam universalem Ecclesiam et cunctas sibi dominicas ac rationales commissas oves regere atque gubernare, te domino Deo et Salvatore nostro protegente, valeat ». Hoc vero decretum a nobis factum subter, ut prelatum est, manibus propriis roborantes in arcivo domine nostrae sanctae Romane ecclesiae, scilicet in sacro Lateranensi scrinio, pro futurorum temporum cautela recondi fecimus in mense ill. indictione ill. — Ill. humilis presbiter sanctae Romane ecclesiae huic decreto a nobis facto in ill. sanctissimo diacono et electo nostro consensi et suscripsi. — Similiter totus clerus cum optimatibus et militibus seu civitonicis (?) subscripserunt.

(L. D. ed. Sickel, p. 87 ss.).

# XXIX. S. COLUMBA (1)

Natus in Hibernia et litteris ad modum gentis illius optime excultus, monachus in monasterio Bangor (2), c. a. 590 « pro Christo peregrinari » coepit. C. a. 591 in Galliam cum 12 sociis advenit, et in Burgundica regione, apud Anagrates (Annegray) in monte Vosago sedem fixit. Mox apud Fontanas (Fontaines) et Luxovium (Luxeuil) coenobia instituit, mores et usus Scottorum in omnibus fideliter servans. Cum mores depravatos aulae regiae et maxime Theudeberti II regis acerrime reprehenderet, instigante Brunechilde, regis avia, Luxovio expulsus, post varias peregrinationes in Alamannorum regionem Brigantiam (Bregenz) venit, ibique per biennium commoratus, tandem in Italiam abiit. Ab Agilulfo, Langobardorum rege, benigne exceptus, Bobbiense monasterium instituit, ubi a. 615 obiit. Inter eius opera eminent *Regula monachorum* (ed. SEEBASS in ZKG XV 1895, 373-386), *Regula coenobialis* (ib. XVII, 1897, 218-234); conf. ML 80, 209-216) cui particularis est severissimarum poenarum pro singulis defectibus infligendarum catalogus. Columbae *Liber paenitentialis*, i. e. paenitentiarium a sacerdote paenitenti in confessione pro gravitate peccatorum imponendarum elenchus, antiquissimum documentum est, ex quo praxim in administrando hoc sacramento usitatam exactius cognoscimus (ed. SEEBASS in ZKG XIV 1894, 442-447; conf. ML 80, 225-230). Ad diiudicandam Columbae indolem plurimum conferunt eius *Epistulae* 6 (MGH EPP 3, 156-182; ML 80, 259-284) (3), in quibus se acerrimum quidem usuum ecclesiasticorum patriae suae defensorem ostendit, simul tamen primatum Romani Pontificis strenue profitetur (4). Columbae et eius successorum abbatum tum Bobbiensium tum Luxoviensium Athalae, Bertulfi, Eustasii *Vitas* egregie enarravit Ionas Bobbiensis monachus (infra n. 144).

---

(1) Columbanus etiam dictus, vel Columba iunior; Columba senior a 563 instituit celeberrimum monasterium in insula Iona.

(2) A. 558 institutum a. s. Comgall, cuius *Vita* in *Vitae Sanctorum Hiberniae*, ed. C. PLUMMER, Oxford 1910, 2, 3-21. Antiphonarium Bangorense antiquissimum, collectionem scil. canticorum, hymnorum, orationum et antiphonarum, quae in officio divino persolvendo a monachis Bangorensibus saec. VI cantabantur, servavit codex inter aa. 680 et 690 exaratus, olim Bobbiensis, nunc Ambrosianus (ed. F. E. Warren, in *H. Bradshaw Society*, voll. 4 et 10, London 1893 et 1895).

(3) Ep. 6 editionis MGH EPP 3, p. 177-180 non est Columbae.

(4) « Ego enim credo semper columnam Ecclesiae firmam esse in Roma » (MGH EPP 3, p. 177, conf. ML 80, 282: « esse in ramo » !).

**101.** *Epist.* 1. Domino sancto et in Christo Patri, Romanae pulcherrimo Ecclesiae decori, totius Europae flaccentis augustissimo quasi cuidam flori, egregio speculatori, theoria utpote divina causalitatis perito, ego Bargoma (vilis columba) in Christo mitto salutem. ... Quid ergo dicis de Pascha vigesimae primae aut vigesimae secundae lunae, quod iam, tui tamen pace dictum sit, non esse Pascha nimirum tenebrosum a multis comprobatur computariis? Non latet enim, ut credo, efficaciam tuam, quantum Anatolius [1], « mirae doctrinae vir », ut sanctus ait Hieronymus, cuius Eusebius Caesariensis episcopus in Ecclesiastica excerpta inseruit Historia — et sanctus Hieronymus in suo hoc idem de Pascha opus collaudavit Catalogo — de hac lunae aetate vituperando disputet; qui contra Gallicanos primarios de Pascha, ut ait, errantes, horrendam intulit sententiam. ... Quod utique Victorius [2] in suo transgressus est cyclo et per hoc Galliae iamdudum invexit errorem seu, ut humilius dicam, confirmavit inolitum. Quippe qua ratione utraque stare possunt, ut scilicet resurrectio Domini ante suam celebretur passionem; quod vel putari absurdum est, aut 7 dies Domini iussione in lege sanciti, in quibus tantum legitime Phase Domini comedi mandatum est, qui a XIV luna usque ad XX numerandi sunt, contra ius fasque transcendantur? Luna enim XXI aut XXII extra ius lucis est, utpote post medium noctis tunc temporis exorta, et, tenebris lucem superantibus, lucis solemnitas nefas est, ut aiunt, agi. Quare ergo tu, tam sapiens, nimirum cuius clarissima per orbem, ut antiquitus, sacri ingenii diffusa sunt lumina, Pascha tenebrosum colis? Miror, fateor, a te hunc Gal-

---

([1]) Anatolius Alexandrinus, Laodiceae c. a. 268 episcopus, laudatus ab Eusebio (Hist. Eccl. 7, 32) et Hieronymo (De viris illustribus 73) scripsit quidem περὶ τοῦ πάσχα ; liber tamen *De ratione paschali* (ed. B. KRUSCH, *Studien zur christl. mittelalt. Chronologie*, 1880, 316 ss.), qui Anatolii nomine editus, apud Hibernos tantae auctoritatis erat, spurium saec. VI est. (ib. 311 ss.).

([2]) Canon paschalis Victorii Aquitani (a. 457) per Concilii Aurelianensis (a. 541) can. 1 (« Placuit... ut sanctum Pascha secundum laterculum Uictori ab omnibus sacerdotibus uno tempore celebretur »...) Galliae ecclesiis impositus, ibi usque ad s. VIII in usu fuit, dum in Italia iam ab a. 525 Dionysii Exigui canon valebat. Conf. Suggestionem Bonifati primicerii notariorum ad Iohannem papam I ex a. 526 ed. B. KRUSCH in *Papsttum n. Kaisertum*, München 1926,, p. 56 s.

liae errorem acsi scismaticum iam diu non fuisse rasum; nisi forte putem, quod vix credere possum, dum eum constat a te non fuisse emendatum, a te esse probatum. Aliter tamen et honestius tua excusari potest peritia : dum forte notam subire times Hermagoricae novitatis, antecessorum et maxime papae Leonis auctoritate contentus es. Noli te, quaeso, in tali quaestione humilitati tantum aut gravitati credere, quae saepe falluntur; « melior forte est canis vivus » in hoc problemate « leone mortuo »; vivus namque sanctus emendare potest, quae ab altero maiore emendata non fuerint. Scias namque, nostris magistris et Hibernicis antiquis philosophis et sapientissimis componendi calculi computariis Victorium non fuisse receptum, sed magis risu vel venia dignum quam auctoritate. Idcirco mihi timido, magis peregrino quam sciolo, precor, tuae dirige fulcrum sententiae et mature punctum tuae placabilitatis huic tempestati nos circumdanti compescendae transmittere non dedigneris; quia non mihi satisfacit post tantos quos legi auctores una istorum sententia episcoporum dicentium tantum : Cum Iudaeis facere Pascha non debemus. ... Sed haec magis procaciter quam humiliter scribens, scio, euripum praesumptionis difficillimae me invexisse, enavigandum fore ignotus. Nec loci namque nec ordinis est, ut magnae tuae auctoritati aliquid quasi discutiendo inrogetur, et ridiculose te mei, nimirum Petri cathedram apostoli et clavicularii legitime insidentem, occidentales apices de Pascha sollicitent. Sed tu non tam me vilem in hac re, quam multos et defunctos et viventes haec eadem quae notavi firmantes magistros considerare debes, et quasi cum eis trahere colloquium te crede; pie namque me scito, licet saltuatim et hyperbolice chilosum os aperire. Tuum itaque aut excusa aut damna Victorium, sciens si illum laudaveris, inter te et supradictum Hieronymum fidei futurum fore negotium, qui nimirum Anatolium laudavit huic contrarium; itaque qui unum secutus fuerit, alterum recipere non poterit. Tua itaque consideret vigilantia, ut in fide duorum supradictorum auctorum sibi invicem contrariorum probanda, nulla sit inter te et Hieronymum in sententia promenda dissonantia, ne nobis undique sint angustiae, ut aut tibi aut illi consentiamus. Parce in his infirmis, ne scandalum diversitatis ostendas. Simpliciter enim ego tibi confiteor, quod contra sancti Hieronymi auctoritatem veniens apud occidentis ecclesias hereticus seu respuendus erit, quicumque ille fuerit : illi enim per omnia in-

dubitatam in scripturis divinis accommodant fidem. Sed haec de Pascha sufficiant. ... (1). (MGH EPP 3, 156-158).

**102.** Pulcherrimo omnium totius Europae ecclesiarum capiti, Papae praedulci, praecelso praesuli, pastorum pastori, reverendissimo speculatori, humillimus celsissimo, minimus maximo, agrestis urbano, micrologus eloquentissimo, extremus primo, peregrinus indigenae, pauperculus praepotenti — mirum dictu, nova res! — rara avis scribere audet Bonifacio patri Palumbus.

... Doleo enim, fateor, de infamia cathedrae sancti Petri (2); scio tamen super me esse negotium, et quod prima fronte sub prunas, ut dicitur, faciem ponam. Sed quid mihi facies coram hominibus, ubi zelus fidei prodi necesse est? Coram Deo et angelis non confundar; laus est pro Deo coram hominibus confundi. Si exaudiar, commune lucrum erit; si despiciar, mea merces erit. Ego enim ut amicus, ut discipulus, ut pedisequus vester, non ut alienus loquar; ideo libere eloquar nostris utpote magistris ac spiritualis navis gubernatoribus ac mysticis proretis dicens: Vigilate, quia mare procellosum est et flabris exasperatur feralibus, quia non a sola minax unda, quae etiam permota pontum semper cautius spumosis concavat vorticibus, hyperbolice licet de longe turgescens extollitur et ante se carbasa sulcatis Orco molibus trudit, sed tempestas totius elementi, nimirum undique consurgentis et undique commoti, mysticae navis naufragium intentat; ideo audeo timidus nauta clamare: Vigilate, quia aqua iam intravit in ecclesiae navem, et navis periclitatur. Nos enim sanctorum Petri et Pauli et omnium discipulorum divinum canonem Spiritu Sancto scribentium discipuli sumus toti Iberi, ultimi habitatores mundi, nihil extra evangelicam et apostolicam doctrinam recipientes; nullus hereticus, nullus iudaeus, nullus scismaticus fuit; sed fides catholica, sicut a vobis primum, sanctorum videlicet apostolorum successoribus, tradita est, inconcussa tenetur. Qua fiducia roboratus ausus sum, acsi stimulatus, suscitare vos contra eos, qui blasphemant vos et hereticorum receptores

---

(1) Scripta est haec epistula ad S. Gregorium M. a. 600.

(2) Scripta est epistula ad Bonifatium IV, a. c. 613, quando s. Columbanus in Italia veniens, schisma ibi, ex causa trium Capitulorum exortum, invenit.

clamant ac scismaticos vocant, ut gloriatio mea, qua pro vobis fidus illis respondens locutus sum, non sit inanis, et illi confundantur, non nos. Ego enim pro vobis promisi, quod nullum hereticum Romana ecclesia defendat contra catholicam fidem, sicut discipulos ita decet sentire de magistro...

Vigila itaque, quaeso, papa, vigila, et iterum dico : vigila, quia forte non bene vigilavit Vigilius, quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam iniciunt. Vigila primo pro fide, deinde pro operibus fidei iubendis vitiisque calcandis, quia tua vigilantia multorum erit salus, sicut e contrario tua securitas multorum erit vastatio...

Nos enim, ut ante dixi, devincti sumus cathedrae sancti Petri; licet enim Roma magna est et vulgata, per istam cathedram tantum apud nos est magna et clara. Quamquam enim Ausonici decoris, acsi augustissimum quiddam ac aetheris procul seiunctum climatibus promiscuis, urbis quondam conditae nomen nimio favore omnium prope gentium, totum per orbem usque in occidua transmundialis limitis loca, triumphalibus saltuatim, licet hyperbolice, pelagi vorticibus undique consurgentibus, mirum dictu non prohibentibus, longe lateque vulgatum est, ex eo tamen tempore, quo Deus et Dei filius esse dignatus est, ac in duobus illis ferventissimis Dei spiritus equis, Petro videlicet et Paulo apostolis, quorum cara pignora vos felices fecerunt, per mare gentium equitans turbavit aquas multas et innumerabilium populorum millibus multiplicavit quadrigas : supremus ipse auriga currus illius, qui est Christus, pater verus, agitator Israel, trans euriporum rheuma, trans delfinum dorsa, trans turgescentem dodrantem ad nos usque pervenit. Ex tunc vos magni estis et clari, et Roma ipsa nobilior et clarior est et, si dici potest, propter Christi geminos apostolos — dico ipsos caelos a Spiritu Sancto dictos, Dei gloriam enarrantes, de quibus infertur : « In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum » — vos prope caelestes estis, et Roma orbis terrarum caput est ecclesiarum, salva loci dominicae resurrectionis singulari praerogativa. Et ideo sicut magnus honor vester est pro dignitate cathedrae, ita magna cura vobis necessaria est, ut non perdatis vestram dignitatem propter aliquam perversitatem. Tam diu enim potestas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanserit; ille enim certus regni caelorum clavicularius est; qui dignis per veram scientiam aperit et indignis claudit; alioquin si contraria fecerit, nec aperire nec claudere poterit...

De cetero, sancte papa et fratres, orate pro me, vilissimo peccatore, et meis conperegrinis iuxta loca sancta et sanctorum cineres et praecipue iuxta Petrum et Paulum, viros similiter et magnos magni regis duces ac fortissimos campi felicissimi bellatores, Dominum crucifixum cum cruore sequentes, ut mereamur Christo haerere, placere, gratias agere eumque cum Patre et Spiritu Sancto sine fine laudare vobiscum, omnibus sanctis hic et in aeterna saecula saeculorum. Amen. (MGH EPP 3, 170-177).

**103.** *Regula monachorum*, cap. VII. De cursu. De synaxi uero, id est de cursu psalmorum et orationum modo canonico quaedam sunt distinguenda, quia uarie a diuersis memoriae de eo traditum est. Ideo iuxta uitae qualitatem ac temporum successionem uarie a me quoque litteris idem insinuetur. Non enim uniformis esse debet pro reciproca temporum alternatione; longior enim per longas noctes, breuiorque per breues esse conuenit. Inde et cum senioribus nostris ab VIII Kal. Iul. cum noctis augmento sensim incipit crescere cursus a XII choris breuissimi modi in nocte sabbati siue dominicae usque ad initium hiemis, id est Kal. Nou. In quibus XXV canunt antifonas psalmorum eiusdem numeri duplicis, qui semper tertio loco duobus succedunt psallitis, ita ut totius psalterii inter duas supradicats noctes numerum cantent, duodecim choris caeteras temperantes tota hieme noctes. Qua finita per uer sensim per singulas ebdomatas terni semper decedunt psalmi, ut XII in sanctis noctibus tantum antifonae remaneant, id est cotidiani hiemalis XXXVI psalmi cursus, XXIII autem per totum uer et aestatem et usque ad autumpnale aequinoctium, id est VIII Kal. Octob... Ad initium uero noctis XII psalmi, ad mediumque noctis XII similiter psallantur; at matutinum uero bis deni bisque bini per tempora breuium, ut dictum est, noctium sunt dispositi, pluribus, iam ut dixi, semper nocti dominicae ac sabbati uigiliae deputatis, in quibus sub uno cursu LXXV singillatim cantantur. [1] (ZKG XV, 378 ss.).

---

[1] De tota hac officii divini secundum usum Hibernorum distributione conf. *The Antiphonary of Bangor* ed. F. E. WARREN in *H. Bradshaw Society*, vol. 10, London 1895, p. XVI. Eius influxus manifestat se in *Regula s. Donati* Bisuntini episcopi († 660), qui Luxovii educatus, pro monialibus regulam scripsit, cuius cap. 75 ad verbum fere ex s. Co-

**104.** *De paenitentia.* ... Diuersitas culparum diuersitatem facit paenitentiarum. Nam et corporum medici diuersis medicamenta generibus componunt; aliter enim uulnera, aliter morbos, aliter tumores, aliter liuores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter conbustiones curant. Ita igitur etiam spiritales medici (1) diuersis curationum generibus animarum uulnera, morbos, culpas, dolores aegritudines, infirmitates sanare debent. Sed quia haec paucorum sunt, ad purum scilicet cuncta cognoscere curare, ad integrum salutis statum debilia reuocare, uel pauca iuxta seniorum traditiones et iuxta nostram ex parte intelligentiam — ex parte namque prophetamus et ex parte cognoscimus — aliqua proponamus. ...

Sed haec de clericis et monachis mixtim dicta sint, caeterum de laicis: 13. Quicumque fecerit homicidium, id est proximum suum occiderit, III annis exul in pane et aqua paeniteat et post III annos reuertatur in sua, reddens uicem parentibus occisi pietatis et officii; et sic post satisfactionem iudicio sacerdotis iungatur altario. ... 19. Si quis laicus furtum fecerit, id est bouem aut equum aut ouem aut aliquod animal proximi sui furatus fuerit, si semel aut bis fecit, reddat primum proximo suo damnum quod fecit et tribus XLmis in pane et aqua peniteat. Si autem saepe furtum facere consueuit et reddere non potuerit, anno et III XLmis peniteat et deinceps nequaquam facere promittat, et sic in Pascha alterius anni communicet, id est post duos annos, data tamen ante pauperibus de suo labore helemosina, et sacerdoti paenitentiam iudicanti epula, et ita abremittatur illi malae consuetudinis culpa. ... 23. Si quis laicus adulterare uoluerit aut fornicare cum sponsa et concupierit mulierem proximi sui et non fecerit, id est non potuerit, quia mulier eum non suscepit, tamen ille paratus fuit ad fornicandum, confiteatur cul-

---

lumbani regula desumptum est (ML 87, 296). Sunt tamen non pauca capitula huius regulae ex Regula s. Benedicti desumpta. Immo in ipsis monasteriis a discipulis s. Columbani institutis, post a. c. 650 regula s. Benedicti magis ac magis Columbae regulam evincit. Cf. infra n. 111.

(1) Conf. Ionas, Vita s. Columbani, I, 5; « Fides tantum [in Galliis] manebat christiana, nam penitentiae medicamenta et mortificationis amor vix vel paucis in ea repperiebatur locis »; conf. ib. I, 10, infra n. 144.

pam suam sacerdoti et ita XL diebus in pane et aqua paeniteat. 24. Si quis autem laicus manducauerit aut biberit iuxta fana, si per ignorantiam fecerit, promittat deinceps quod numquam reiteret, et XL diebus in pane et aqua peniteat. Si uero per contemptum hoc fecerit, id est postquam sacerdos illi praedicauit quod sacrilegium hoc erat, et postea mensae daemoniorum communicauerit, si gulae tantum uitio hoc fecerit, aut repetuerit, III XLmis in pane et aqua peniteat, si uero cultu daemonum aut honore simulacrorum hoc fecerit, III annis paeniteat. ...

(ZKG XIV, 442-446).

## XXX. CANONES CONCILIORUM FRANCIAE SAEC. VII.

Inter pauca quorum canones servantur, concilia regni Merovingici saec. VII, eminet concilium Parisiense a. 614, tum propter episcoporum nomina, quae prima vice episcopos ex universa monarchia Francorum adunatos ostendunt, tum propter edictum, quo Chlotharius II (613-623) canones concilii sancivit. Conciliorum saec. VII canones in genere non sunt nisi canonum praeteritorum conciliorum iteratae sanctiones; pauca pro temporum necessitate adduntur vel nova statuuntur.

**105.** *Concilium Parisiense* (a. 614, Oct. 10). Cum in Dei nomine secundum priscorum sanctorum Patrum constitutiones in orbem Parisius ex evocationem gloriosissimi principis domni Hlotharii regis in synodali concilio convenissimus tam pro renovandis antiquorum canonum statutis, quae praesentis temporis necessarium fecit opportunitas iterari, quam his, quae adsurgentibus undecumque querilarum materies recentis definitionis ordo poposcit institui, tractantes, quid quomodo principis, quid salute populi utillius conpeterit vel quid ecclesiasticus ordo salubriter observaret:

*Can. 1.* Primo in loco, ut canonum statuta in omnibus conserventur et, quod per prolixa temporum spatia praetermissum est, vel deinceps perpetualiter observetur.

*Can. 2.* Hoc est: ut decedente episcopo in loco ipsius ille Christo propitio debeat ordinari, quem metropolitanus a quo ordinandus est, cum conprovincialibus suis, clerus vel populus civitatis illius absque ullo quommodo vel datione pecuniae elegerint.. Quod si aliter aut potestatis subreptione aut quacumque neglegentia absque electione me-

tropolitani, cleri consensu vel civium fuerit in ecclesia intromissus, ordinatio ipsius secundum statuta patrum irrita habeatur (1).

*Can. 3.* Ut nullus episcoporum se vivente alium in loco suo non elegat nec qualiscumque persona illo superstite locum ipsius sub quocumque argumentum vel ingenium adoptare presumat, nec a quemquam debeat ordinare, nisi certe conditionis extiterint, ut ecclesiam suam nec regere valeat aut ecclesiastica regula, ut ordo exposcit, conservare. Quod si quis contemptor constitutionis huius hoc adtemtare presumserit, canonica se noverit excepturum sententia.

*Can. 5.* Ut, si quis clericus quolibet honore monitus contempto episcopo suo ad principe vel ad potentiores homines vel ubi aut ubi ambulare vel sibi patronum elegerit, non recipiatur, preter ut veniam debeat promereri. Quod si fecerit, hii, qui ipsum post admonitionem pontificis sui retenere presumpserint, noverint se utrumque priorum canonum sententia esse damnandos (2).

*Can. 6.* Ut nullus iudicum neque presbyterum neque diaconem aut clericum aut iuniores Ecclesiae sine scientia pontificis per se distringat aut condemnare presumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui iniuria inrogari dinoscitur, tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatu suo cognoscat et emendet (3).

*Can. 16.* Incestas vero coniunctiones ab omni Christianorum populo censuemus specialiter resecari, ita ut, si quis relicta fratris, sorore uxoris, privigna, consubrinà, vel relicta idem patrui atque avunculi vel in religionis habitu dedita coniugii crediderit consortio violanda, tamdiu a communionis gratia segregetur, quamdiu ab inlicitis coniunctionibus sequestratione manifestissima debeat abstenere (4).

*Can. 17.* Ut nullus Iudaeorum qualemcumque militia aut actione publica super Christianos aut adpetere a

---

(1) Conf. subsequens edictum Chlotharii, infra n. 106, c. 1.

(2) Conf. edict. Chlothar. c. 3.

(3) Conf. edict. c. 4, 5; concil. Clippiac. a. 626 can. 7.

(4) Conf. concil. Clippiac. a. 626, can. 10, quo praescribitur, ut « episcopi seu presbyteri in quorum diocisi vel pago actum fuerit, regi vel iudicibus scelus perpetratum adnuntient ».

principe aut agere presumat. Quod si temptaverit, ab episcopo civitatis illius ubi actionem contra canonum statuta conpetiit, cum omni familia sua baptismi gratia consequatur.

Factum synodo VI. id. Octobris in basilica beati Petri apostoli Parisius, anno XXXI. regni gloriosissimi domni Hlothari principis.

[*Nomina episcoporum*] :

Ex civitate Lugdonum Aridius episcopus (1).
Ex civitate Arelate Florianus episcopus.
Ex civitate Uienna Domulus episcopus.
Ex civitate Rodomagum Hildulfus episcopus.
Ex civitate Treueris Sabaudus episcopus.
Ex civitate Bessuntione Proardus episcopus.
Ex civitate Colonia Solacius episcopus.
Ex civitate Beturregas (2) Austrigisilus episcopus.
Ex civitate Burdegala Arnegisilus episcopus.
Ex civitate Senonis (3) Lupus episcopus.
Ex civitate Remus Sunnacius episcopus.
Ex civitate Elosa (4) Leodomundus episcopus.
Ex civitate Uicoiulio (5) Palladius episcopus.
Ex civitate Augustidunum (6) Rocco episcopus.
Ex civitate Sanctonex (7) Audoberhtus episcopus.
Ex civitate Cinnomannis (8) Bertegramnus episcopus.
Ex civitate Andecauis (9) Magnobodus episcopus.
Ex civitate Pectauis (10) Ennoaldus episcopus.
Ex civitate Redonis (11) Haimoaldus episcopus.
Ex civitate Namnatis (12) Eufronius episcopus.
Ex civitate Baiocas Leodoaldus episcopus.
Ex civitate Abrincatas (13) Hildoaldus episcopus.
Ex civitate Uasatis (14) Gudualdus episcopus.
Ex civitate Matascone (15) Deudatus episcopus.
Ex civitate Aurilianis Liudigisilus episcopus.
Ex civitate Aluiae (16) Fredemendus episcopus.
Ex civitate Alticiotro (17) Disiderius episcopus.
Ex civitate Caturcus (18) Eusepius episcopus.

---

(1) De nominibus civitatum et episcoporum conf. L. DUCHESNE, *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule*, 1-3, 1894-1915.

(2) Bourges; (3) Sens; (4) Eauze; (5) Aire; (6) Autun; (7) Saintes; (8) Le Mans; (9) Angers; (10) Poitiers; (11) Rennes; (12) Nantes; (13) Avranches; (14) Bazas; (15) Macon; (16) Albi; (17) Auxerre; (18) Cahors.

Ex civitate Besuntione Protagius episcopus.
Ex civitate Cabillonno Antestis episcopus [1].
Ex civitate Lingoris Miechius episcopus [1].
Ex civitate Carnotis [2] Theodoaldus episcopus.
Ex civitate Belisio [3] Aquilenus episcopus.
Ex civitate Sisterone Secundinus episcopus [1].
Ex civitate Tholosa Hiltigisilus episcopus.
Ex civitate Uallesse [4] Leodomundus episcopus.
Ex civitate Marace [5] Gaugericus episcopus.
Ex civitate Gracinopoli Suagrius episcopus [1].
Ex civitate Niuerno [6] Raurecus episcopus.
Ex civitate Trigassinum Agrigola episcopus [1].
Ex civitate Uasione Uincentius episcopus [1].
Ex civitate Dea Maximus episcopus [1].
Ex civitate Ebrituno Lopacharus episcopus [1].
Ex civitate Uapinco Ualatonius episcopus [1].
Ex civitate Uindesca [7] Ambrosius episcopus.
Ex civitate Antheopoli [8] Eusepius episcopus.
Ex civitate Apte Innocentius episcopus.
Ex civitate Loxouia [9] Chamnegisilus episcopus.
Ex civitate Meldus [10] Gundoaldus episcopus.
Ex civitate Rotemus [11] Uerus episcopus.
Ex civitate Lugdono [12] Glauatu Rigobertus episcopus.
Ex civitate Cura Uictor episcopus.
Ex civitate Ambianus [13] Berachundus episcopus.
Ex civitate Ebroegas [14] Erminulfus episcopus.
Ex civitate Latona [15] Palladius episcopus.
Ex civitate Nicia [16] Abraham episcopus.
Ex civitate Tollo [17] Eudila episcopus.
Ex civitate Senacio [18] Marcellus episcopus.
Ex civitate Nocciomo [19] Berhtmundus episcopus.
Ex civitate Uuarnacio [20] Berhtulfus episcopus.
Ex civitate Aginno [21] Flauardus episcopus.
Ex civitate Gaballetano [22] Agricula episcopus.
Ex civitate Loxouias [23] Launomundus episcopus.

---

(1) Conf. supra n. 29.

(2) Chartres; (3) Belley; (4) Sion; (5) Cambrai-Arras; (6) Nevers; (7) Venasque; (8) Antibes; (9) Lisieux; (10) Meaux; (11) Rodez; (12) Lugdunum Clavatum, Laon; (13) Amiens; (14) Evreux; (15) St. Jean de Losne; (16) Nizza; (17) Toul; (18) Senez; (19) Noyon; (20) Uormacia, Worms; (21) Agen; (22) Mende; (23) Luxeuil (?).

Ex civitate Equilisima (1) Bassolus episcopus.
Ex civitate Treiecto (2) Bettulfus episcopus.
Ex civitate Sedonis (3) Dracoaldus episcopus.
Ex civitate Tolosa Uuigillisilus episcopus.
Ex civitate Catalaunis (4) Leudomeris episcopus.
Ex civitate Uiredono Harimeris episcopus.
Ex civitate Sissionis (5) Ansericus episcopus.
Ex civitate Sammo Marcellus episcopus.
Ex civitate Consorannis (6) Iohannis episcopus.
Ex civitate Parisius Ceraunius episcopus.
Ex civitate Stratoburgo Ansoaldus episcopus.
Ex civitate Spira Hildericus episcopus.
Ex civitate Petrocorius (7) Aggus episcopus.
Ex civitate Lorione Helarianus episcopus.
Ex civitate Castro ultra mare Iustus episcopus.
Ex civitate Massilia Peter episcopus.
Peter abba de Dorouerno (8).

(MGH Concil. I, 185 ss.).

**106.** *Chlotharii II. Edictum* (a. 614, Oct. 18). Incipit actuum vel constitutionem [inclyti principis] Clothacharii regis super omnem [plebem in conventu episcoporum] in sinodo Parisius [adunata], sub die XV Kal. Nov. anno trecesimo primo suprascripti regis imperium. Felicitatem regni nostri in hoc magisque divinum intercedente suffragium succrescere non dubium est, si qua in regno, Deo propicio, nostro, bene acta, statuta atque decreta sunt, inviolabiliter nostro studuerimus tempore custodire; et quod contra rationis ordinem acta vel ordinata sunt, ne inantea, quod avertat Divinitas, contingat, disposuimus Christo praesole per huius edicti nostri tenorem generaliter emendare :

1. Ideoque definitionis nostrae est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, et quod per tempore ex hoc praetermissum est vel dehaec perpetualiter conservetur; ita ut episcopo decedente in loco [ipsius], qui a metropolitano ordinari debeat cum provincialibus, a clero [et populo] eligatur; si persona condigna fuerit, per ordinationem

(1) Engolisma, Angoulême; (2) Maestricht; (3) Sion (?); (4) Châlon s Marne; (5) Suessionae, Soissons; (6) Conserans, St. Lizier; (7) Perigueux; (8) Canterbury (?).

principis ordinetur; certe si de palatio eligitur, per meritum personae et doctrinae ordinetur.

2. Ut nullus episcoporum se vivente eligat successorem, sed tunc alius ei substituatur, cum taliter afficeretur, ut ecclesiam suam nec clerum regere possit. Idemque ut nullus vivente episcopo adoptare locum eius praesumat; quod si petierit, ei menime tribuatur.

3. Si quis clericus, quolibet honore monitus, in contimtu episcopo suo vel praetermisso, ad principem aut ad potentioris quasque personas ambulare vel sibi patrocinia elegerit expetendum, non recipiatur, praeter si pro veniam vedetur expetere. Et si pro qualebit causa ad principem expetierit et cum ipsius principis epistola ad episcopo suo fuerit reversus, excusatus recipiatur. His qui ipsum post admonitionem pontefici suo retenere praesumpserit, a sancta communione privetur.

4. Ut nullum iudicum de qualebit ordine clerecus de civilibus causis, praeter criminale negucia, per se distringere aut damnare praesumat, nisi convicitur manefestus, excepto presbytero aut diacono. Qui convicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones distringantur et cum ponteficibus examinentur.

5. Quod si causa inter personam publicam et hominibus Ecclesiae steterit, pariter ab utraque partem praepositi ecclesiarum et iudex publicus in audientia publica positi eos debeant iudicare.

18. De puellas et viduas relegiosas aut sanctaemunialis qui se Deo voverant, tam que in proprias domus resedent quam qui in monastyria posete sunt, nullus nec per praeceptum nostrum conpetat nec trahere nec sibi in coniugio sociare paenitus praesumat. Et si quis exinde praeceptum eleguerit, nullum sorciatur effectum. Et si quicumque aut per virtute aut per quolibet ordine ipsas detrahere aut sibi in coniugium praesumpserit sociare, capitale sententia feriatur. Et si in ecclesia coniugium fecerint et illa rapta aut rapienda in hoc consentire videbitur, sequestrati ab invicem in exilio deportentur, et facultas ipsorum propinquis heredibus societur. (1).

---

(1) Cf. concil. Paris. can. 15, in quo excommunicationis in sanctimoniales matrimonium attentantes poena statuitur. Edictum regis poenas gravissimas addit

24. Quicumque vero haec deliberationem quem cum ponteficibus vel tam magnis viris optematibus aut fidelibus nostris in synodale concilio instruemus, temerare praesumpserit, in ipso capitale sententia iudicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare.

Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valeturum manus nostrae subscripcionibus decrevimus rovorandum. Hamingus.

Chlothacharius in Christi nomine rex hanc definitione subscripsi.

Data sub die XV Kalendas Novembris, anno XXXI, regni nostri Parisius. (MGH Capitularia I, 20 ss.).

**107.** *Concilium Clippiacense* (a. 626 aut 627, Sept. 27). *Can. 1.* Episcopus, presbyter vel diaconus usuras a debitoribus exigens aut desinat aut certe damnetur. Nam neque centissima exigant aut turpia lucra requirant (1); sexcuplum vel decoplum exigere prohibemus omnibus Christianis.

*Can. 2.* Clerici quod etiam sine precaturiis qualibet diurnitate temporis de ecclesiae remunerationem possiderint (2), in ius proprietarium prescriptionem temporis non vocetur, dummodo pateat rem ecclesiae fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationis prolixe aut precaturias, cum ordinati sint, facere debuisse aut diu tentas ecclesiae facultates proprietati suae posse transcribi.

*Can. 13.* Christiani Iudaeis et gentilibus non vendantur. Nam si quis Christianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venundanda, non aliis nisi tanto Christianis expendat. Nam si paganis aut Iudaeis vendiderint, communione priventur et emptio careat firmitatem. Iudaei vero si Christiana mancipia ad Iudaismum vocare praesumpserint aut gravibus tormentis adflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus reformentur. ...

*Can. 16.* Conperimus ita a Christianis auguria observari, ut simili paganorum scelere conparetur. Sunt etiam nonnulli, qui cum paganis comedunt cibos; sed hos benigne placuit admonitione suaderi, ut ab erroribus pristinis revocentur. Quod si neglexerint et idolatriis vel immolantibus se miscuerint, paenitentiae tempus exsolvant.

---

(1) Similis prohibitio in conc. Aurelian. a. 538 can. 30.

(2) Can. 18 conc. Epaonensis a. 517 hic inserit verba: « cum auctoritate domni gloriosissimi principis nostri ».

*Can. 21.* Ut in parrociis nullus laicorum archipresbyter preponatur, sed, qui senior in ipsa parrocia esse debet, clericus ordinetur.

*Can. 28.* Ut decedente episcopo in loco eius non alius subrogetur nisi loci illius indegena, quem universalis totius populi elegerit votus hac conprovincialium voluntas adsenserit. Aliter qui presumserit, abiciatur a sede, quam invasit potius quam accipit. Ordinatores autem ab officio administrationis suae sedis cessare decernimus.

(MGH Concil. I, 197 ss.).

**108.** *Concilium Sonnatii Remensis episcopi* (aa. 627-630). *Can. 1.* De rebus scilicet ecclesiae, qualiter tractandae sint et de his, quae per precatoriam impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium usurpentur et ecclesiae defraudentur.

*Can. 4.* Ut, si qui heretici adhuc esse suspicantur in Galliis, a pastoribus ecclesiarum perquirantur, et si veraciter fuerint inventi, ad fidem catholicam revocentur. ...

(MGH Concil. I, 203).

**109.** *Concilium Cabillonense* (aa. 639-654). *Can. 5.* Saeculares vero, qui necdum sunt ad clericato conversi, res parrochiarum vel ipsas parrochias minime ad regendum debeant habere commissas.

*Can. 8.* De poenitentia vero peccatorum, quae est medilla animae, utilem omnibus hominibus esse censemus; et ut poenitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur poenitentia, universitas sacerdotum nuscetur consentire.

*Can. 14.* De oraturia, que per villas fiunt. Nonnulli ex fratribus et coepiscopis nostris resedentibus nobis in sancta sinodo in queremonia detulerunt, quod oraturia per villas potentum iam longum constructa tempore et facultatis ibidem collatas ipsi, quorum villae sunt, episcopis contradicant et iam nec ipsus clericus, qui ad ipsa oraturia deserviunt, ab archidiacono cohercere permittant. Quod convenit emendare, ita dumtaxat ut in potestate sit episcopi et de ordinatione clericorum et de facultatem ibidem collata, qualiter ad ipsa oraturia et officium divinum possit inplere et sacra libamina consecrare. Quod qui contradixerit, iuxta priscus canones a communione privetur.

*Can. 15.* Ut abbatis vel monachi aut agentes monasteriorum patrocinia secularia penitus non utantur nec

ad principes presentia sine episcopi sui permisso ambulare non audiant. Quod si fecerint, a suis episcopis excommunicentur. ... (MGH Concil. I, 209 ss.).

**110.** *Concilium Latunense* (a. 673-675). *Can. 2.* Ut nullus episcoporum seu clericorum arma more saeculario ferre praesumat.

*Can. 8.* Pascha vero vel nativitatem Domini seu quinquagesimae festissimos dies ad eorum civitates omnes episcopi tenere debeant, id autem tum tantum, nisi ordinatio regis eum arcescere fecerit itinere.

*Can. 10.* Episcopi, qui modo spiritualiter non vivunt, ut infra constitutum tempus se debeant cohercere vel emendare aut certe de oficio regradentur.

*Can. 14.* Privilegia vero, que antiquitus vel moderno tempore monasteriis iuxta sanctorum patrum regulas viventibus indulta sunt, ut propria vivant firmitate, per praesentem istitutionem modis omnibus sanximus.

*Can. 15.* Ut episcopi, presbiteri vel diaconi venationes more seculario exercere non praesumant. Quod si fecerint, priorum canonum institutis corrigantur.

*Can. 18.* Hoc omnino decernimus atque sumopere instituimus, ut, quicunque episcopus ecclesie praeesse videtur, omnibus Dominicis diebus vel sollemnitatibus sanctis plebe sibi comissa predicatione divina adloquatur et sacrata intentione praevigilet, ut gregem sibi comisso alimentis spiritalibus foveat. . . (MGH Concil. I, 218 s.).

**111.** *Concilium Leudegarii episcopi Augustodunensis* (aa. 663-680). *Can. 15.* De abbatibus vero vel monachis ita observare convenit, ut, quicquid canonum ordo vel regula sancti Benedicti edocet, et implere et custodire in omnibus debeant. Si enim haec omnia fuerint legitimae apud abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum Deo propitio augebitur et mundus omnis per eorum orationis assiduas omnibus malis carebit contagiis. Sint monachi omnes omnino oboedientes, sint frugilitates decore pollentes, in opere Dei ferventes, oratione instantes, in caritate perseverantes, ne propter negligentiam aut inoboedientiam hosti circumeunti ac rugienti et quaerenti, quem devoret, cibus efficiantur. Sit eis cor unum et anima una. Nemo aliquid suum esse dicat; sint eis omnia communia; in commune laborent, hospitalitatis omnino sint receptores. Quisquis autem haec a

nobis Deo precipiente dictata in confirmationem regularem monachorum temptaverit aliqua transgressione cassare, si abba est, anno uno ei communionis potestas suspendatur; si praepositus annis duobus; si monachus aut fustibus verberetur, aut a communione et mensa et caritate annis tribus suspendatur. ... (MGH Concil. I, 221).

## XXXI. SISEBUTUS, WISIGOTHORUM REX (612-620).

Servatae sunt epistulae eius 5 (MGH EPP 3, 662 ss.; ML 80, 363 ss.) (1) et *Vita s. Desiderii*, Viennensis episcopi, a Theudeberto II et Brunechilde interfecti (a. 606) (MGH SS RR Merov. III, 630-637; ML 80, 377-384), inter diversas huius Sancti Vitas (BHL, 2148-2152) antiquissima et veracissima.

**112.** Sancto hac venerabili patri Eusebio episcopo [Sisebutus rex]. Mortuam magis quam morituram epistolam de cinerosis sepulchris exortam, quamlibet pollutam et omni contagione cenosam extremis vix adtigimus manibus: quem magis anelantem, utpote non mortuam, sed nunquam vibentem aspeximus. Id in fumosis ipsis fabillis advertimus, inanium vos esse sectatores causarum, et non rerum firmissimarum te consentaneum esse, sed miseris hominibus et inflatis inaniter consentire. Obiectum hoc: quod de ludis teatriis, faunorum scilicet ministerio sis ademptus, nulli videtur incertum. Quis non videat, quod etiam videre peniteat beatis viris, cadabera te anteferre fetentia et homines divinis cultibus assidue deditos tua exprobare sententia reproba? Ergo deinceps nostre perhennitatis affatos nequaquam expectes, sed huic viro, qui Deo magis quam miserandis placet hominibus, eglesiam Barcinonensem regendam gubernandamque conmitte, quatenus Christo auspice gloriosa patuerit sollemnitas Pasce: de eius gaudeamus pontificatu obtabile et de vestra tandem vel sera consensione.

(MGH EPP 3, 668 s.).

**113.** Dominis eminentissimis ac veneratissimis et germana caritate mihi consotiis, fratri Adualualdo regi gentis Lan-

(1) Leges ab eo latae in *Lege Wisigothorum* servatae (MGH LL I, 1, p. 419 ss.) Iudaeos respiciunt; (cf. infra n. 117 et XXXIV).

gobardorum et Theodolinde regine in nomine Domini Sisebutus rex Wisegotorum. ... Dolemus nec immerito ingenti pondere ribos lacrimarum producimus, cognoscentes affinitatem sanguinis nostri Arriana contagione nunc pollui et virulenta profusione canceris fraternam cognationem disiungi. Homines agrestes scilicet minus ratione capaces quotidie cernimus aethereis militare per matrem Ecclesiam castris : cur genus inclitum et inclita forma, ingenita virtus et naturalis prudentia, elegantia morum et bonae vitae censura prespicua dignitas et gloria dignitatis eximia mortuis sepultisque haeresibus ignominiose subsedeat et, ut verius numquam ipsis viventibus loquar, infaeliciter colla submittat? Pudeat vel tandem huius sectae blasfemias sectare nefarie, pudeat fumosi tramitis intolerandum iter peragere, pudeat denique eterne mortis ad paenam pertingere! Tales illud vel moveat, quod de eorum quotidie haeresiarcha omne iam pene mundo cantatur, qui, fetentibus evisceratis visceribus, aeternis ignibus animam adsignavit : horrificam opinor hanc consentaneos eius aeternam, nisi recte crediderint, excipere paenam. Fuit, fuit hic olim morbus acerbissima peste diffusus, qui latenter infernalibus animas sedibus infaelitium miscuit et inlinita dulcedine pocula anthidotia mortifera propinavit. Immensas tunc calamitates et diversa penuria acerbissima, crebrius bella et quotidiana miseria, indigentia fruguum et pestifera vulnera hanc insolentius gentem retroacto tempore praessit; postquam sidereus fulgor corda fidelium corruscavit et orthodoxa fides mentibus cecatis emicuit, aucta pace catholicorum, Domino commodante, Gotorum viget imperium. Quique dudum per falcatas lacerati senticum acies, per scorpionum vulnerati uncatis aculeis, per trivida venetio vernabant ora serpentis, hos maternis expiatos affectibus Ecclesia catholica curat, cordis ac linguae sine ruga professio, curat se prestante, indemutabilis, indivisibilis, increata creatrix omnium, sempiterna Trinitas curat. Unde praecamur vestram clementiam verbis, praecamur votis, precamur et mentibus puris, tantorum praemiorum vestram fore gentem participem et adunatam in Christi corpore simul vobis esse consortem. Intolerandum nimis ac detestabile nec ferendum est, tot copiosis caput virtutibus sublimatum, quamlibet exiguum, membra torpentia consequantur. Illud magis in rebus ipsis agentes incunctanter nobis fidutiam fecit, quod catholica viscera natus et catholico fonte cerneris esse renatus : de vestris, que vestram opinor gloriam, titulis lautioribus divino munere sublimari, si glo-

riose tramitem genetricis (1) servaveris et optionis quod tibi donum conlatum est omni quo vales caeteris nisu porrexeris. ... (MGH EPP 3, 671 s.).

## XXXII. S. ISIDORUS HISPALENSIS

Ortus ex nobili stirpe Romana Carthagine c. a. 570, a Leandro fratre, Hispalensi episcopo litteris excultus, eidem a. c. 599 in episcopatu successit. Praefuit synodo Hispalensi II a. 619 et Toletanae IV a. 633. Obiit a. 636. Cum Cassiodoro et Gregorio M. s. Isidorus magister fuit Medii Aevi. Eius scripta, quorum elenchum servavit s. Braulionis elogium Isidori (ML 81, 15), omnium fere scientiarum compendia sunt, imprimis *Etymologiarum* ll. XX (ed. W. M. Lindsay, Oxford 1911; conf. ML 82). De theologicis scientiis tractat in operibus: *Libri Differentiarum II* (ML 83, 10-98); *Allegoriae* (ib. 99-130); *De fide catholica contra Iudaeos ll. II* (ib. 450-538); *Sententiarum ll. III* (ib. 557-738), quibus adiungenda sunt opera exegetica: *In libros V. et N. Testamenti proemia* (ib. 155-180); *Liber numerorum, qui in ss. Scripturis occurrunt* (ib. 179-200); *De V. et N. Testamento quaestiones* (ib. 201-208); *Quaestiones in V. Testamentum* (ib. 207-424); et *LL. II de ecclesiasticis officiis* (ib. 737-826), qui ut fons historiae liturgiae (2) magni sunt momenti. Isidori libri *De ordine creaturarum* (ib 913-954) et *De natura rerum* (ib. 963-1018) fons sunt ex quo posterioris aetatis scriptores, Beda praesertim, multa hauserunt. Ut fontes historiae notandi sunt imprimis *Chronicon Isidori* (MGH AA, 11, 424-481; ML 83, 1017-1058) et *Historia Gothorum* (3), *Wandalorum, Sve-*

---

(1) Conf. s. Gregorii M. epistulam ad Theodolindam, supra n. 88.

(2) Liturgiae scil. Ecclesiae in Wisigotico regno, postea Mozarabicae dictae, conf. M. Férotin O. S. B., *Le « Liber Mozarabicus Sacramentorum »*, Paris 1912, pag. XX ss. et *Le « Liber Ordinum » en usage dans l'Eglise Wisigothique et Mozarabe d'Espagne du V^e au XI^e siècle*, Paris 1904.

(3) De s. Hermenegildo (conf. supra n. 89) Isidorus haec habet: « Gothi per Ermenigildum Leuuigildi filium bifarie divisi mutua caede vastantur » (Chron. ed. MGH, p. 477): « Hermenegildum deinde filium imperiis suis tyrannizantem obsessum exsuperavit » (Hist. Goth. ed. MGH p. 287). Cf. Iohannis abb. Biclarensis (infra n. 115) Chronica (MGH AA, 11, p. 215, 217), qui postquam eadem fere de Hermenegildi contra Leovigildum rebellione narravit, addit (ad a. 585): « Hermenegildus in urbe Tarraconensi a Sisberto interficitur ».

*vorum* (MGH ib. 267-303; ML 83, 1057-1082); *De ortu et obitu patrum qui in Scriptura laudibus efferuntur* (1) (ML 83H, 129-156), et librum *De viris illustribus* (ML 83, 1081-1106), quo Hieronymi et Gennadii catalogos scriptorum ecclesiasticorum usque ad tempora sua producens, de scriptoribus maxime Hispanis eorumque operibus agit. S. Braulio addidit cap. 47, de ipso Isidoro (2). Extat pulcherrima *de obitu s. Isidori* narratio, a Redempto Hispalensis ecclesiae clerico, ad s. Braulionem, ut videtur, missa. (ed. FLOREZ, *España sagrada*, IX, Madrid, 1752, 366-369).

**114.** *De viris illustr.* c. 41. Leander, genitus patre Severiano, Carthaginiensis provinciae, professione monachus, et ex monacho Hispalensis Ecclesiae provinciae Bethicae constitutus episcopus, vir suavis eloquio, ingenio praestantissimus, vita quoque etiam atque doctrina clarissimus, ut, et fide eius atque industria populi gentis Gothorum ab Ariana insania ad fidem catholicam reverterentur. Hic namque in exilii sui peregrinatione composuit duos adversus haereticorum dogmata libros (3), eruditione sacrarum Scripturarum ditissimos, in quibus vehementi stylo Arianae impietatis confodit atque detegit pravitatem, ostendens, scilicet, quid contra eosdem habeat catholica Ecclesia, vel quantum distat ab eis religione, vel fidei sacramentis. Exstat et aliud laudabile eius opusculum adversus instituta Arianorum, in quo, propositis eorum dictis, suas responsiones opponit. Praeterea edidit unum ad Florentinam sororem de institutione virginum et contemptu mundi libellum, titulorum distinctionibus praenotatum. Siquidem, et in ecclesiasticis officiis idem non parvo laboravit studio; in toto enim psalterio duplici editione orationes conscripsit: in sacrificio quoque laudibus atque psalmis, multa

(1) De s. Iacobo Ap. cap. 71 (ML 83, pag. 151) in hoc Isidori opere haec habentur: « Iacobus filius Zebedaei, frater Iohannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione gentium scripsit, atque Hispaniae et occidentalium locorum gentibus Evangelium praedicavit ».

(2) Opus de viris illustribus certe in ea forma quam habes in ML 83 (editio Faustini AREVALO, Romae 1797) non est Isidori. 12 capitula (1-4, 7 8, 10-12, 14, 22, 27) illius editionis videntur esse Pontiani episcopi Africani saec. VI, alia novem capitula posterius inserta, ita ut Isidori sint 25 tantum capitula. (Conf. F. SCHÜTTE, *Studien über den Schriftstellerkatalog des hl. Isidor*, Breslau 1902).

(3) Perierunt, sicut et caetera s. Leandri opera.

dulci sono composuit. Scripsit et epistolas multas : ad papam Gregorium de baptismo unam, alteram ad fratrem, in qua praemonet cuique mortem non esse timendam. Ad caeteros quoque episcopos plurimas promulgavit familiares epistolas, et si non satis splendidas verbis, acutas tamen sententiis. Floruit sub Recaredo viro religioso, ac principe glorioso, cuius etiam temporibus mirabili obitu vitae terminum clausit. (ML 83, 1103 s.).

**115.** *De viris illustr.* c. 44. Ioannes, Gerundensis ecclesiae episcopus, nativitate Gothus, provinciae Lusitaniae Scalabi natus. Hic, cum esset adolescens, Constantinopolin perrexit, ibique Graeca et Latina eruditione munitus, post decem et septem annos in Hispanias reversus est, eodem tempore quo incitante Leovigildo rege, Ariana fervebat insania. Hunc supradictus rex, cum ad nefandae haeresis crudelitatem compelleret, et hic omnino resisteret, exsilio trusus, et Barcinonem relegatus, per decem annos multas insidias, et persecutiones ab Arianis perpessus est. Qui postea condidit monasterium quod nomine Biclaro dicitur, ubi congregata monachorum societate, scripsit regulam ipsi monasterio profuturam, sed et cunctis Deum timentibus satis necessariam. Addidit in libro Chronicorum [1] ab anno primo Iustini Iunioris principatus, usque ad annum octavum Mauricii principis Romanorum, et quartum Recaredi regis annum, historico compositoque sermone valde utilem Historiam : et multa alia scribere dicitur, quae ad nostram notitiam non pervenerunt. (ML 83, 1105 s.).

**116.** *Hist. Gothor.* c. 52. Aera DCXXIIII anno III imperii Maurici, Levvigildo defuncto, filius eius Recaredus regno est coronatus cultu praeditus religionis et paternis moribus longe dissimilis. Namque ille inreligiosus et bello promptissimus, hic fide pius et pace praeclarus; ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic gloriosus eandem gentem fidei tropaeo sublimans. In ipsis enim regni sui exordiis catholicam fidem adeptus totius Gothicae gentis populos inoliti erroris labe detersa ad cultum rectae fidei revocat. Syno-

---

[1] Iohannis abb. Biclarensis Chronica, ed. Th. Mommsen in MGH AA 11, 211-220; conf. supra p. 7 not. 1.

dum deinde episcoporum ad condemnationem Arrianae haeresis de diversis Spaniae et Galliae provinciis congregat, cui concilio idem religiosissimus princeps interfuit gestaque eius prasentia sua et subscriptione firmavit (1), abdicans cum omnibus suis perfidiam, quam hucusque Gothorum populus Arrio docente didicerat, et praedicans trium personarum unitatem in Deum, Filium a Patre consubstantialiter genitum esse, Spiritum Sanctum inseparabiliter a Patre Filioque procedere, et esse amborum unum Spiritum, unde et unum sunt. (MGH AA 11, 288 s.).

**117.** *Hist. Goth.* c. 60. Aera DCL anno imperii Heraclii II Sisebutus post Gundemarum regali fastigio evocatur, regnans annis VIII mensibus VI. Qui in initio regni Iudaeos ad fidem christianam permovens aemulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam; potestate enim conpulit, quos provocare fidei ratione oportuit. Sed, sicut scriptum est, sive per occasionem, sive per veritatem Christus adnuntietur. Fuit autem eloquio nitidus, sententia doctus, scientia litterarum ex parte inbutus.

(MGH AA 11, 291).

**118.** *Redempti epistula de transitu b. Isidori.* Visum est mihi, ut tuae sanctitati breviter exponerem, qualiter bonae recordationis dominus meus Isidorus, Hispalensis Ecclesiae metropolitanus episcopus, poenitentiam acceperit, suamque confessionem erga Deum, vel homines habuerit (1), et quomodo de hoc saeculo ad caelum migraverit, fideli praenotationis meae stylo tuae dilectioni notescerem. Hoc vero primum compellor agere pro hac solicitudine quam ex amore charitatis in eum offertis, deinde quia vera supprimere nequeo, et quod de eo pauca de multis colligere potui, te orante dicere cogor. Igitur dum finem suum vir beatus nescio qua sorte iam prospiceret, et fatigatum corpus aegritudine assidua subtiliter animae natura praevideret, tanta eleemosyna quotidianis diebus per sex pene menses seu amplius, plus quam erat solitus pauperibus ab eo est erogata, ut ab ortu solis usque in vesperum multa in dispergendo occupatus maneret

(1) Vid. infr. n. 119.

(2) Conf. in *Libro Ordinum* (ed. FÉROTIN, p. 87 et 108) ordines « In finem hominis diei » et « Ordo paenitentiae ».

substantia. Post haec vulnere percussus est, et dum febris in corpore convalesceret, et cibum reiceret debilitatus stomachus ad poenitentiam convaluit, atque suos coepiscopos, Ioannem scilicet et Huparcium [1] beatissimos mox adesse fecit praesentes. Et dum a cellula sua ad basilicam s. Vincentii martyris adduceretur, cuncta agmina pauperum, clericorum, religiosorum omnium cunctarumque huius civitatis plebium, cum vocibus et magno ululatu eum susceperunt, ut si ferreum quispiam possideat pectus, solveretur mox in lacrymas et lamentum totus. Et dum in praedicti martyris basilicam iuxta altaris cancellum in medio poneretur choro, mulierum turbas longius stare praecepit, ut in accipiendo ipse poenitentiam, virorum tantum et non illarum circa eum cerneretur praesentia. Et dum a praedictis sacerdotibus ab uno cilicium, ab altero super se mitti exposceret cinerem [2], expandens manus ad caelum, ita exorsus est dicens: « Tu Deus, qui nosti corda hominum »... His igitur consummatis corpus et sanguinem Domini cum profundo gemitu cordis, indignum se iudicans, ab ipsis suscepit pontificibus. Deinde eorundem sacerdotum et quicumque de clero erant, civium quoque cunctarumque plebium veniam precabatur... Igitur post hanc confessionem vel orationem residuam egenis et pauperibus mox dari iussit pecuniam. Cui tamen fideli sit dubium, ut non statim dimissis omnibus facinoribus adsociaretur coetibus Angelorum? Interea se ab omnibus osculari studuit... [3]. Completis his omnibus ad cellulam reductus est, et post diem confessionis vel paenitentiae quartum, pastoralem iugiter curam gerens, finem suum consummavit in pace pridie Kal. April., postquam per annos ferme XL pontificalem curam administravit, era DCLXXIIII.

(Florez, España sagr., IX, 366 ss.).

---

(1) In synodo Toletana IV subscribunt: Ioannes eccl. Eleplensis episc. et Eparchius eccl. Italicensis episc.

(2) Conf. Ordo paenitentiae (l. c.) « Post haec [sacerdos] cooperit de cilicio, et sic faciat crucem de cinere ».

(3) Conf. Ordo in finem hominis: « et si tempus fuerit, communicat eum sacerdos, et dant ei omnes osculum pacis ».

# XXXIII. CANONUM COLLECTIO HISPANA

Inter omnes, quae a saec. V in Occidente ortae sunt conciliorum et decretalium Romanorum Pontificum collectiones (1) nulla est quae Hispanam collectionem numero et ordine superet. Iam tempore s. Isidori (2) extitisse videtur collectio nostra, continens concilia Orientalia, Africana, Gallica, Hispana 42, decretales RR. PP. a Damaso usque ad Gregorium M. 103. Quibus subsequentibus annis addita sunt concilia Toletana usque ad XVII a. 694, concilium Constantinopolitanum univ. VI a. 680, nonnullaque alia concilia Hispaniae et Galliae ita ut collectio integra contineat concilia 72 et decretales 103. Inter fontes historiae Ecclesiae in regno Wisigothico saec. VII collectioni huic, maxime in ea parte, quae conciliorum Toletanorum gesta continet, primus omnino locus tribuendus est. Dolendum sane, tantae collectionis non extare editionem recentiorem. Interim recurrendum est ad eam, quam a. 1808 F. A. Gonzales Madriti typis vulgavit (ML 84) (3). Immensa illa multitudo legum ecclesiasticarum quam collectio nostra continet, saec. adhuc VII in ordinem systematicum secundum materias redacta, abbreviata et in X libros distributa (4), primum tentamen in Occidente exhibet systematici codicis iuris canonici. Huius tamen « Hispanae systematicae » textus foede iacet neglectus; editi tantum sunt tituli capitulorum singulorum librorum (Gonzalez, III-LX; ML 84, 25-92).

---

(1) Editae sunt ex istis: Coll. Quesnelliana (ML 56, 359 ss.) saec. V, et Dionysiana (ML 67, 39 ss.) saec. VI; utriusque editio gravibus mendis scatet. Conciliorum orientalium saec. IV canonum versiones antiquas latinas ed. C. H. Turner in MIA, Oxford 1899-1913.

(2) Conf. P. Sêjournê, *St. Isidore de Séville*, Paris 1929, p. 265 ss.

(3) A. 1861 D. Iuan Tejada y Ramirez collectionis nostrae textum inseruit suae *Colección de cánones de la Iglesia de España y America;* tamen praeferenda videtur editio a. 1808. In MGH LL I, 1 Karolus Zeumer edidit tomos nonnullos et edicta regum in conciliis Toletanis edi solitos et subscriptiones virorum illustrium.

(4) Liber I: De institutionibus clericorum; II: De inst. monasteriorum et monachorum et ordinibus poenitentium; III: De inst. iudiciorum et gubernaculis rerum; IV: De inst. officiorum et ordine baptizandi; X: De diversitatibus nuptiarum et scelere flagitiorum; VI: De generalibus regulis clericorum ceterorumque christianorum; VII: De honestate et negotiis principum; VIII: De Deo et de his, quae credenda sunt de illo; IX: De abdicatione haereticorum et usibus eorum; X: De idololatria et cultoribus eius ac de scriptis pacis et muneribus missis.

**119.** *Concilium Toletanum III* (a. 589). In nomine Domini nostri Iesu Christi, anno regnante quarto gloriosissimo atque piissimo et Deo fidelissimo domino Recaredo rege, die VIII. Id. Mai. era DCXXVII, haec sancta synodus habita est in civitate regia Toletana ab episcopis totius Hispaniae vel Galliae qui infra scripti sunt. Cum pro fidei suae sinceritate idem gloriosissimus princeps omnes regiminis sui pontifices in unum convenire mandasset, ut tam de eius conversione quam de gentis Gothorum innovatione in Domino exsultarent et divinae dignationi pro tanto munere gratias agerent, sanctissimus idem princeps sic venerandum concilium alloquitur dicens: « Non incognitum reor esse vobis, reverentissimi sacerdotes, quod propter instaurandam disciplinae ecclesiasticae formam ad nostrae vos serenitatis praesentiam devocaverim: et quia decursis retro temporibus haeresis imminens in tota Ecclesia catholica agere synodica negotia denegabat, Deus cui placuit per nos eiusdem haeresis obicem depellere admonuit instituta de more ecclesiastica reparare. Ergo sit vobis iucunditatis, sit gaudii quod mos canonicus prospectu Dei per nostram gloriam ad paternos reducitur terminos; prius tamen admoneo pariter et exhortor, ieiuniis vos et vigiliis atque orationibus operam dare, ut ordo canonicus quem a sacerdotalibus sensibus detraxerat longa ac diuturna oblivio, quae aetas nostra se nescire fatetur, divino vobis rursus dono patefiat ». Ad haec autem gratias Deo agentes et religiosissimo principi, universo concilio in laudibus acclamante, triduanum est exinde praedicatum ieiunium: sed cum die VIII Id. Mai. in unum coetum Dei sacerdotes adessent, et oratione praemissa unusquisque sacerdotum competenti loco resedisset, ecce in medio eorum adfuit serenissimus princeps, seque cum Dei sacerdotibus orationi communicans, divino deinceps flamine plenus, sic ad loquendum exorsus est dicens: « Non credimus vestram latere sanctitatem quanto tempore in errore Arianorum laborasset Hispania, et non multos post discessus genitoris nostri dies quibus nos vestra beatitudo fidei catholicae sanctae cognovit esse sociatos, credimus generaliter magnum et aeternum gaudium habuisse et ideo, venerandi patres, ad hanc vos peragendam congregari decrevimus synodum, ut de hominibus nuper advenientibus ad Christum ipsi aeternas gratias Domino deferatis: quidquid vero verbis apud sacerdotium vestrum nobis agendum erat de fide atque spe nostra quam gerimus, in hunc tomum conscripta atque allegata notescimus: relegatur

enim in medio vestri, et iudicio synodali examinata per omne succiduum tempus gloria nostra eiusdem fidei testimonio decorata clarescat »... (1).

Post confessionem igitur et subscriptionem omnium episcoporum et totius gentis Gothicae seniorum gloriosissimus dominus noster Recaredus rex, pro reparandis simul et confirmandis disciplinae ecclesiasticae moribus, Dei sacerdotes taliter affatus est dicens : « Regia cura usque in eum modum protendi debet et dirigi, quem plenam constet veritatis et scientiae capere rationem; nam sicut in rebus humanis gloriosius eminet potestas regia, ita et prospiciendae commoditati comprovincialium maior debet esse et providentia. At nunc, beatissimi sacerdotes, non in eis tantummodo rebus diffundimus solertiam nostram quibus populi sub nostro regimine positi pacatissime gubernentur et vivant, sed etiam in adiutorio Christi extendimus nos ad ea quae sunt coelestia cogitare, et quae populos fideles efficiunt satagimus non nescire. Caeterum si totis nitendum est viribus humanis moribus modum ponere et insolentium rabiem regia potestate refrenare, si quieti et paci propagandae opem debemus impendere, multo magis est adhibenda sollicitudo, desiderare et cogitare divina, inhiare sublimia et ab errore retractis populis veritatem eis serena luce ostendere : Sic enim agit qui multiplici bono se a Deo remunerari confidit; sic enim audit qui super id quam quod ei committitur auget, dum illi dicitur : « Quidquid supererogaveris ego cum rediero reddam tibi ». Ergo quia iam fidei nostrae, et confessionis formam plena serie vestra beatitudo recensuit, simulque et sacerdotum nostrorumque procerum fides atque confessio sanctitati vestrae perpatuit, hoc adhuc necessario pro firmitate catholicae fidei nostra Deo supplex instituere decrevit auctoritas, ut propter roborandam gentis nostrae novellam conversionem omnes Hispaniarum et Galliae Ecclesiae hanc regulam servent : ut omnes sacrificii tempore ante communionem corporis Christi vel sanguinis iuxta orientalium partium morem unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant sym-

(1) Sequuntur : Tomus fidei, a notario recensitus, quo Recaredus rex nomine nationum Gothorum et Suevorum fidem catholicam profitetur, Synodorum Niceni, et Constantinopolitani symbola, Concilii Calcedonensis decretum fidei, subscriptiones regis et reginae, acclamationes populi, fidei confessio episcoporum, presbyterorum vel primorum Gothicae gentis cum anathematismis 22, documenta fidei ut supra, subscriptiones tandem episcoporum nationis Gothicae.

bolum, ut primum populi quid credulitate teneant fateantur et sic corda fide purificata ad Christi corpus et sanguinem percipiendum exhibeant. Dum enim constitutio haec fuerit perenniter conservata in Dei Ecclesia et fidelium ex solido corroboratur credulitas, et perfidia infidelium confutata ad id quod repetitum saepius recognoscit facillime inclinatur; nec se quisquam iam de ignorantia fidei excusabit a culpa, quando universorum ore cognoscit quid catholica teneat et credat Ecclesia. Omnibus ergo capitulis, quae adhuc per vestram sanctitatem regulis ecclesiasticis adiicienda sunt, hoc pro fidei sanctae reverentia et firmitate proponite, quod de proferendo symbolo nostra, Deo docente, decrevit serenitas: de caetero autem pro inhibendis insolentium moribus, mea vobis consentiente clementia, sententiis terminate districtioribus, et firmiori disciplina quae facienda non sunt prohibete, et ea quae fieri debent immobili constitutione firmate.

*Can. 1.* Post damnationem haeresis Arianae et fidei sanctae catholicae expositionem hoc sanctum praecepit concilium: ut quia in nonnullis vel haeresis vel gentilitatis necessitate per Hispaniarum ecclesias canonicus praetermissus est ordo, dum et licentia abundaret transgrediendi et disciplinae optio negaretur, dumque omnis excessus haeresis foveretur patrocinio, ut abundantiam mali temperet districtio disciplinae, pace Ecclesiae Christi misericordia reparata, omne quod priscorum canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibitum, et agatur omne quod praecepit fieri; maneant in suo vigore conciliorum omnium constituta, simul et synodicae sanctorum praesulum Romanorum epistolae: nullus deinceps ad promerendos honores ecclesiasticos contra vetita canonum aspiret indignus; nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt debere non fieri, et qui praesumpserit severitate priorum canonum distringatur.

*Can. 2.* Pro reverentia sanctissimae fidei et propter corroborandas hominum invalidas mentes consultu piissimi et gloriosissimi domini Recaredi regis sancta constituit synodus: ut per omnes ecclesias Hispaniae, Galliae et Gallaeciae secundum formam orientalium ecclesiarum, concilii Constantinopolitani, hoc est 150 episcoporum symbolum fidei recitetur, ut priusquam dominica dicatur oratio voce clara a populo praedicetur. ...

*Can. 14.* Suggerente concilio, id gloriosissimus dominus noster canonibus inserendum praecepit, ut Iudaeis non liceat Christianas habere uxores, vel concubinas, neque mancipium Christianum in usus proprios comparare, sed et si qui filii ex tali coniugio nati sunt assumendos esse ad baptisma; nulla officia publica eos opus est agere per quae eis occasio tribuatur poenam christianis inferre : si qui vero christiani ab eis Iudaico ritu sunt maculati vel etiam circumcisi, non reddito pretio, ad libertatem et religionem redeant christianam.

*Can. 16.* Quoniam pene per omnem Hispaniam sive Galliam idolatriae sacrilegium inolevit, hoc cum consensu gloriosissimi principis sancta synodus ordinavit, ut omnis sacerdos in loco suo una cum iudice territorii sacrilegium memoratum studiose perquirat, et exterminari inventa non differat; homines vero, qui ad talem errorem concurrunt, salvo discrimine animae, qua potuerint animadversione coerceant : quod si neglexerint, sciant se utrique excommunicationis periculum esse subituros. Si qui vero domini extirpare hoc malum a possessione sua neglexerint vel familiae suae prohibere noluerint, ab episcopo et ipsi a communione pellantur.

*Can. 18.* Praecipit haec sancta et venerabilis synodus, ut stante priorum auctoritate canonum, quae bis in anno praecepit congregari concilia, consulta itineris longitudine et paupertate ecclesiarum Hispaniae, semel in anno in locum quem metropolitanus elegerit, episcopi congregentur. Iudices vero locorum vel actores fiscalium patrimoniorum ex decreto gloriosissimi domini nostri simul cum sacerdotali concilio autumnali tempore die Kal. Nov. in unum conveniant, ut discant quam pie et iuste cum populis agere debeant, ne in angariis aut in operationibus superfluis sive privatum onerent aut fiscalem gravent. Sint etenim prospectatores episcopi secundum regiam admonitionem, qualiter iudices cum populis agant, ut aut ipsos praemonitos corrigant aut insolentias eorum auditibus principis innotescant. ...

*Edictum regis in confirmationem concilii.* Gloriosissimus et piissimus dominus noster Recaredus rex : Universorum sub regni nostri potestate consistentium amatores nos suos divina faciens veritas nostris principaliter sensibus inspiravit, ut causa instaurandae fidei ac disciplinae ecclesiasticae episcopos omnes Hispaniae nostro praesentandos culmini iuberemus. Praecedenti autem diligenti et cauta deliberatione sive quae ad fidem conveniunt, seu quae

ad morum correctionem respiciunt, cum omni sensus maturitate et intelligentiae gravitate constat esse digesta. Nostra proinde auctoritas id omnibus hominibus ad regnum nostrum pertinentibus iubet, ut si qua definita sunt in hoc sancto concilio habito in urbe Toletana anno regni nostri feliciter IV, nulli contemnere liceat, nullus praeterire praesumat: capitula enim quae sensibus nostris placita et disciplinae congrua a praesenti conscripta sunt synodo, in omni auctoritate sive clericorum, sive laicorum, sive quorumcunque hominum observentur et maneant. ... (Hispana ed. Gonzales, 337-355).

120. *Concil. Tolet. IV* (a. 633). *Can. 24.* Prona est omnis aetas ab adolescentia in malum, nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria sed in disciplinis ecclesiasticis agant deputati probatissimo seniori, quem et magistrum doctrinae et testem vitae habeant; quod si aliqui ex his pupilli existunt, sacerdotali tutela foveantur, ut et vita eorum a criminibus intacta sit, et res ab iniuria improborum. ...

*Can. 25.* Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. ... Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas et canones, ut omne opus eorum in praedicatione et doctrina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina. ...

*Can. 26.* Quando presbyteres in parochias ordinantur, libellum officiale a sacerdote suo accipiant, ut ad ecclesias sibi deputatas instructi succedant, ne per ignorantiam etiam ipsis divinis sacramentis offendant ita ut quando ad litanias vel ad concilium venerint, rationem episcopo suo reddant qualiter susceptum officium celebrant, vel baptizant.

*Can. 27.* Quando presbyteres aut diacones per parochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure vivant sub timore Dei, ut dum eos talis professio alligat, vitae sanctae disciplina retineat.

*Can. 30.* Confinitimi hostium sacerdotes, praeter eos qui a regia potestate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occulte accipere vel dirigere non praesumant; qui autem deprehenditur atque convincitur, denuntiatus principi apud concilium condigna animadversione mulctabitur.

*Can. 57.* De Iudaeis autem hoc praecepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. «Cui enim vult Deus miseretur et quem vult indurat». Non enim tales inviti salvandi sunt sed volentes, ut integra sit forma iustitiae: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante gratia Dei propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi. Qui autem iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti, quia iam constant eos sacramentis divinis associatos et baptismi gratiam suscepisse et chrismate unctos esse et corporis Domini et sanguinis extitisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides quam susceperunt vilis ac contemptibilis habeatur.

*Can. 60.* Iudaeorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur errore, ab eorum consortio separari decernimus deputatos aut monasteriis aut christianis viris ac mulieribus Deum timentibus, ut sub eorum conversatione cultum fidei discant atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant.

*Can. 66.* Ex decreto gloriosissimi principis hoc sanctum elegit concilium, ut Iudaeis non liceat christianos servos habere, nec christiana mancipia emere, nec cuiusquam consequi largitate: nefas est enim ut membra Christi serviant Antichristi ministris. Quod si deinceps servos Christianos vel ancillas Iudaei habere praesumpserint, sublati ab eorum dominatu libertatem a principe consequantur.

*Can. 75.* ... Quicunque amodo ex nobis vel cunctis Hispaniae populis qualibet meditatione vel studio sacramentum fidei suae quod pro patriae salute gentisque Gothorum statu vel incolumitate regiae potestatis pollicitus est, violaverit aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, anathema sit in conspectu Spiritus Sancti et martyrum Christi, atque ab Ecclesia Christi catholica quam periurio profanaverit efficiatur extraneus et ab omni communione christianorum alienus, neque partem iustorum habeat sed cum diabolo et angelis eius aeternis suppliciis condemnetur una cum eis qui eadem coniuratione nituntur, ut par poena perditionis constringat quos in pernicie prava societas copulat. Et ideo si placet omnibus qui adestis haec tertio reiterata sententia, vestrae vocis eam consensu firmate.

Ab universo clero vel populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem praesumpserit, anathema Maran atha, hoc est perditio in adventu Domini sit, et cum Iuda Iscariote partem habeat et ipse et socii eorum. Amen.

Quapropter nos ipsi sacerdotes omnem Ecclesiam Christi ac populum admonemus, ut haec tremenda et toties reiterata sententia nullum ex nobis praesenti atque aeterno condemnet iudicio, sed fidem promissam erga gloriosissimum dominum nostrum Sisenandum regem custodientes ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinae pietatis clementiam in nobis provocemus, sed etiam gratiam antefati principis percipere mereamur. Te quoque praesentem regem futurosque aetatum sequentium principes humilitate qua debemus deposcimus, ut moderati et mites erga subiectos existentes cum iustitia et pietate populos a Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem qui vos constituit largitori Christo respondeatis, regnantes in humilitate cordis cum studio bonae actionis, nec quisquam vestrum solus in causis capitum aut rerum sententiam ferat, sed consensu publico cum rectoribus ex iudicio manifesto delinquentium culpa patescat, servata vobis inoffensis mansuetudine, ut non severitate magis in illis quam indulgentia polleatis; et dum omnia haec auctore Deo pio a vobis moderamine conservantur, et reges in populis, et populi in regibus, et Deus in utrisque laetetur. Sane de futuris regibus hanc sententiam promulgamus: Ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione et fastu regio in flagitiis et facinore sive cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia a Christo Domino condemnetur, et habeat a Deo separationem atque iudicium propter quod praesumpserit prava agere et in perniciem regnum convertere. ...

Definitis itaque his quae superius comprehensa sunt, annuente religiosissimo principe, placuit deinde nulla re impediente a quolibet nostrum ea quae constituta sunt temerari, sed cuncta salubri consilio conservare: quae quia profectibus Ecclesiae et animae nostrae conveniunt, etiam propria subscriptione ut permaneant roboramus.

Ego Isidorus in Christi nomine ecclesiae Hispalensis (1), metropolitanus episcopus haec statuta subscripsi.

---

(1) Moderna antiquarum civitatum episcopalium nomina vide apud K. Miller, *Itineraria Romana*, Stuttgart, 1916.

Ego Sclua in Christi nomine ecclesiae Narbonensis metropolitanus episcopus subscripsi.

Ego Stephanus in Christi nomine ecclesiae Emeritensis (1) metropolitanus episcopus subscripsi.

Ego Iustus in Christi nomine ecclesiae Toletanae metropolitanus episcopus subscripsi.

Ego Iulianus in Christi nomine ecclesiae Bracarensis (2) metropolitanus episcopus subscripsi.

Ego Audax in Christi nomine ecclesiae Tarraconensis metropolitanus episcopus subscripsi.

Stephanus Ausonensis (3) ecclesiae episcopus subscripsi.
Petrus ecclesiae Beterrensis (4) episcopus subscripsi.
Acutulus ecclesiae Elenensis (5) episcopus subscripsi.
Nunnitus ecclesiae Gerundensis (6) episcopus subscripsi.
Conantius ecclesiae Palentinae (7) episcopus subscripsi.
Clarentius ecclesiae Accitanae (8) episcopus subscripsi.
Sisuldus ecclesiae Emporitanae (9) episcopus subscripsi.
Vigitinus ecclesiae Vigastrensi episcopus subscripsi.
Bonifa ecclesiae Cauriensis (10) episcopus subscripsi.
Hilarius ecclesiae Complutensis (11) episcopus subscripsi.
Eusebius ecclesiae Bastitanae (12) episcopus subscripsi.
Gabinius ecclesiae Calagurritanae (13) episcopus subscripsi.
Ioannes ecclesiae Eleplensis (14) episcopus subscripsi.
Sisisclus ecclesiae Elborensis (15) episcopus subscripsi.
Marcellus ecclesiae Urcitanae (16) episcopus subscripsi.
Deodatus ecclesiae Egabrensis (17) episcopus subscripsi.
Ioannes ecclesiae Dertosanae (18) episcopus subscripsi.
Eusebius ecclesiae Valeriensis (19) episcopus subscripsi.
Leudefredus ecclesiae Cordubensis episcopus subscripsi.
Iacobus ecclesiae Mentesanae (20) episcopus subscripsi.
Germanus ecclesiae monasterii Dumiensis eps. subscripsi.
Samuel ecclesiae Iriensis (21) episcopus subscripsi.
Profuturus ecclesiae Lamicensis (22) episcopus subscripsi.
Servusdei ecclesiae Calabriensis episcopus subscripsi.
Montensis ecclesiae Egitaniensis (23) episcopus subscripsi.
Remesarius ecclesiae Nemausensis (24) eps. subscripsi.

---

(1) Mérida; (2) Braga; (3) Ausona-Vich; (4) Béziers; (5) Elne; (6) Gerona; (7) Palencia; (8) Guadix; (9) Ampurias; (10) Coria; (11) Alcalà de Henares; (12) Baza; (13) Calahorra; (14) Niebla; (15) Evora (?); (16) Almeria; (17) Cabra; (18) Tortosa; (19) Valera; (20) Villanueva de la Fuente; (21) El Padrón; (22) Lamego; (23) Idanha; (24) Nîmes.

Concordius ecclesiae Asturiensis ([1]) episcopus subscripsi.
Ranarius ecclesiae Urgellitanae episcopus subscripsi.
Eugenius ecclesiae Egarensis episcopus subscripsi.
Florentius ecclesiae Setabitanae ([2]) episcopus subscripsi.
Theodoigius ecclesiae Abilensis ([3]) episcopus subscripsi.
Abentius ecclesiae Astigitanae ([4]) episcopus subscripsi.
Pimenius ecclesiae Asidonensis ([5]) episcopus subscripsi.
Aetherius ecclesiae Eliberitanae ([6]) episcopus subscripsi.
Anatholius ecclesiae Luthiphensis episcopus subscripsi.
Fructuosus ecclesiae Ilerdensis ([7]) episcopus subscripsi.
Perseverantius ecclesiae Castulonensis ([8]) eps. subscripsi.
Musitacius ecclesiae Valentinae episcopus subscripsi.
Wiaricus ecclesiae Olyssiponensis episcopus subscripsi.
Antonius Segobriensis ([9]) ecclesiae episcopus subscripsi.
Ansiulphus ecclesiae Portucalensis ([10]) eps. subscripsi.
Serpentinus ecclesiae Ilicitanae ([11]) episcopus subscripsi.
Suabila ecclesiae Oretanensis episcopus subscripsi.
Metopius ecclesiae Brittaniensis ([12]) episcopus subscripsi.
Anastasius ecclesiae Tudensis ([13]) episcopus subscripsi.
Elpidius ecclesiae Tirasonensis ([14]) episcopus subscripsi.
Osdulfus ecclesiae Oscensis ([15]) episcopus subscripsi.
Braulio ecclesiae Caesaraugustanae ([16]) eps. subscripsi.
Ansericus ecclesiae Segobiensis ([17]) episcopus subscripsi.
Ildisclus ecclesiae Segontiensis ([18]) episcopus subscripsi.
Eparchius ecclesiae Italicensis ([19]) episcopus subscripsi.
Lausus ecclesiae Vesensis ([20]) episcopus subscripsi.
Modarius ecclesiae Pacensis ([21]) episcopus subscripsi.
Hiccila ecclesiae Salamanticensis episcopus subscripsi.
Vasconius ecclesiae Lucensis ([22]) episcopus subscripsi.
Egila ecclesiae Oxomensis ([23]) episcopus subscripsi.

Centaurus ecclesiae Tuccitanae ([24]) presbyter, agens vicem domini mei Fidentii episcopi, subscripsi.

Renatus ecclesiae Conimbriensis archipresbyter, agens vicem domini mei Ermulfi episcopi, subscripsi.

Marcus ecclesiae Auriensis ([25]) presbyter, agens vicem domini mei David episcopi, subscripsi.

---

([1]) Astorga; ([2]) Iátiva; ([3]) Avila; ([4]) Ecija; ([5]) Medina-Sidonia; ([6]) Elvira; ([7]) Lerida; ([8]) Cazlona; ([9]) Segorbe ([10]) Porto; ([11]) Elche; ([12]) Mondonedo; ([13]) Tuy; ([14]) Tarazona; ([15]) Huesca; ([16]) Zaragoza; ([17]) Segovia; ([18]) Siguenza; ([19]) Santiponce; ([20]) Viseu; ([21]) Beja; ([22]) Lugo; ([23]) Osma; ([24]) Tejada; ([25]) Orense.

Ioannes ecclesiae Barcinonensis presbyter, agens vicem domini mei Severi episcopi, subscripsi.

Domarius ecclesiae Arcavicensis (1) archidiaconus, agens vicem domini mei Carterii episcopi, subscripsi.

Stephanus ecclesiae Magalonensis (2) archidiaconus, agens vicem domini mei Carterii episcopi, subscripsi.

Domnellus ecclesiae Carcasonensis archidiaconus, agens vicem domini mei Sollemni episcopi, subscripsi.

(Hispana, ed. Gonzales, 375 ss.).

**121.** *Concil. Toletan. V* (a. 636). *Can. 3.* Inexpertis et novis morbis novam decet invenire medelam: quapropter quoniam inconsiderate quorumdam mentes et se minime capientes, quos nec origo ornat nec virtus decorat, passim putant licenter ad regiae potestatis pervenire fastigia, huius rei causa nostra omnium cum invocatione divina profertur sententia: Ut quisquis talia meditatus fuerit quem nec electio omnium provehit, nec Gothicae gentis nobilitas ad hunc honoris apicem trahit, sit a consortio catholicorum privatus et divino anathemate condemnatus.

(Hispana, ed. Gonzalez, 396).

**122.** *Concil. Toletan. VI* (a. 638). *Can. 9.* Longinquitate saepe fit temporis, ut non pateat conditio originis; unde iam decretum est in anteriori universalis concilii canone, ut professionem suam liberti Ecclesiae debeant facere, qua profiteantur se et de familiis Ecclesiae manumissos et Ecclesiae obsequium nunquam relicturos. Unde his quoque nos adiicimus, ut quoties cursum vitae sacerdos impleverit et de hac vita migraverit, mox successor eius advenerit, omnes liberti eius ecclesiae vel ab eis progeniti cartulas suas in conspectu omnium debeant ipsi substituto pontifici publicare et professiones suas in conspectu ecclesiae renovare, quatenus status sui vigorem et illi obtineant, et obedientia eorum Ecclesia non careat. Si autem aut scripturas libertatis suae intra annum ordinationis novi pontificis manifestare contempserint aut professiones suas renovare noluerint, vacuae et inanes cartulae ipsae remaneant, et illi origini suae redditi sint perpetuo servi.

---

(1) Arcobrica (?), Arcos de Medinaceli; (2) Maguelonne.

*Can. 17.* ... Rege vero defuncto nullus tyrannica praesumptione regnum assumat, nullus sub religionis habitu detonsus aut turpiter decalvatus aut servilem originem trahens vel extraneae gentis homo, nisi genere Gothus et moribus dignus provehatur ad apicem regni. Temerator autem huius praeceptionis sanctissimae feriatur perpetuo anathemate. (Hispana, ed. Gonzalez, 405, 408 s.).

**123.** *Concil. Toletan. VII* (a. 646). *Can. 1.* ... Ideoque placuit nunc concordi sententia definire: Ut quisquis in ordine clericatus a maximo gradu usque ad minimum constitutus in alienae gentis regionem se quacumque occasione transduxerit, ut exinde superbiendo vel reditum suum vel quodlibet aliud videatur expetere, sive etiam quod gentem Gothorum vel patriam aut regem specialiter sub hac occasione possit nocere, vel fieri disposuerit vel aliquatenus fecerit, sed et qui cum talibus conscius reperitur eisque vel consilium vel opem administrasse cognoscitur, qualiter aut ad gentem alienam fugam appeterent aut in malis quae caeperant perdurarent seu quamcumque laesionem genti Gothorum vel patriae aut principi post fugam inferrent, atque in eadem pravitate perseveraturos dignoscitur suasisse, iste ita indubitanter omni honoris sui gradu privetur, ut locum eius in quo ministraverat alter continuo perpetim regendum accipiat; ipse vero transgressor sub poenitentia constitutus, si reminiscens mali quod fecerit et usque in diem mortis suae rectissime poenituerit, in solo tantum fine communio ei praestanda est, ita ut antequam tempus finis eius adveniat, si quispiam sacerdotum etiam ordinante principe ei communicare consenserit, particeps criminis illius effectus anathema fiat in perpetuum atque simili cum eo cui communicaverit sententia condemnetur; quoniam potestati principis nullus sacerdotum in hoc praebere debet assensum, unde vel periurium videatur incurrere, vel, quod absit, si quicumque catholicae fidei praevaricator princeps surrexerit, sacerdos idem vel favore principis vel terrore a rectae credulitatis lumine ad tenebras cogatur reverti. ...

*Can. 2.* ... Censemus igitur convenire, ut quum a sacerdotibus missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si aegritudinis accidat cuiuslibet eventus quo coeptum nequeat consecrationis expleri ministerium, sit liberum episcopo vel presbytero alteri consecrationem exequi officii coepti. ... Ne tamen quod naturae languoris causa con-

sulitur in praesumptionis perniciem convertatur, nullus post cibi potusve quamlibet minimum sumptum, missas facere, nullus absque patenti proventu molestiae minister vel sacerdos quum coeperit, imperfecta officia praesumat omnino relinquere; si quis haec temerare praesumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

*Can. 6.* Id etiam placuit, ut pro reverentia principis ac regiae sedis honore vel metropolitani civitatis ipsius consolatione convicini Toletanae urbis episcopi iuxta quod eiusdem pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus in eadem urbe debeant commorari, messivis tamen ac vindemialibus feriis relaxatis.

(Hispana, ed. Gonzalez, 413-418).

**124.** *Concil. Toletan. VIII.* (a. 653). *Can. 8.* Octavae disceptationis affectu reperimus quosdam divinis officiis mancipatos tanta nescientiae socordia plenos, ut nec illis probentur instructi competenter ordinibus, qui quotidianos versantur in usus. Proinde sollicite constituitur atque decernitur, ut nullus cuiuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium vel canticorum usualium et hymnorum sive baptizandi perfecte noverit supplementum. Illi sane qui iam honorum dignitate funguntur, huiusce tamen ignorantiae caecitate vexantur, aut sponte sumant intentionem necessaria perdiscendi aut a maioribus ad lectionis exercitia cogantur inviti.

*Can. 10.* ... Abhinc ergo et deinceps ita erunt in regni gloriam preficiendi rectores, ut aut in urbe regia aut in loco ubi princeps decesserit, cum pontificum maiorumque palatii omnimodo eligantur assensu, non forinsecus aut conspiratione paucorum aut rusticarum plebium seditioso tumultu; erunt catholicae fidei assertores eamque et ab hac quae imminet Iudeorum perfidia et a cunctarum haeresum iniuria defendentes; erunt actibus, iudiciis et vita modesti. ... Atque ita in eorum cunctis actibus, moribus atque rebus praefatae legis erit auctoritas valitura, ut et perenniter maneat inconvulsa. Et non prius apicem regni quisque percipiat, quam se illam per omnia suppleturum iurisiurandi taxatione definiat. ... (Hispana, ed. Gonzalez, 437 s.).

**125.** *Concil. Tolet. IX* (a. 655). *Can. 2.* Quum saepe sit solitum etiam illa quae non debentur prece supplicationis et vi quodammodo extorqueri doloris, quanto iam sine obstacu-

lo concedi debent exquisita simul et ordine iuris et dolore compassionis? Quia ergo fieri plerumque cognoscitur ut ecclesiae parochiales vel sacra monasteria ita quorundam episcoporum vel insolentia vel incuria horrendam decidant in ruinam, ut gravior ex hoc oriatur aedificantibus moeror quam in construendo gaudii exstiterat labor, adeo pia compassione decernimus, ut quandiu earumdem fundatores ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, et sollicitudinem ferre praecipuam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis idem ipsi offerant episcopis ordinandos. Quod si tales forsan non inveniantur ab eis, tunc quos episcopus loci probaverit Deo placitos sacris cultibus instituat cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem praesumpserit episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse, et ad verecundiam suam alios in eorum loco quos idem ipsi fundatores condignos elegerint ordinari.

*Can. 11.* Qui ex familiis ecclesiae servituri devocantur in clerum ab episcopis suis libertatis necesse est percipiant donum, et si honestae vitae claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officiis: quos vero flagitii sordidaverit incorrigibilis noxa, perpetua servitus conditionis religet in catenam. (Hispana, ed. Gonzalez, 449, 452).

**126.** *Concil. Tolet. XI* (a. 675). *Can. 3.* ... Placuit huic sancto concilio, ut metropolitanae sedis auctoritate coacti uniuscuiusque provinciae pontifices rectoresque ecclesiarum unum eundemque in psallendo teneant modum, quem in metropolitana sede cognoverint institutum nec aliqua diversitate cuiusque ordinis vel officii a metropolitana se patiantur sede disiungi. ... Abbatibus sane indultis officiis, quae iuxta voluntatem sui episcopi regulariter illis implenda sunt, cetera officia publica, id est vesperam, matutinum sive missam aliter quam in principali ecclesia celebrari non liceat. ...

*Can. 6.* His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, iudicium sanguinis agitare non licet. Ideo magnopere talium excessibus prohibendum est, ne indiscretae praesumptionis motibus agitati aut quod morte plectendum est sententia propria iudicare praesumant, aut truncationes quaslibet membrorum in quibuslibet personis aut per se inferant aut inferenda praecipiant. Quod si quisquam horum immemor praeceptorum aut in ecclesiae suae familiis

aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, et concessi ordinis honore privatus et loco, sub perpetuo damnationis teneatur religatus ergastulo, cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda est propter Domini misericordiam, qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur et vivat.

(Hispana, ed. Gonzalez, 477, 480).

**127.** *Concil. Tolet. XII* (a. 681). *Can. 5.* ... Quicunque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privavit gratia communionis anno uno repulsum se noverit: nam quale erit illud sacrificium cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Ergo hoc modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus et sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptioni corporis et sanguinis Christi se participem praebeat.

*Can. 6.* ... Unde placuit omnibus pontificibus Hispaniae atque Galliae, ut salvo privilegio uniuscuiusque provinciae licitum maneat deinceps Toletano pontifici quoscunque regalis potestas elegerit, et iam dicti Toletani episcopi iudicium dignos esse probaverit, in quibuslibet provinciis in praecedentium sedium praeficere praesules, et decedentibus episcopis eligere successores, ita tamen, ut quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suae tempus infra III mensium spatium proprii metropolitani praesentiam visurus accedat, qualiter eius auctoritate vel disciplina instructus condigne susceptae sedis gubernacula teneat. ... Hanc quoque definitionis formulam, sicut de episcopis ita et de ceteris ecclesiarum rectoribus placuit observandam.

(Hispana, ed. Gonzalez, 496 s.).

**128.** *Concil. Tolet. XVI* (a. 693). *Can. 6.* ... Ad conventus etenim nostri agnitionem delatum est quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam sacerdotum, partim nescientia impliciti, partim temerario ausu provocitati, non panes mundos et ex studio praeparatos supra mensam Domini in sacrificio offerant, sed passim, quomodo unumquemque aut necessitas impulerit aut voluntas coegerit, de panibus suis usibus praeparatis crustulam in rotunditate auferant, eam super altare cum vino et aqua pro sacro libamine offerant: quod factum nequaquam in sacrae auctoritatis historia uspiam gestum perpenditur. ... Unde temeritatis hu-

ius aut nescientiae cupientes terminum ponere, id unanimitatis nostrae delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali benedictione sanctificandus praeponatur, nisi integer et nitidus qui ex studio fuerit praeparatus, neque grande aliquid sed modica tantum oblata secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat; cuius reliquiae aut ad conservandum modico loculo absque aliqua iniuria facilius conserventur, aut si ad sumendum fuerit necessarium, non ventrem illius qui sumpserit gravis farciminis onere premat, nec quod in digestionem vadat, sed animam alimonia spirituali reficiat; ita nempe, ut ab his qui eas sumpserint priscorum canonum instituta serventur. ...

*Can.* 7. Grandis populo datur emendationis correctio, si gesta synodalia dum quandoque peraguntur relatione pontificum in suis parochiis publicantur. Et ideo plena decernimus unanimitate connexi, ut dum in qualibet provincia concilium agitatur, unusquisque episcoporum admonitionibus suis infra VI mensium spatia omnes abbates, presbyteros, diacones atque clericos, seu etiam omnem conventum civitatis ipsius, ubi praeesse dignoscitur, nec non et cunctam dioecesis suae plebem aggregare nequaquam moretur, quatenus coram eis publice omnia reserata de his, quae eodem anno in concilio acta vel definita extiterint plenissime notiores efficiantur. ... (Hispana, ed. Gonzalez, 572 s.).

**129.** *Concil. Tolet. XVII* (a. 694). *Can. 8.* Sicut fidelium probitas magno debet dationis praemio munerari, ita infidelium pravitas fortissimo congruit iudicantium mucrone percelli. Aequum etenim est, ut domestici fidei copiosius sublimentur et adversarii eius durius condemnentur, quatenus et illi magis Domino suffragante proficiant et isti Deo obtinente deficiant. Et ideo quia plebs Iudaeorum nequissima sacrilegii nota respersa et effusione sanguinis Christi cruenta ac multoties iusiurandi profanatione noscitur maculosa, ut copiosa sunt eorum scelera, sic necesse est, ut gravem sese incurisse lugeant animadversionis iacturam, qui per alia sua scelera non solum statum Ecclesiae perturbare maluerunt, verum etiam ausu tyrannico inferre conati sunt ruinam patriae ac populo universo, ita nempe ut suum quasi tempus invenisse gaudentes diversas in catholicos exercerent strages. Unde crudelis et stupenda praesumptio crudeliori debet extirpari supplicio, et ita in eis ordinatum debet saevire iudicium quatenus usquequaque puniatur quod nequiter definitum prae-

noscitur. Qua de causa dum in hac sancta synodo per aliarum causarum semitas dirigeremus cautissime gressus, extemplo eorumdem infidorum conspiratio ad unionis nostrae pervenit auditus, eo quod non solum contra suam pollicitationem suorum rituum observatione tunicam fidei, qua eos per undam sacri baptismatis induit sancta mater Ecclesia, maculaverint, sed et regni fastigium sibi, ut praemissum est, per conspirationem usurpare maluerint. Quod infaustum facinus dum ex ipsorum professionibus noster plenissime nosset conventus, huius decreti nostri sententia eos decernimus irrevocabili feriri censura, scilicet ut ex iussione piissimi et religiosissimi principis nostri Egicani, qui zelo Domini accensus et sanctae fidei ardore compulsus non solum iniuriam crucis Christi vindicare vult sed et gentis suae ac patriae exitium, quod fore illi inferendum saevius decrevere, acrius extirpare intendit, suis omnibus rebus nudati, et ipsae resculae fisci viribus sociatae, tam eorumdem perfidorum personae quam uxores eorum ac filiorum vel reliquae posteritatis a locis propriis exsolutae per cunctas Hispaniae provincias perpetuae subiectae servituti, his quibus eos iusserit servituros largitae, maneant usquequaque dispersae: nec quoquo pacto eis in infidelitatis suae obstinatione durantibus ad ingenuitatis statum detur quandoque occasio revertendi, quos numerosa examussim facinorum suorum macula denotavit. Sic tamen decernimus, ut secundum electionem principis nostri aliqui ex servis christianis eorumdem Iudaeorum eligantur, qui de proprietatis eorum peculio, quantum illis saepe fatus dominus noster per auctoritatum seriem aut scripturas libertatis conferri elegerit, accipiant; et quidquid functionis in rationem publicam ipsi Iudaei visi sunt hactenus persolvisse, praedicti illorum servi, quos idem princeps noster elegerit, sine qualibet excusatione in omni debeant integritate persolvere. Illi denique qui eosdem Iudaeos ex largitione saepe fati domini nostri donatos perceperint, tale placitum in nomine suae gloriae conscribant, quatenus in nullo eos permittant rituum suorum caeremonias celebrare aut colere vel quascumque parentalis perfidiae semitas imitari. Sed et filios eorum utriusque sexus decernimus, ut a septimo anno eorum nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habentes ipsi eorum domini qui eos acceperint per fidelissimos christianos eos nutriendos contradant, ea scilicet ratione ut et masculos christianis faeminis in coniugio copulent, et faeminas christianis similiter viris maritali societate adiungant, et neque pa-

rentibus, sicut diximus, neque filiis sit penitus licentia quoquo pacto Iudaicae superstitionis caeremonias custodire, neque infidelitatis suae semitas quibuslibet occasionibus iterare.

(Hispana, ed. Gonzalez, 595 ss.).

## XXXIV. LEX WISIGOTHORUM

Sicut in ecclesiasticis ita in publicis causis Wisigothorum natio prima est inter populos Germanicos, quae codicem legum omni ex parte perfectum habuerit. Iam inter aa. 469 et 481, stante adhuc regno Tolosano, Euricus rex codicem Gothis promulgavit, filius eius Alaricus II a. 506 Romanis, in unum corpus colligens leges ex codice Theodosiano, Gregoriano et Hermogeniano, novellas leges imperatorum, scripta iurisconsultorum; iste Alarici codex iuris Romani vocatur Breviarium Alarici seu Lex Romana Wisigothorum (1). Eurici codicem Gothicum renovavit (ante a. 586) Leovigildus. Utraque natione, Romana et Gothica, post conversionem Gothorum ad catholicam fidem a. 589 in unam coadunata, codex communis utrique nationi a Recesvindo rege a. 654 promulgatus est, qui vocatur «Liber iudiciorum» vel «Lex Wisigothorum». Qui Recesvindi codex, a. 681 ab Erwigo rege renovatus, et diversis ultimorum regum Gothorum ante invasionem Arabicam legibus auctus, viguit per totum Medium Aevum in diversis Hispaniae regnis, immo a. 1241 iubente s. Ferdinando rege in linguam vulgarem translatus est (Fuero juzgo, Forum iudicum) (2). Qui codex («Lex Wisigothorum» ed. K. Zeumer, MGH LL I, 1, 1902) non solum summi momenti est ut fons ad cognoscendas institutiones iuridicas, sociales, oeconomicas nationis Gothicae in Hispania, sed etiam historiae Ecclesiae maximae utilitatis est, tum quia multae leges codicis iisdem fere verbis in canonibus Conciliorum Toletanorum recurrunt, tum quia ipsa materia nonnullorum librorum Legis stricte cum iure ecclesiastico cohaeret (Cf. V, 1, De ecclesiasticis rebus, totum l. III De ordine coniugali, et maxime XII, 2 et 3 De haereticis et Iudaeis).

**130.** *Lex Wisigothorum*, II 1, 12. Flavius Chindasvindus rex. De diebus festis et feriatis, in quibus non sunt negotia exequenda. Die dominico neminem liceat executione constrin-

---

(1) *Breviarium Alaricianum*, ed. Max Conrat (Cohn), Leipzig 1903.

(2) *Fuero juzgo en latin y castellano*, ed. Real Academia Española, Madrid 1815. Conf. *Portugaliae Monumenta historica*, Leges I, 1, 1856.

gi, quia omnes causas religio debet excludere; in quo nullus ad causam dicendam nec propter aliquod debitum fortasse solvendum quemquam inquietare presumat. Diebus etiam Pascalibus nulla patimur quemlibet executione teneri, id est per XV dies, septem, qui Pascalem sollemnitatem precedunt, et septem alios qui secuntur. Nativitatis quoque dominice, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et Pentecosten singuli dies simili reverentia venerentur. ... (MGH LL I, 1, 59).

**131.** *Lex Wisigothorum,* V 1, 1. Flavius gloriosus Reccesvindus rex. De donationibus Ecclesie datis. Si famulorum meritis iuste conpellimur debite conpensare lucra mercedis, quanto iam copiosius pro remediis animarum divinis cultibus et terrena debemus inpendere et inpensa legum soliditate servare. Quapropter, quecumque res sanctis Dei basilicis aut per principum aut per quorumlibet fidelium donationes conlate repperiuntur votive ac potentialiter, pro certo censetur, ut in earum iure inrevocabili modo legum aeternitate firmentur. (MGH LL I 1, 208).

**132.** *Lex Wisigothorum* XII 2, 17. Placitum Iudaeorum in nomine principis factum. Clementissimo hac serenissimo domino nostro Reccessvindo regi omnes nos ex Hebreis Toletanae civitatis, qui infra suscripturi vel signa facturi sumus. Bene quidem hac iuste dudum nos meminimus conpulsos fuisse, ut placitum in nomine dive memorie Chintilani regis pro conservanda fide catholica conscribere deberemus; sicut et fecimus. Sed quia et perfidia nostre obstinationis et vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter Iesum Christum dominum crederemus nec catholicam fidem sinceriter teneremus, idcirco nunc libenter hac placite ispondimus glorie vestre, tam pro nobis quam pro uxoribus et filiis nostris, per hoc placitum nostrum, ut deinceps in nullis observationibus, in nullis usibus Iudaicis misceamur. Iudeis etiam non baptizatis nullo penitus execrando consorcio sociemur. Non more nostro propinquitate sanguinis usque ad sextum gradum incestiva coniunctione vel fornicatione iungamur. Non coniugia ex genere nostro aut nos aut filii nostri vel nostra posteritas nullatenus sortiamur, sed in utroque sexu deinceps christianis iugali copula conectamur. Non circumcisiones carnis operemur. Non Pasca et sabbata ceterosque dies festos iuxta ritum Iudaice observantie celebre-

mus. Non escarum discretionem vel consuetudinem teneamus. Non ex omnibus, que Iudeorum usus et abominanda consuetudo vel conversatio agit, aliquatenus faciamus; sed sincera fide, grato animo, plena devotione in Christum filium Dei vivi, secundum quod evangelica et apostolica tradicio habet, credamus adque hunc confiteamur et veneremur. Omnes etiam usus sancte christiane religionis tam in festis diebus vel in coniugiis et escis quam in observationibus universis veraciter teneamus et sinceriter amplectamur, nullo reservato apud nos aut oppositionis obiectu aut fallaciae argumento, per quod aut illa, que facere denegamus, iterum faciamus aut hec, que facere promittimus, minime vel non sinceriter compleamus. De suillis vero carnibus id observare promittimus, ut si eas pro consuetudine minime percipere potuerimus, ea tamen, que cum ipsis decocta sunt, absque fastidio et orrore sumamus. Quod si in omnibus, que supra taxata sunt, in quocumque vel minimo trangressores inventi fuerimus, aut contraria christiane fidei agere presumserimus, aut que congrua catholice religioni promisimus verbis aut factis inplere distulerimus, iuramus per eundem Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qui est unus in Trinitate Deus: quia qui ex nobis horum omnium vel unius transgressor inventus fuerit, aut a nobis ignibus vel lapidibus perimatur, aut, si hunc ad vitam glorie vestre reservaverit pietas, mox amissa libertate tam eum quam omnem rei ipsius facultatem cui elegeritis perenniter deservienda donetis, vel quidquid ex eo aut rebus eius facere iusseritis, non solum ex regni vestri potentiam, sed etiam ex huius placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis.

Facto placito sub die duodecimo kal. Mart. anno feliciter VI regni glorie vestre, in Dei nomine Toleto.

(MGH LL I 1, 425 s.).

**133.** *Lex Wisigothorum* XII, 3, 14. Professio Iudeorum, quomodo unusquisque eorum ad fidem veniens indiculum professionis sue conscribere debeat. Ego ille abrenuncio universis ritibus et observationibus secte Iudaice, abominans in toto sollemnitates vel ceremonias sive observationes omnes, quas in preteritis observavi vel tenui, ita ut deinceps nihil de ritu vel celebritate eorundem observationum exerceam, nihil de usu praeteriti erroris adsumam, id est, ut nec affectu talia queram nec opere quodcumque tale perficiam. Proinde abrenunciatis his omnibus, que christianitatis doctrina abomina-

tur et prohibet: Credo in unum Deum (1). ... Hec, que in huius simboli fidem a me premissa sunt veraciter credens, fideliter retinens et cum toto mentis mee affectu amplectens, promitto, ut nullo umquam tempore ad vomitum superstitionis Iudaice redeam. Numquam observationes vel ceremonias, que Iudei soliti sunt custodire, amodo aut opere impleam aut cordis affectu retineam, abnegans in toto Iudaicam sectam, respuens in toto Iudeorum perfidiam, abiciens quicquid christianam fidem inpugnat, et ita me abinceps veraciter in sancta Trinitate profiteor credere, ut christiano more deinceps vivere debeam et, Iudeorum amodo consortia fugiens, cum honestis christianis me semper adiungam, qualiter, sive cum illis sive absque illis, christianos semper cibos accipiam et ad ecclesiam Dei, ut vere fidelissimus christianus, devotissime et frequentissime concurrere debeam. Sed et in festivitatibus dominicis sive etiam in martyrum festis, quas christiane religionis pietas observandas decrevit, ita promitto eas ipsas festivitates devote suscipere et cum summo amore amplectere et in his ipsis diebus semper christianis honestissimis interesse, sicut honesta et pia christianorum consuetudo id facere vel suscipere consuevit.

Facta fidei vel credulitatis mee professio sub die... .

(MGH LL I 1, 442 s.).

## XXXV. S. BRAULIO

S. Isidori discipulus et intimus amicus, — ut testatur epistularum inter Isidorum et Braulionem commercium, — Isidorum ad conscribendos Etymologiarum libros impulit, opusque post Isidori mortem edidit: Ecclesiae Caesaraugustanae archidiaconus, post fratris Iohannis obitum in episcopatu successor (ab a. 631 ad 651) interfuit synodis Toletanis IV, V, VI. Ipsi adtribuuntur canones V et VI concilii Toletani (a. 636 et 638). Quantae auctoritatis fuerit Braulio episcopus testantur *epistulae eius* (Florez, España sagrada XXX, 328 ss., ML 80, 649 ss.), quae cum epistulis ad eum missis inter pretiosissimos Historiae Ecclesiasticae Hispanicae recensendae sunt fontes. Scripsit insuper *Vitam s. Aemiliani* († 564) monachi (ML 80, 699-744) et «*hymnum* de festivitate ipsius Sancti, iambico senario metro compositum» (ib. 743-746).

---

(1) Sequitur symbolum Niceno-Constantinopolitanum secundum versionem in Coll. Hispana (cap. VIII) servatam (Gonzalez, p. 62).

**134.** *Ep.* 14. Domino meo Frunimiano presbytero et abbati, Braulio. Membrana nec nobis sufficiunt, et ideo ad dirigendum vobis deficiunt, sed pretium direximus unde, si iusseritis, comparare possitis. Istum Apostoli commentarium, quem direximus, diligenter legite prius et in ordine constituite, et quia diversorum opiniones etiam ad aurem habet conscriptas, unumquodque ut fidei catholicae congruum esse perspicitis, et ordo se afferet, in corpore contexite, et ita diligenter conscribite, ut per singula capita commenta sequantur, et non per paginas divisum ipsum opus habeatur sicut istud est, ut iterum nos de vobis debeamus nobis retroscribere. Tu autem, domine, more tuo ea quae optime nosti a nobis petis scire, et dum humilitatem tuam insinuas, nostram nescientiam probas. Sed quaeso ut si quid in hoc negligenter dixero, ad te respiciat causa, quia ultra iubes quaerere quam dedisti, et magis vis exigere quam informasti. Consulis enim, utrum sexta feria Paschae per lectiones singulas « Amen » responderi debeat, vel consueto modo decantari « Gloria », quod neque apud nos fit, neque ubicunque fieri vidimus, nec apud praestantissimae memoriae domnum meum Isidorum, denique nec Toleto quidem, vel Gerunda. Romae autem, ut aiunt, nullum eo die celebratur officium: credo equidem quod non alia causa, nisi ut passionis Domini semper innovetur memoria, et tristitia vera animae in corpore eius ipsius temporis significatione monstretur; aut forte, ut Apostolorum perturbatio eodem die deserto officio ostendatur; imo quia forte Ecclesia ab ea die in Petro sumens exordium a moerore initium cepit, ut gaudium in resurrectione metat. ...

De vestiendo autem altari, seu vela mittenda hoc usus habet Ecclesiarum, ut iam declinante in vesperam die ornetur ecclesia, et lumen verum ab inferis resurgens cum apparatu suscipiatur, quia et illae virgines quae lampades suas coaptaverunt, in resurrectionis claritate sponsi praestolarunt adventum; unde ipsa nocte eo usque celebrantur festa, quoadusque nox transeat media, qua hora et nos credimus resurrecturos, et Dominum vivos et mortuos iudicaturum, hoc enim sequetur in membris quod praecessit in capite. ... (Florez, España sagr., XXX, 337 s.).

**135.** *Ep.* 21. Domino reverendissimo et apostolicae gloriae meritis honorando papae Honorio [1] universi episcopi per Hispaniam constituti. Optime satis valdeque congrue cathedrae vestrae a Deo vobis collatae munus persolvitis, cum sancta sollicitudine omnium Ecclesiarum, praenitente doctrinae lumine, et in speculis constituti, Ecclesiae Christi digna tutamina providetis, et dominicae tunicae derisores divini gladio verbi et superni telo zeli confoditis, atque sanctam domum Dei, matrem nostram, studio vestro vel vigilantia a nefandis praevaricatoribus et exsecrandis desertoribus ad Nechemiae similitudinem expurgatis. Hoc quidem iam olim altissimo inspiramine, et sacra meditatione gloriosissimi et clementissimi filii vestri principis nostris Chintilanis regis insederat animis. Sed dum sua accelerat vota, vestra Deo favente ad eum perlata sunt hortamenta. Nam iam totius Hispaniae atque Narbonnensis Galliae episcopi in uno coadunati eramus collegio, quando Turnino deportante diacono, vestrum nobis est allatum decretum, quo et robustiores pro fide et alacriores in perfidorum essemus rescindenda pernicie...

Proinde, domine beatissime et honorabilis papa in ea charitate, quae nobis praecipuum munus ex Deo est, cum veneratione quam sedi apostolicae et tuae sanctitati honorique debemus, fidenter intimamus de conscientia bona, et fide non ficta, quid existimatio nostra in hac habeat causa. Arbitramur enim putasse falsiloquos, facile aures mansuetudinis vestrae opinioni patere sinistrae, cum saepe soleat sine auctore falsa dictio evagare, atque levitate sui mentes instabiles penetrare, ut gremio foveantur mendacii infidi veritatis et nescii, ac sic quia nulla eos aperta consolatur veritas, fucata saltem tutetur iniquitas. Sed quoniam destruit Deus os loquentium iniqua, ideo figmentum colubri non credimus fecisse vestigium in petra Petri, quam fundatam esse novimus stabilitate Domini Iesu Christi et quanquam tu, sanctissime, bene officii

---

(1) Huius epistulae nomine episcoporum monarchiae Gothicae in concil. VI. Toletano adunatorum a. 638 scriptae, auctor fuisse videtur s. Braulio. Ad ipsam enim referenda videtur notitia *continuatoris chronici s. Isidori a. 754* (*Isidorus Pacensis* (Beja) vulgo dictus) ad an. 633: « Huic sancto synodo (Toletano V) inter ceteros Braulio Caesaraugustanus episcopus claruit, cuius eloquentiam Roma urbium mater et domina postmodum per epistolare alloquium satis miravit » (MGH AA 11, 340). Honorii papae (aa. 625-638) epistula ad Hispanos periit.

tui memor, nos pro divino cultu zelare adhortatione sacratissima mones, tamen non credimus tam funesti venenum mendacii in pectoris vestri placiditate locum patulum invenisse; scimus enim optimae esse mentis indicium prava difficilius credere. Nam et ad nos perlatum est, — quod tamen incredibile nobis, nec omnino creditum est, — oraculis venerabilis Romani principis permissum esse Iudaeis baptizatis reverti ad superstitionem suae religionis; quod quam falsum sit sanctimonia vestra melius novit. Callidus enim et ubique insidiosus humani generis inimicus, cum operis sui impensam persentit nihil proficere, ex mendacio famae damnatorum nititur corda solari. Sed tu, reverendissime virorum et sanctissime patrum insta, insta virtute qua in Domino vales, praedicatione qua polles, industria qua ferves, et inimicos crucis Christi ac daemonicolas Antichristi variam quamtocius per occasionem transduc in sinum matris Ecclesiae. Utraque pars, Orientis scilicet et Occidentis, voce tua commonita et divino praesidio tuo sibimet inesse sentiat adiutorio, et pravorum studeat demoliri perfidiam; quatenus alterum Eliam afferens, dum infaustos prophetas Baal punis, et zelo maiori excruciatus solum te remansisse conquereris, superna audias voce quia multi reliqui sunt qui non curvaverunt genu ante Baal: haec enim nos, non iactantiae neque superbiae spiritu inflati, vestrae suggerimus beatitudini, sed veritatis cultores, ut de nobis noveris veritatem praeeunte humilitate, iustum vobis putavimus intimare, ut inter nos veritas constet, cum infideles vanitas fallit.

Et quamvis ratio posceret ut vobis ad singula deberemus respondere, tamen ne in longum sermo protractus fastidium vestris inferret auditibus, breviter quidem, sed sufficienter respondimus, ut putamus. Sapienti enim viro pauca dicta sufficiunt. ... (Florez, España sagr., XXX, 348 ss.).

**136.** *Ep.* 22. Domino meo Eutropio episcopo Braulio. Sollicitudini beatitudinis vestrae, qua te dignaris immeritum requirere, dum non possum dignas gratias agere, quanto minus respondere? Sed ille qui solus se debitorem fecit pro inope, et cui cura est respondere pro impossibile, vice mea tibi domino meo respondeat, et benignitatem quam in me ostendis ipse restituat. De festo autem Paschali, quod inquirere ab humilitate nostra iussisti, noverit sanctitas vestra hoc esse rectum ut VI Id. April., luna XXI, Pascha anno isto celebretur. Sic enim antiqui maiores nostri praescripse-

runt, id est, ad Theodosium imperatorem Theophilus (1), sic successor eius Cyrillus (2), sic Dionysius, sic ad papam Leonem Proterius (3), necnon et Pascasinus (4), et reliqui, quorum longum est facere mentionem; sed et nostri temporis vir insignis Hispalensis Isidorus (5): nec credo eos in negotio tam magno ac necessario praetermissa diligentia et labore potuisse delinquere. In laterculo autem, quem dominus inspexisti, sicut vestra sanctitas scribit, forte mendosi codicis aut librarii error est, et ideo non ut debuit, sed ut contigit, praescriptum habet. Nam in Kalendis Aprilis hoc anno non Christianorum, sed Pascha occurrit Iudaeorum, ex Veteri non ex Novo Testamento. Sed quoniam oportet ut illorum praecedat et sic nostra sequatur, quia prius Vetus, postea Novum exstitit Testamentum; unde et Dominus quinta feria vetus Pascha cum discipulis manducavit, et nobis post hoc Sabbatum, quod in Dominica lucescit, passione et resurrectione sua sacravit, ideo cum illis simul celebrare non possumus, prohibente etiam Nicaeno concilio, quod in septimo libro ecclesiasticae refertur historiae. Quocirca in sequenti Dominica celebrandum est a nobis Pascha, quod erit, ut praemisi, VI. Id. April. (6), luna XXI cum illorum in Kal. April. in praecedenti Dominica luna celebretur XIV. Porro quod semissis ex tertia parte usu nostro decurrit, apud illos vacat, quia nisi quarta decima fuerit impleta, non celebrant Pascha. ...

(Florez, España sagr., XXX, 352 s.).

---

(1) Theophilus, episcopus Alexandrinus a. 385 c. paschalem cyclum edidit aa. 380-479, cuius tantum servata est epistula ad Theodosium I (ed. B. KRUSCH, *Studien z. christl. mittelalt. Chronologie*, p. 220 s.).

(2) Conf. Leonis monachi Hispani ad Sesuldum epistulam apud KRUSCH, ib. p. 298.

(3) KRUSCH, ib. p. 269 ss.

(4) Ib. p. 247 ss.

(5) Etymol. VI, 17, ubi inserit cyclum paschalem aa. 532-626. Quo cyclo a. 626 decurso, ad praeveniendas dissensiones a. 633 Concil. Tolet. IV can. 5 statuit: « ut ante 3 menses Epiphaniorum metropolitani sacerdotes invicem se inquirant, ut communi scientia edocti diem resurrectionis Christi et comprovincialibus suis insinuent et uno tempore celebrandum annuntient » (ed. GONZALEZ, p. 367).

(6) 8 Aprilis a. 641.

**137.** *Ep.* 37. Eiusdem Braulionis ad Chindasvinthum regem. Suggerendo gloriosissimo domino nostro Chindasvintho regi (1), Braulio et Eutropius episcopi servuli vestri, cum presbyteris, diaconibus et omnibus a Deo sibi creditis, nec non et Celsus servus vester cum territoriis a clementia vestra sibi commissis. Qui corda regum in manu sua tenet, ut fides nostra habet, ipse et omnia regit. Unde non est sine illius inspiramine quod clementiae vestrae cupimus suggerere: quapropter, pie domine, libenter servorum tuorum suscipe preces, quas fidei intentione vides anhelare; spe enim et crebro cogitationis studio, quo unusquisque vitae suae tranquillitatem desiderat et periculosos casus evitat, alterna conlatione conferentes, et praeterita discrimina reminiscentes, animadvertimus quantis periculis, quantis necessitatibus, quantis etiam patuerimus adversariorum incursibus, quibus caelesti misericordia vos excitatos, et vestro regimine nos ereptos dum magna contemplatione videmus, et vestros labores cogitantes et in futurum patriae providentes, inter spem metumque vacillantes, fiducia vincente metum, ad tuam pietatem recurrere decrevimus, ut quia compendiosius nihil nec quieti vestrae, nec casibus nostris prospicimus, in vita tua, et te benevalente servum tuum dominum Recesvintum, dominum nobis et regem deposcimus (2), ut cuius aetatis est et belligerare et bellorum sudorem sufferre, auxiliante superna gratia, et noster possit esse dominus et defensor, et serenitatis vestrae refectio, quatenus et inimicorum insidiae atque strepitus conquiescant et fidelium vestrorum vita absque pavore secura permaneat. Neque enim poterit gloriae vestrae esse contemptus talis filii et tanti patris filio debitus profectus. ... (Florez, España sagr., XXX, 373 s.).

## XXXVI. S. MARTINUS I PAPA (649-653).

Inter gesta pontificatus eius summi momenti est synodus 105 episcoporum Romae mense Octobri a. 649 contra Monotheletarum haeresim celebrata (Mansi X, 863-1170; cfr. DENZINGER, n. 254-274). Acta synodi cum

(1) aa. 642-653.

(2) Quibus precibus annuens Chindaswinthus, a. 649 Recceswinthum in consortium regni suscepit. Cf. *Isidori continuationem a. 754*: « Huius temporibus era 685 (a. 647?), anno regni Saracenorum XXX, regnante in eis Atthoman anno VII, Chindas Reccesuintum licet flagitiosum, tamen bonimotum filium suum regno Gothorum proponit... » (MGH AA 11, 343).

epistula Martini per Occidentis Orientisque ecclesias missa sunt; praeter epistulas 12 ad ecclesias Orientis, quarum graeca translatio servata est, et unam ad Carthaginiensem ecclesiam missam, superest tantum illa, quam ad s. Amandum Tungrorum episcopum (Tongres-Maastricht) (1) misit. (MGH SS RR Merov. 5, p. 452-456; ML 87, 135-138). Quae Martinus, orthodoxam fidem egregie defendens a Constantino III imperatore depositus, Constantinopoli et in exilio Chersone passus est, ipse narravit 4 epistulis ad diversos scriptis (ML 87, 197-204). Confer eius passionem ab Anastasio Bibliothecario (v. infra n. LXXXIX) editam (ML 129, 585-604), et Vitam in LP ed. DUCHESNE I, 336 ss. Privilegia, ipsius nomine apud ML 87, 205-212 vulgata, spuria sunt.

**138.** Exemplar epistolae Martini papae. Dilectissimo fratri Amando Martinus.

Fraternitatis tuae studio pietatis congestam epistolam suscipientes, animos nostros relevare cognoscitur, quippe quoniam huius saeculi fluctivagas atque transitorias dispiciens oblectationes, illa quae perpetua et sublimia dona pro domino Deo nostro obsequiis tribuuntur appetere certa est. Ex relatione igitur iuxta tenorem tuae fraternitatis epistolae latoris praesentium laborum tuorum certamen cognovimus, ex quibus caelestis patriae ascensum humiliatis mentibus atque contritis corporibus vobis futurorum gaudiorum largienda sunt munera. ... Sed quantum nobis laborum vestrorum operatio magnam gaudii ubertatem inducit, tantum pro duritia sacerdotum gentis illius conterimur, quod, postpositis salutis suae suffragiis, atque Redemtoris nostri contempnendo servitia, vitiorum foederibus ingravantur. ... Suggestum est namque nobis, eo quod presbiteri seu diaconi aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes in lapsum inquinantur, et propterea nimio merore fraternitatem tuam adstringi velleque pastorale obsequium pro eorum inoboedientia deponere et vacatione ab episcopatus laboribus eligere et silentio atque otio vitam degere, quam in his quae tibi commissa sunt permanere: ... Ideoque frater carissime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestrae proposito coartet recedere, considerans, quanta pro absolutione nostri et liberatione creator Dominusque noster pertulerit, quibusve se contumeliis afficiendum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicae liberaret. Propterea nullatenus in huiusmodi peccato delinquentibus ad distructione canonum compassionem

(1) Conf. E. DE MOREAU, S. I., *Saint Amand*, Louvain 1927, p. 162 ss.

exhibeat. ... Cumque cuncta, quae nobis ad confortandos fraternitatis vestrae animos poterant ministrari largiente supernae maiestatis clementia, vobis sint procul dubio manifesta, restat, ut de aliis, quae nos per sua scripta consoluit, fraternitati tuae significemus. Credimus etenim ad vos pervenisse, quomodo in conturbatione rectae fidei et catholicae Ecclesiae conculcatione ante hos plus minus quindecim annos a Sergio falso episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, exsecranda et abominanda heresis pullulavit, Apollinaristarum et Severianorum, Eutychianistarum atque Manicheorum errorem renovantem: quam successor eius Pyrrus idemque exepiscopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam sedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re saepius apostolica sedis persuasionibus, contestationibus atque increpationibus plurimis ammonuit eos, quatenus ab huiusmodi errore recederent et ad lumen pietatis ex quo lapsi sunt remearent. Et non solum quia hoc facere nullatenus voluerunt, sed et nunc successor eius Paulus, temerator fidei, exepiscopus Constantinopolitanus alium nequiorem excogitavit in praeiudicio catholicae fidei conamen, quasi quae a decessoribus suis haereticae exposita fuerant destruens, et imperialem typum [1] sacrilego ausu totius plenum perfidiae a clementissimo principe nostro fieri persuasit, in quo promulgatum est, ut omnes populi christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam neglegentia et animarum detrimenta, quae nobis commissae sunt, culpae reatitudinis adstringamur, coetum generalem fratrum et coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare. Quorum praesentia memoratorum haereticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, et apostolico mucrone patrumque definitionibus uno ore unoque spiritu condemnavimus, ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutioni nullatenus maculentur. Unde praevidimus volumina gestorum synodalium in praesenti vobis dirigere una cum incyclia nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere et tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua omnibus eadem innotescere ut tam abominandam heresem nobiscum exsecrentur, quam suae salutis sacramenta indiscere valeant, atque synodale conventione omnium fra-

---

(1) Conf. KIRCH, n. 1080 s.

trum et coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem encycliae a nobis directae scripta una cum subscriptiones vestras nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quae pro orthodoxa fide et destructione haereticorum vaesaniae nuper exortae a nobis statuta sunt. Et Sigebertum [1], praecellentissimum filium nostrum, regem Francorum pro suae christianitatis remedio consultissime ammonere atque praecare, dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos episcopos, qui sedis apostolicae legatione, divina concedente propiciacione, fungere debeant, et quae in nostro concilio peracta sunt cum has synodales apices nostras ad clementissimum principem nostrum sine dubio asportare faciemus, ut nostrorum laborum particeps effectus mercedis cumulum adipisci valeat et sui regni protectorem invenire eum, cuius causa flagitari dinoscitur. Hoc namque et in eius epistola exortare eum cognoscimus. Reliquias vero sanctorum, de quibus praesentium lator nobis ammonuit, dare praecipimus; nam codices iam exinaniti sunt a nostra bybliotheca, et unde dare ei nullatenus habuimus. Transscribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac civitate regredi properavit. Haec igitur ita praelibatis, quae a nobis per epistolam vobis scripta sunt, effectui mancipari fraternitatem vestram hortamur. *Deus te incolomem custodiat, dilectissime frater.*

(MGH SS RR Merov. 5, 452 ss ).

## XXXVII. S. DESIDERIUS CADURCENSIS EPISCOPUS

Inter episcopos regni Merovingici, quorum non pauci « de palatio eligebantur » (cf. n. 106, 1), primis saec. VII decenniis nonnulli magnae sanctitatis gloria splenduerunt. Inter istos eminet s. Desiderius Cadurcensis, cuius vita et gesta melius forte quam aliorum cognita sunt, tum ex *Epistularum* collectione (MGH EPP 3, 191-214; ML 87, 247-266) quae tam Desiderii epistulas, quam aliorum ad ipsum datas continet, tum ex eius *Vita* (MGH SS RR Merov. 3, 547-602; ML 87, 219-246) quae etsi saec. VIII conscripta, nonnulla insignia documenta inserta habet, ut sunt matris Desiderii, Herchenfredae, epistulae tres datae ad iuvenem filium inter aulae regiae illecebras versantem, chartae Dagoberti regis de Desiderii electione

---

(2) Sigibertus III, a. 630-656.

et alia. A. 630 in episcopum urbis Cadurcae (Cahors) electus, Desiderius c. a. 650 diem supremum obiit. Epistulae eius et documenta in Vitam inserta egregie illustrant tum episcopi sancti gesta, tum maxime Ecclesiae in regno Francorum conditiones et praesertim relationes regem inter et episcopos.

**139.** Dulcissimo atque amantissimo filio Desiderio Herchenefreda. Inmensas omnipotenti Deo egi gratias, qui dignatus est tribuere locum, ut litteras meas ad dulcedinem tuam dirigere deberem, per quas tantum saluto, quantum viscerum meorum exegit plenitudo, et rogo Domini misericordiam, ut me de vita et bona conversatione vestra affluenter iubeat letificari. Te vero, dulcissimum mihi pignus, moneo, ut assidue Deum cogites. Deum iugiter in mente habeas, mala opera qae Deus odit nec consentias nec facias; regi sis fidelis, contubernales diligas, Deum semper ames et timeas. Ab omni opere per quod Deus offenditur sollicite te custodi, ut nos melius provoces pro tua mala vitae stabilitate, quare nullam occasionem vicini vel pares habeant per quam detrahere possint, sed magis bonam conversationem tuam videntes glorificent Deum. Recordare, fili, semper, quid Deo pro vobis spopondi, et ideo cum timore semper progredere. De cetero tantum te, dulcis fili, salutare praesumo, quantum cordis mei continet plenitudo. (MGH SS RR Merov. 4, 569).

**140.** Dagobertus rex Francorum [1] episcopis et ducibus cunctoque populo Galliarum finibus constituto. Condecet clementiae principatus nostri sagaci indagatione prosequere et pervigili cura tractare, ut electio vel dispositio nostra Dei in omnibus voluntati debeant concordare, et dum nobis regiones et regna in potestate ad regendum, largiente Domino noscuntur esse conlatae, illis committantur privilegia dignitatum, quos vita laudabilis et morum probitas vel generositatis nobilitas adtulit. Et quoniam virum illustrem Desiderium tesaurarium nostrum cognovimus religionis observantiam ab ipso pueritiae suae tempore in omnibus custodire et sub habitu saeculi Christi militem gerere hac mores angelicos et

---

[1] Dagobertus I a. 622-639. — Ad textum conf. supra n. 106 can. 1; infr. n. 160-163.

sacerdotalem conversationem habere, ut non solum in contiguis, sed etiam in longinquis fama bonitatis eius vulgata crebrescat, ideo credimus eum merito ad sacerdotium provehere, quem, sicut diximus, ornatis moribus videmus iugiter ad caelestem patriam anhelare. Et dum civium abbatumque Cadurcorum consensus hoc omnimodis exposcit, ut eum episcopum habeant, et nostra devotio similiter consentit, absque dubio credimus Dei notu id fieri, ut dum satis nobis est in palatio nostro necessarius, ipsi nobis quodammodo violentiam inferamus et eum ab editibus nostris auferamus, profectui vestro procuremus. Sed dum nobis, sicut diximus, regiones et regna a Deo sunt commissa, quamvis nobis inferamus dispendium, tales debemus procurare pastores, qui secundum Deum et iuxta apostolica dicta plebis sibi hac nobis commissas debeant regere, unde nobis merces amplior possit adcrescere. Quam ob rem iuxta civium petitionem nostram quoque concordantem in omnibus voluntatem, decernimus hac iubemus, ut adiuvante Domino, adclamante laudem ipsius clero vel populo, vir illustris et verus Dei cultor Desiderius pontifex in urbe Cadurcis debeat consecrari, et nostra civiumquae voluntas quod decrevit, in omnibus in Dei nomine perficiatur, et pontificali benedictione sublimatus, dum Christo propicio vere hac religiose profitemur, quod vita et conversatio eius digna et probata ab universis habetur, pro nobis et pro universis ordinibus Ecclesiae debeat exorare et acceptabilis Deo hostias studeat offerre, quia ex hoc vitam nobis longiori aevo auctore Domino credimus propagandam, si ille in sacerdotio elegitur et sublimatur, qui pro nobis vel pro vobis, sibi commissis, securus ante tribunal Christi preces offeret et in futuro iudicio ut culpas excuset, precator adsistet. Qua de re praesenti auctoritate decernimus, ut saepe dictus Desiderius episcopatum in Cadurcena urbe praesentaliter suscipiat et Christo propitio eius temporibus teneat. Et ut haec deliberatio voluntatis nostrae firmior habeatur, manus nostrae subscriptione subter eam decrevimus roborare. Chrodobertus obtulit. Dagobertus rex subscripsit. Data sub die VI. Idus Aprilis, anno VIII. Dacoberti regis (1).

(MGH SS RR Merov. 4, 571 s.).

(1) a. 630, 8 Aprilis.

**141.** *Ep.* I, 5. Domino gloriosissimo atque piissimo, ubique preferendo, undique precelso, sanctae Ecclesiae catholicae filio, Dagoberto regi Desiderius servus servorum Dei et vester fidelis. Cum plerumque pro conditiones ecclesiasticas me necessitas conpellat ad celsitudinem culminis vestri apices diregere, ipsa tamen recordatio contubernii et dulcido auspicatae indolis pubertatis monet, ut frequenter, si fieri possit, me exiguum famulum sollertissimis obtutibus vestris praeoptem praesentari. Qua de re salutationis obsequia eo quo decet honore praelata, quaeso, ut de conditiones Cadurchae ecclesiae, cui Deo auctore ex iussu vestro praesedeo, pro quas nunc praesentium latores apicum ad eccellentiam dominationis vestrae festinant, pro divino respectu vel iustitiae contemplatione integra mercede studeatis habere, sollertissimo libramine causam trutinate, et qua iustitiam perspicitis ponderare, illuc sententiam declinate. Nec solum de hac re, sed omni tempore, de omni conditione sententiam regis iustitia praecedat et veritas. Iuditium quoque misericordia comitetur propter illud apostoli: « Iuditium sine misericordia erit ei, qui non fecerit misericordiam ». Age ergo, praecellentissime princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, ut, dum singularem inter homines regni apicem obtines, ad aeterni regni singularem gloriam sine confusione adtingere possis. Me quoque non superfluum iudices pro pia commonitione, sed amantem mente ames pro salubri exhortatione. (MGH EPP 3, 195 s.).

**142.** *Ep.* I 13. Domino semper suo Caesario [1] episcopo Desiderius peccator. Desiderabilia nobis gaudia eveniunt, quotiens se aditus praebet, quo pusillitatis nostrae litteras almitati vestrae possimus dirigere. Ideoque praelata occursionis obsequia fraterna caritate monemus, ut causas unde mutua fuit confabulatio, id est, de id, quod ad profectum animae pertinere noscuntur, toto conatu omnique adnisu elaboretis adsequere, sicut e contra illa, quae evidenter saluti animae obsunt, tota virtute studeatis fugire. Et quia « caritas omnia suffert », sicut nos videtis de vestra salute sollicitudinem gerere, ita vos quoque de nostra exiguitate dignamini sollicitare, ne, quod absit, culpa quaelibet, nobis latens, vicinis propaletur, et nobis quandoque in obiectionem pona-

(1) Arvernensi episcopo.

tur. Praeterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egestatem de aqua, quam fons prebeat in hac Cadurcina civitate, habemus. Sed voluntas nobis inest, si possis permittit, ut per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsa civitate aquam ducere debeamus. Proinde, quia novimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, ut conpendium nobis de ipsos faciatis. Et unde iubetis, nos plenissime reservimus. Agat apostolica dignatio vestra taliter, tam de prelata monitione, quam et de ultima suggestione, sicut nos in omnibus efficaciter de parte vestra confidimus. Incolomem pontificatum vestrum divina pietas custodiat. (MGH EPP 3, 200 s.).

**143.** *Ep.* II 17. Domino sancto et apostolico in Christo patri, Domno Desiderio papae Siggybertus (1) rex. Dum fabula currente a plures et fidelibus nostris cognovimus, quasi vocati ab idemque patre nostro Vulfoleudo episcopo (2) sinodali consilio Kal. Septembris in regno nostro, ignoramus, in quo loco una cum reliquos fratres et conprovinciales vestros debeatis coniungere. Licet nos statuta canonum et ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservarunt, ita et nos conservare obtamus, tamen, dum ad nostra antea noticia non fuit perlatum, sic nobis cum nostris proceribus convenit, ut sine nostra sciencia synodalis concilius in regno nostro non agatur, nec ad istas Kal. Septembris nulla coniuncio sacerdotum ex his, qui ad nostram dicionem pertinere noscuntur, non fiatur. Postea vero oportuno tempore, si nobis antea denuntiatur, utrum pro statu ecclesiastico an pro regni utilitate sive etiam pro qualibet rationabile condicione coniuncio esse decreverit, non abnuimus. Sic tamen, ut diximus, ut in nostri prius deferatur cognitionem. Proinde praesentia scripta sanctitati vestrae distinare curavimus, per qua petemus, ut pro nos orare dignetis et ad istam coniunctionem, priusquam nostram cognoscatis voluntatem, paenitus accedere non debeatis et ut certius credatis, hunc indicolum manu propria subter subscripsimus.

Syggibertus rex subscripsi. (MGH EPP 3, 212).

---

(1) Sigibertus III, 634-656; conf. supra n. 138.

(2) Bituricensi.

# XXXVIII. IONAS

Inter auctores Vitarum Sanctorum saec. VII Ionas eminet, auctor Vitarum s. Columbani, eiusque successorum abbatum Bobbiensis et Luxoviensis monasteriorum. Natus Segusione (Susa), c. a. 618, mortuo iam s. Columbano, in Bobbiense monasterium admissus, Atthalae abbatis adiutor in scribendis epistulis fuisse videtur, quod munus etiam sub Bertulfo abbate retinens, iter Romanum a. 628 cum Bertulfo suscepit. Exin diversa loca peragrans Luxovium monasterium invisit, s. Amandum in conversione paganorum Francorum inferioris Rheni ripas incolentium, adiuvit. Hoc tempore *Vitam s. Vedastis Atrebatensis* (MGH SS RR Merov. 3, 399-413) et a 659 *Vitam s. Iohannis abbatis Reomaensis* [1] (MGH SS RR Merov. 3, 502-517) scripsit, postquam iam c. a. 642 *Vitas ss. Columbani, discipulorumque eius Athalae, Eustasii, Bertulfi, Burgundofarae*, Evoriacensis monasterii abbatissae (Faremoutiers), edidit. (MGH SS RR Merov. 4, 1-152). Hae Columbani discipulorumque Vitae praecipui fontes sunt, ex quibus origines monachismi Columbaniani in Gallia et Italia cognoscimus.

**144.** *Vita Columbani* I 10. De inventione Luxovii et monasterio ibi constructo et monachorum concursu. Cumque iam multorum monachorum societate densaretur, coepit cogitare, ut potioris loci in eodem heremo quereret, quo monasterium construxisset, invenitque castrum firmissimo olim fuisse munimine cultum, a supradicto loco distantem plus minus octo milibus, quem Luxovium prisca tempora nuncupabant. Ibi aquae calidae cultu eximio constructae habebantur; ibi imaginum lapidearum densitas vicina saltus densabant, quas cultu miserabili ritoque profano vetusta paganorum tempora honorabant, quibusque execrabiles cerimonias litabant; solae ibi ferae ac bestiae, ursorum, bubalorum, luporum multitudo frequentabat. Ibi residens vir egregius monasterium construere coepit, ad cuius famam plebes undique concurrere et cultui religionis dicare curabant, ita ut plurima monachorum multitudo adunata, vix unius caenubii collegio sistere valeret. Ibi nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut, exspreta faleramenta saeculi et praesentium pompam facultatum temnentes, aeterna praemia caperent. Quod beatus Columbanus cernens, undique ad peni-

(1) Moutier St. Jean; Iohannes obiit c. a. 544.

tentiae medicamenta plebes concurrere et unius caenubii septa tantam conversantum cohortem absque difficultate non teneri, quamvis mente una et cor unum, tamen conversationis tante multitudines incongruum, alium experimento locum querit, quem aquarum inriguitas adornabat, aliumque monasterium construit, cui Fontanas nomen indedit. Dedit gubernatores praepositus, de quorum religione nihil dubitabatur. His ergo in locis monachorum plebes constitutas, ipse vicissim omnibus intererat regulamque, quam tenerent, Spiritu sancto repletus condedit, in qua, qualis et quantae disciplinae vir sanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoscit. (MGH SS RR Merov. 4, 76).

**145.** *Vita Columbani* I, 27. ... Ad destinatum deinde perveniunt locum. Quem peragrans vir Dei non suis placere animis aiet, sed tamen ob fidem in gentibus serendam inibi paulisper moraturum se spondit. Sunt etenim inibi vicinae nationes Suaevorum. Quo cum moraretur et inter habitatores loci illius progrederetur, repperit eos sacrificium profanum litare velle, vasque magnum, quem vulgo cupam vocant, qui XX modia amplius minusve capiebat, cervisa plenum in medio positum. Ad quem vir Dei accessit sciscitaturque, quid de illo fieri vellint. Illi aiunt se Deo suo Vodano nomine, quem Mercurium, ut alii aiunt, autumant, velle litare. Ille pestiferum opus audiens vas insufflat, miroque modo vas cum fragore dissolvitur et per frustra dividitur, visque rapida cum ligore cervisae prorumpit; manifesteque datur intelligi diabolum in eo vase fuisse occultatum, qui per profanum ligorem caperet animas sacrificantum. Videntes barbari, stupefacti aiunt magnum virum Dei habere anhelitum, qui sic possit dissolvere vas ligaminibus munitum; castigatusque euangelicis dictis, ut ab his segregarentur sacrificiis, domibus redire imperat. Multique eorum tunc per beati viri suasum vel doctrinam ad Christi fidem conversi, baptismum sunt consecuti: aliosque quos iam lavacro ablutus error detinebat profanus, ad cultum evangelicae doctrinae monitis suis ut bonus pastor Ecclesiae sinibus reducebat. (MGH SS RR Merov. 4, 102 s.).

**146.** *Vita Columbani* I, 30. Beatus ergo Columbanus cum vidisset, ut superius diximus, devictum a Theuderico Theudebertum, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreditur, ubi ab Agilulfo Langobardorum rege honorifice re-

ceptus est. Qui, largita optione, ut intra Italiam, quocumque in loco voluisset, habitaret, ibi Dei consultu actum est, dum ille poenes Mediolanium urbem moraretur et hereseorum fraudes, id est Arriane perfidie, scripturarum cauterio discerpi ac desecari vellet, contra quos etiam libellum florenti scientia ededit, vir quidam nomine locundus ad regem venit, qui regi indicat se in solitudine ruribus Appenninis basilicam beati Petri apostolorum principis scire, in qua virtutes expertus sit fieri, loca ubertate fecunda, aquis inrigua, piscium copia. Quem locum veterum traditio Bobium nuncupabant ob rivum in eo loco hoc nomine fluentem amnemque alium profluentem nomine Triveam [1]; super quem olim Hannibal hiemans, hominum, aequorum, elefantorum atrocissime damna sensit. Ubi cum venisset, omni cum intentione basilicam inibi semirutam repperiens, prisco decori renovans reddidit. ... (MGH SS RR Merov. 4, 106 s.).

## XXXIX. S. FRUCTUOSUS

Magnus pater monachismi in regno Wisigothico, clarissima ex stirpe Gothica ortus, a Conantio episcopo [2] spiritualibus disciplinis eruditus, in eremo prope Astorgam Complutense monasterium instituit, primum inter plurima, quae secundum eius regulam et institutionem, maxime in partibus Gallaeciae et Lusitaniae, exorta sunt. Anno 656 episcopus Bracarensis [3] in concilio Toletano X electus, inter aa. 660 et 670 obiisse videtur. Eius Vita ab auctore fere coevo in ML 87, 459 ss. (Conf. BHL 3194-5). Supersunt regulae eius duae: *Regula monachorum* (L. Holste et M. Brockie, Codex Regularum I, 200-207; ML 87, 1099-1110) et *Regula communis* (Holste et Brockie I, 208-218; ML 87, 1111-1130). Regulae istae, praeter officii divini peculiarem secundum modum ecclesiae Wisigothicae distributionem, nonnulla peculiaria continent, quibus a caeteris occidentalis ecclesiae regulis discrepant, quorum praecipua sunt: menstrui con-

---

(1) Trebbia.

(2) Conantius ecclesiae Palentinae episcopus subscribit in concil. Tolet. IV.

(3) « Tunc venerabilem Fructuosum Ecclesiae Dumiensis episcopum communi omnium nostrum electione constituimus Ecclesiae Bracarensis gubernacula continere » (ML 84, 449). Nota episcopos Dumienses in conciliis Toletanis III et IV subscribere: « Dumiensis monasterii episcopus ».

ventus abbatum «de uno confinio» (Reg. com., cap. X), quibus varia monasteria s. Fructuosi, tum virorum tum mulierum ad modum recentiorum «Congregationum» inter se unita apparent, et «Pactum», quod monachi cum abbate ineunt, subscribentes formulam, quam infra n. 150 damus (1).

**147.** *Reg. mon.* cap. II. De orationibus. Primae horae observandae mensura sancita est, dicente Propheta: «Mane astabo tibi, et videbo te, quia tu es Deus nolens iniquitatem». Et iterum: «Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam». Secunda quoque inter primam et tertiam constituta quasi quidam limes ponitur; unde et a monachis necesse est ne otiosa ducatur. Ideo constitutum est ut trino psalmorum obsequio frequentetur, quae et primae consummet officium, et subsequenter tertiae incipiat scandere gradum. Ita quoque in reliquis institutum est hunc servandum esse ordinem horis, tertia, sexta, nona, duodecima videlicet, atque vespera, ut ante et post trinas has legitimas horas peculiaris orationis prosequantur obsequia. Nocturno igitur tempore prima noctis hora sex orationibus celebranda est; ac deinde decem psalmorum concentu cum laude ac benedictionibus consummanda in ecclesia est. Deinde valefacientes invicem, et reconciliationi et satisfactioni alterutrum insistentes, laxant mutuo debita, et pietate prona, qui segregati a coetu fraterno ob negligentiam suam fuerant merentur indulgentiam. Cum demum pergentes ad cubilia, atque in unum cuncti coeuntes ob perfectionem pacis, et reorum absolutionem, cantatis tribus psalmis, iuxta morem cum laude, et benedictione, symbolum christianae fidei communi omnes recitent voce, ut fidem suam puram coram Domino ostendentes, si quod dubium non est fieri vel accidere, ut nocturno quisquam tempore evocetur a corpore, commendatam iam fidem suam, et expiatam ab omni scandalo conscientiam proferat ante Deum. Post deinde adeuntes cubilia summo cum silentio, et habitu tacito, gressuque quieto, nec ullus se vel ultra cubiti spatium iungens ad alterutrum, vel saltem alium respicere audens, pergat ad lectulum suum, ubi tacite orationi insistens, psalmosque recensens, ultimo orationem suam quinquagesimi psalmi recitatione atque

(1) Conf. Ildefons Herwegen O. S. B., *Das Pactum des hl. Fructuosus von Braga* (KRA 40) 1907.

oratione consummet; nec strepere, nec mutire ausus, aut excreare, cum gratia nocturni somni capiat silentium.

(Holste-Brockie I, p. 201).

148. *Reg. mon.* cap. III. De praepositis vel officio. Praepositus sane in medio consistens dormitorio, quoadusque cuncti quiescant, omnibus iam cubantibus circumeat silenter lecta singulorum, ne quis aut tarde se iactet, aut extra regulam occultis mussitationibus vacet; et ut plenius perscrutans gesta singulorum, et merita intelligat, quem quomodo veneretur atque suscipiat. ... Ita ante mediam surgentes noctem duodenos per choros recitent psalmos, secundum consuetudinem; prius tamen quam surgant caeteri, a vigilariis fratribus praepositus excitetur; et cum benedictione sua et signum moveatur, et cunctorum lectula ab eo priusquam consurgant strenue visitentur. Hoc quoque in omnibus nocturnis orationibus gerat, ut semper prior surgat praepositus, quam ad consurgendum reliqui moneantur, ut ipse videat quis quomodo iaceat, ne aliquam lasciviam per incuriam quietionis suae dormiens incurrat. Post pausantes paululum medium noctis persolvant officium, ubi quatuor responsoria sub ternorum psalmorum divisione concinantur. Sic post mediam noctem, si hiemis tempus est, sedentibus cunctis, unus medio residens releget librum, et ab abbate, vel a praeposito disserente caeteris simplicioribus quod legitur patefiat. Quod quidem et aestate post vesperam conservetur, ut priusquam compleant, liber legatur. Ita denique duodenis iterum cantatis psalmis adeant cubilia, paululumque quiescentes, gallicinio iam sonante, recitatis tribus psalmis, cum laude et benedictione sua matutinum celebrent sacrificium. Quo peracto, quia meditationi incumbendum est, mox ut ad locum consuetae meditationis pervenerint, ternos recitent psalmos, et orationem ex integro finientes, meditentur usque ad ortum solis. Sane in omnibus horarum singularum orationibus nocturno ac diurno tempore ad omnem psalmorum finem, gloria cantantes Deo prosternentur in terram, eo scilicet ordine, ut nemo prius seniore aut incurvetur, aut iterum surgat, sed omnes summa aequalitate consurgant, extensisque ad coelum palmis orando persistant, sicut et aequaliter merguntur. Sabbatorum vero et dominicarum noctium curriculis, seno missarum super adiecto officio, senis etiam missis vigiliae cum senis responsoriis celebrentur, ut resurrectionis dominicae solemnitas ampliori officiorum psalmodia magis ho-

noretur, quod et praecipuarum festivitate missarum praecedente nocte competenter officiorum genere de qualibet solemnitate semper est celebrandum.

(Holste-Brockie I, p. 201 s.).

**149.** *Reg. com.* cap. X. Quid debeant observare abbates. Primum horas canonicas, id est, primam, missis operariis in vineam, tertiam, Sanctum Spiritum in apostolos descendisse, sextam, Dominum in crucem ascendisse, nonam Spiritum emisisse, vesperam, David cecinisse « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum », mediam noctis quia ea hora « clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei », et ut ea hora cum ad iudicium venerit, non nos dormientes sed vigilantes inveniat. Gallicinium, Christum a mortuis resurrexisse. Has horas canonicas ab oriente usque in occidentem catholica, id est, universalis indesinenter celebrat Ecclesia. Proinde ergo abbates per monasteria tota mentis intentione, cum fletu et cordis contritione, ablata laboris aut itineris occasione, cum omni monachorum congregatione celebrare debent. Et ubi eis properandi fuerit necessitas, et horarum cognoverint metas, continuo humo prostrati indulgentiam a Domino supplices petant. Et suis horis peculiaribus, id est, secunda quarta, quinta, septima, octava, decima et undecima orare non pigeant, ... Secundo, ut per capita mensium abbates de uno confinio uno se copulent loco, et mensuales litanias strenue celebrent, et pro animabus sibi subditis auxilium Domini implorent, quia de ipsis in tremendo iudicio cum grandi discussione sperent se Deo reddere rationem. Tertio, qualiter vivere debeant, ibi disponant, et tanquam a senioribus [1] comprehensi ad cellas revertantur subplacitati. ...

(Holste-Brockie I, p. 213).

**150.** *Pactum inter monachos et abbatem.* ... [2] Proinde divino ardore accensi ecce nos omnes, qui subter notandi sumus, Deo et tibi domino et patri nostro tradimus animas nostras, ut secundum edictum apostolorum, et regulam, et

---

[1] leg. « Saionibus », publicis ministris, de quibus conf. supra p. 60 not. 3.

[2] Praeeunt brevis professio fidei et textus Evangelii: « Ite vendite omnia », etc.; « Si quis vult post me venire », etc., et sim.

sicuti sancta patrum praecedentium sanxit auctoritas, uno nos in coenobio, Christo praecedente, teque docente, habitemus. Et quidquid pro salute animarum nostrarum annuntiare, docere, agere, increpare, imperare, excommunicare, secundum regulam emendare volueris, humili corde, deposita omni arrogantia, intenta mente desiderioque ardente, divina gratia opitulante, inexcusabiliter, Domino favente, omnia adimplebimus. Quod si aliquis ex nobis contra regulam et tuum praeceptum, murmurans, contumax, inobediens vel calumniator exstiterit, tunc habeas potestatem omnes in unum congregare et, lecta coram omnibus regula, publice culpam probare et flagella seu excommunicationem, secundum intuitum culpae, unusquisque suum reatum convictus suscipiat. Si quis sane ex nobis contra regulam occulte cum parentibus, germanis, filiis, cognatis vel propinquis, aut certe cum fratre secum habitante consilium de absente supradicto patre nostro inierit, habeas potestatem in unumquemque, qui hoc facinus tentaverit, ut per sex menses indutus tegmine raso aut cilicio, discinctus et discalceatus, in solo pane et aqua, in cella obscura excommunicatus sit. Quod si aliquis istam prona sua voluntate noluerit agere poenitentiam, extensus nudo corpore septuaginta et duo flagella suscipiat et deposita veste monasterii, indutus, quod in introitu exutus est, scissum, notabili cum confusione a coenobio expellatur. Et hoc de viris sive feminis dicimus. Promittimus etiam Deo et tibi patri nostro, ut si quis sine benedictione fratrum aut tuo imperio per vitium ad alia loca ad habitandum transire voluerit, habeas potestatem incautam eius persequi voluntatem, qui hoc tentaverit, et comprehensum cum senioribus [saionibus] iudicum ad regulae censuram reducere, et si aliquis eum defendere voluerit episcopus, vel eius, qui sequitur ordo, aut laicus et, tua admonitione audita, apud se eum retinere voluerit, communicatio illius cum diabolo sit et participatio cum Iuda Iscariot in inferno et in praesenti saeculo excommunicatus permaneat ab omni coetu christiano et nec in finem viaticum accipiat, qui hoc fecerit. Tibi vero domino nostro suggerimus, si velles, quod credi certe nefas est, et quod Deus fieri non patiatur, aliquem ex nobis iniuste aut superbe aut iracunde habere aut certe unum diligere et alterum livoris odio contemnere, unum imperare, alterum adulare, sicut vulgus habet, tunc habeamus et nos concessam a Deo potestatem, non superbe, non iracunde, per unamquamque decaniam praeposito nostro quaerimoniam inferre

et praepositus tibi domino nostro humiliter pedes deosculari et nostram quaerelam ad singula pandere; et tu patienter iubeas auscultare et in communi regula cervicem humiliare et corripere et emendare. Quod si te minime corripere volueris, tunc habeamus et nos potestatem cetera monasteria commonere, aut certe episcopum, qui sub regula vivit, vel catholicum ecclesiae defensorem comitem et advocare ad nostram collationem, ut coram ipsis te corripias, et coeptam regulam perficias, et nos simus discipuli, subditi seu adoptivi filii, humiles, obedientes in omnibus quae oportet, et tu demum Christo sine macula offeras nos illaesos. Amen.

Haec sunt nomina quae manu sua unusquisque subscriptionem vel signum in hoc pacto fecit, id est, ille, ille; vel illa, illaque (1). (Herwegen, Pactum, p. 1 ss.).

## XL. S. ILDEFONSUS

S. Isidori discipulus, postea in Agaliensi monasterio prope Toletum monachus et abbas, interfuit synodis Toletanis VIII et IX. «Principali post haec violentia Toletum reducitur atque inibi post decessoris sui (s. Eugenii) obitum pontifex subrogatur». Haec s. Iulianus (2), eius successor, in *Vita* Ildefonsi, quam Ildefonsi *libro de viris illustribus* (ML 96, 43 s.) adiunxit. Huic vitae Iulianus inseruit catalogum operum Ildefonsi, ex quibus supersunt: *De virginitate perpetua s. Mariae adversus tres infideles* (ML 96, 53-110), *Liber de cognitione baptismi* (ib. 111-172), *Liber de itinere deserti* (ib. 171-192), *Liber de viris illustribus* (ib. 195-206).

---

(1) Exemplum huius pacti inter Sabaricum abbatem (saec. X?) et eius monachos, quorum subscriptiones adduntur, servatur in cod. Escurial. a I, 13 (conf. ANTOLÍN, *Catálogo de los códices latinos de la R. biblioteca del Escorial*, I, Madrid 1910, p. 21 et HERWEGEN, *Pactum*, p. 5 ss.).

(2) Episcopus Toletanus aa. 680-690. Scripsit inter alia *Librum historiae Wambae regis* (MGH SS RR Merov. 5, 486-535), et Artem grammaticae; opera eius theologica in ML 96, 455-758. Praefuit synodis Toletanis XII-XV; inter istas notandae inprimis synodus Tolet. XIV a. 684, in qua gesta Concilii oecumenici VI a Leone II papa transmissa suscepta et approbata sunt, et synod. Tolet. XV a. 688, in qua Iulianus verba «Voluntas genuit voluntatem» et «Tres substantiae in Christo» in epistola synodica synod. Tolet. XIV a Benedicto II papa reprehensa, exposuit et defendit (conf. DENZINGER, 294 s.). Iuliani *Vitam* scripsit eius successor Felix (ML 96, 445-452).

in quo exemplum s. Isidori secutus, vitas 14 scriptorum ecclesiasticorum vel episcoporum enarravit; inter istos, praeter unum s. Gregorium M., omnes sunt Hispani, septem Toletani episcopi.

**151.** *De viris illustr.* c. 14. Item Eugenius (1) alter post Eugenium (2) pontifex subrogatur. Hic cum ecclesiae regiae clericus esset egregius, vita monachi delectatus est. Qui sagaci fuga urbem Caesaraugustanam petens, illic martyrum sepulcris inhaesit, ibique studia sapientiae et propositum monachi decenter incoluit; unde principali violentia reductus, atque in pontificatum ascitus, vitam plus virtutum meritis quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed valide fervescens spiritus virtute; studiorum bonorum vim persequens, cantus pessimis usibus vitiatos melodiae cognitione correxit, officiorum omissos ordines curamque discrevit. Scripsit de sancta Trinitate libellum et eloquio nitidum, et rei veritate perspicuum, qui Libyae et Orientis partibus mitti quantocius poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pavidis iter viatoribus distulissent. Scripsit et duos libellos, unum diversi carminis metro (3), alium diversi operis prosa concretos, qui ad multorum industriam eius ex hoc tenaciter sanctam valuerunt commendare memoriam. Libellos quoque Dracontii (4) de creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea quae inconvenientia reperit, subtrahendo, immutando, vel meliora coniiciendo, ita in pulchritudinis formam coegit, ut pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse videantur auctoris (5). Et quia de die septimo idem Dracontius omnino reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse, iste et sex dierum recapitulationem singulis versiculis renotavit, et de die septimo, quae illi visa sunt, eleganter

(1) Ildefonsi in sede Toletana praedecessor 647-657.

(2) De eo vide *De viris illustr.*, c. 13.

(3) Ed. F. Vollmer in MGH AA 14, 231-270, qui ib. p. 281-290 et Eugenii epistolas edidit, unam ad s. Braulionem cum Braulionis rescripto; alteram ad Protasium episcopum et Tai Caesaraugustani episcopi ad Eugenium epistulam. De Taio vide Florez, *España sagrada*, 30, p. 179 ss.

(4) Dracontius Africanus scripsit *De laudibus Dei* libros 3 (ed. Vollmer, ibid. 23-113) et ad Gunthamundum Wandalorum regem (484-496) carmen, quod *Satisfactio* inscribitur (ib. 114-131); utrumque opus ab Eugenio recensitum est.

(5) Ed. Vollmer, ibid. 27-129.

dicta subiunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasvinthi et Recesvinthi regum, fere duodecim annis tenens dignitatem simul et gloriam sacerdotis, sicque post lucis mundialis occasum in basilica sanctae Leocadiae tenet habitatione sepulcrum. (ML 96, 204 ss.).

## XLI. VITA S. BALTHILDIS

Balthildis, ex gente Anglo-Saxonum orta, vili pretio Francis venumdata, Erchinoaldo maiori domus servitio traditur. Chlodoveo tandem II regi matrimonio iuncta, Chlotharium III, Childericum II, Theudericum III reges genuit. Eius *Vita* (MGH SS RR Merov. 2, 473-508), scripta « eius nunc regali regnante progenie » (1), inter alia origines duorum celeberrimorum monasteriorum Kala (Chelles) et Corbeia (Corbie) narrat, Balthildis ipsa ab a. c. 667 Kalae monasticam vitam ducebat, ibique c. a. 680 obiit (2).

**152.** *Vita s. Balthildis* cap. 6. Factumque est tunc per eam nutu Dei, et exortantibus bonis sacerdotibus, ut haeresis Symoniaca, quae pravo usu maculabat tunc Dei aecclesiam, ita ut dando praemia contra ordinem episcopatus accipiebant, ut prefata domna Balthildis hoc impium nefas prohiberet, ut nullus premium pro percipiendis sacris gradibus omnino intercurreret. Ordinavit etenim, immo per eam Dominus, ut et alia pessima et impia cessaret consuetudo, pro qua plures homines sobolem suam interire potius quam nutrire studebant, dum diffidebant actiones publicas, quae eis ex consuetudine ingerebantur, accipere, ut illis ex hoc gravissimum rerum suarum inferrent dampnum. Prohibuit hoc ipsa domna pro mercede sua, ut hoc nullus facere presumeret. Ex quo facto copiosa eam valde merces exspectat. (MGH SS RR Merov. 2, 488).

---

(1) Vita cap. 3; ergo ante a. 691, quo Theudericus III ultimus filiorum Balthildis obiit.

(2) Elenchum Vitarum Sanctorum aevi Merovingici habes apud A. Molinier, *Les sources de l'histoire de France*, I, nn. 244-606, vel apud W. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter*, I, edit. 5, 1885, p. 411 ss. Conf. etiam L. Van der Essen, *Etude critique et littéraire sur les Vitae des Saints mérovingiens de l'ancienne Belgique*, Louvain, 1907.

**153.** *Vita s. Balthildis* c. 7. Quis enim valeat dicere, quanta et quam magna commoda per religiosorum coenobia largiendo integra praedia et silvas magnas ad cellulas seu monasteria construenda concessit; quod etiam et ipsa velud proprias seu et peculiares Dei casas id est Kala in Parisiaco, a Deo sacratas puellas, coenobium magnum virginum aedificavit, ubi Dei famulam religiosam valde puellam Berthilanem [1] in locum matris esse primam constituit? In quo et ipsa venerabilis domna Balthildis deinceps conversari sub integra regula religionis et in pace requiescere decreverat, et in veritate devota id voluntate complevit. ... Quantas consolationes vel adiutoria ad casas Dei vel eius pauperibus pro Christi amore quantasque oportunitates et commoda ipsa largita fuit, qualeque monasterium quod vocatur Corbeia in Ambianense parrochia suo opere construxit? Ubi venerabilis vir domnus Theudofredus, nunc enim episcopus, tunc vero abbas, magno gregi fratrum praefuit, quem de Luxovio monasterio praefata domna Balthildis a reverentissimo viro domno Waldeberto [2] quondam abbate expetivit et mirabiliter ad ipsum coenobium fratrum condirexit, quod nunc usque et laudabiliter constat.

(MGH SS RR Merov. 2, 489 ss.).

**154.** *Vita s. Balthildis* c. 8. Quid enim? A Gemetico [3] domno Filiberto viro religioso et silvam magnam ex fisco, ubi ipsum coenobium fratrum situm est, et multa munera et pastus de fisco dominico ad ipsum monasterium construendum concessit. Quanta vero domno Laigoberto ad Curbionem [4] monasterium et villam magnam et talenta multa argenti vel auri? Etiam suum ipsum regale, quo ipsa cingebatur, cingulum, desupra sacros lumbos suos devote abstulit et fratribus in elemosinam ipsum direxit. Et hoc totum hilari ac benigno dispensabat animo; ut enim scriptura dicit: « Hilarem datorem diligit Deus ». Similiter et a Fontanella [5] et Logio [6] plura concessit conpendia. Quanta enim ad Luxovium vel ad reliqua monasteria in Burgundia et villas multas

---

(1) Conf. *Vita Berthilae* (MGH SS RR Merov. 6, 95-109).

(2) Eustasii Luxoviensis abbatis successor; conf. supra n. XXXVIII.

(3) Jumièges; conf. *Vita Filiberti* (MGH SS RR Merov. 5, 568-606).

(4) Corbion (Moutiers-au-Perche).

(5) Fontenelle, St. Wandrille; conf. *Vita Wandregiseli* abb. Fontanellensis (MGH SS RR Merov. 5, 1-24).

(6) Logium (Caudebéquet).

integras concessit et pecuniam innumerabilem direxit? Quid ad Iotro (1) monasterio, unde illas sacras virgines cum prefata domna Berthilane abbatissa ad Kala suo monasterio accersivit? Quanta ibi munera et de agris et pecunia multa contulit? Similiter et ad monasterium Sanctae Farae (2) sepe larga munera direxit. Ad urbem vero Parisiacam ad sanctorum basilicas seu monasteria et villas magnas et multas contulit et muneribus plurimis ditavit. Quid plura? Ut diximus, hoc narrare non valemus per singula, sed neque vix media; totaque dici eius bona omnino a nobis non possunt.

(MGH SS RR Merov. 2, 491 ss.).

**154.** *Vita s. Balthildis* c. 9. Preterire enim non debemus, quod per seniores basilicas sanctorum domni Dionisii (3) et domni Germani (4) vel domni Medardi (5) et sancti Petri vel domni Aniani (6) seu et sancti Martini (7), vel ubicumque eius perstrinxit notitia, ad pontifices seu abbates suadendo pro zelo Dei praecepit et epistolas pro hoc eis direxit, ut sub sancto regulari ordine fratres infra ipsa loca consistentes vivere deberent. Et ut hoc libenter adquiescerent, privilegium eis firmare iussit, vel etiam emunitates concessit, ut melius eis delectaret pro rege et pace summi regis Christi clementiam exorare. Et illud commemorandum est, quia ad mercedis eius cumulum pertinet, quod captivos homines christianos ire prohibuit, datasque praeceptiones per singulas regiones, ut nullus in regno Francorum captivum hominem christianum penitus transmitteret. Sed magis et ipsa, dato pretio, captivos plurimos redimere precepit et liberos relaxavit et alios ex ipsis in monasteria intromisit et precipue de gente sua viros et puellas quam plures denutritas suas. Quantas enim adtrahere potuit, eas per sancta coenobia commendavit et, ut pro ea exorarent, eis praecepit. Etiam ad Romam usque ad beati Petri et Pauli basilicas vel ad Romensis pauperes plura ac larga sepius direxit munera.

(MGH SS RR Merov. 2, 493 s.).

---

(1) Iouarre.

(2) Eboriacum (Faremoutiers); de sancta Burgundofara cf. Ionas, *Vita Columbani*, II, 11 (MGH SS RR Merov. 4, 130 s.).

(3) St. Denis prope Parisios.

(4) St. Germain des Près.

(5) St. Médard (Soissons).

(6) St. Aignan (Orléans).

(7) Sancti Martini Turonensis basilica.

# XLII. BERTHEFRIDUS AMBIANENSIS EPISCOPUS

Ad intelligendas rerum ecclesiasticarum et praecipue monasticarum in regno Francorum conditiones maximi momenti fontes sunt diplomata aliaeque chartae quae a regibus, episcopis, aliisque publicis et privatis personis ecclesiis monasteriisque tradebantur (1). Monasterium Corbeiense (supra n. 153) iam a. 664 ab episcopo Ambianensi Berthefrido tale privilegium accepit, ex cuius textu clare exemptio monasterii ab auctoritate dioecesani episcopi apparet. Post PARDESSUS (Diplomata II, p. 126 ss. ad a. 662) privilegium hoc antiquissimum Corbeiensis monasterii editum est a B. KRUSCH in NA 31, 1905, 367-372, qui textum exacte cum aliorum coaevorum privilegiorum episcopalium (2) textu conferens, eius authentiam egregie probavit.

156. *Privilegium Berthefridi.* Dominis sanctis et summi culminis apice pontificalis cathedrae specula praesidentibus in Christo fratribus Nifone, Genesio, Ethoaldo, Emmone, Audone, Audemaro, Audoino, Audeberto, Burgundefarone, item Audeberto, Drauscione, Berthefridus munere superne largitoris Ambianensis (3) ecclesiae episcopus. Licet nos antique regulae constituta salubri observatione custodire conveniat, tamen utili provisione tractantes constituimus, ut quod sacris deliberationibus non derogat, intrepida observatione con-

---

(1) Elenchum omnium chartarum usque ad s. XIV compilaverunt DE BRÉQUIGNY (1769-83), PARDESSUS (1836-50), LABOULAYE (1863-76): *Table chronologique des diplômes, chartes, titres et actes inprimés concernant l'histoire de France,* voll. I-VIII. Diplomatum et chartarum textum ediderunt L. G. O. FEUDRIX DE BRÉQUIGNY et F. I. G. LA PORTE DU THEIL: *Diplomata, chartae, epistolae et alia documenta ad res Francicas spectantia,* 3 voll., 1791. Novam editionem curavit I. M. PARDESSUS, 2 voll. (aa. 417-751), 1843-49. Diplomata regum Francorum saecc. VI-VIII edita etiam habes in MGH, Diplomata I, Hannover 1872. Inde ab a. 1908 nova collectio inaugurata est: *Chartes et diplômes publiés par les soins de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres.* Exemplaria diplomatum regum Merovingicae stirpis autographa, quae supersunt, phototypice ediderunt PH. LAUER et CH. SAMARAN, *Les diplômes originaux des Mérovingiens* (aa. 625-717), Paris 1908.

(2) Scil. Burgundofaronis pro Resbacensi (Rebais), Emmonis pro St. Petri Senonensis (St. Pierre-le-Vif), Audomari pro St. Mariae in Sithiu.

(3) Amiens.

servetur. Et quia gloriosissimus domnus Hlotharius rex necnon et precelsa domna Balthilda regina, divino inluminati auxilio, monasterium suo opere Christo presule in loco nuncupante Corbeia construxerunt (1), religiosa petitione nostris auribus patefecerunt, quia et viscerale pietatis affectu ita cor intrinsecus voluntatis eorum petitio mollivit, ut petita non concedere aut certe libentissime non inplesse noster dumtaxat animus inreligiosum fore putaret. Sancto igitur amore succensi nostrae vilitatis extremitate petierunt, ut et nos et vestra fraternitas consentientes pro reverentia sanctorum Petri et Pauli apostolorum principis et sancti Stephani protomartyris, qui ob gloriosum ac triumphale votum pro amore Christi coronam martyrii consecuti sunt, ad praedictum monasterium in eorum honore constructum privilegium concedere deberemus, licet sanctus Carthaginensis sinodus a bone memoriae Bonifacio eiusque coepiscopis factus (2) vel ipsius sacerdotis epistolae ad Liberium (3) porrecte non prohibeant monachos sub privilegio proprio residere, vel sancti Augustini praeclari doctoris libri de gradibus ecclesiasticis (4) doceant monachos sub quiete regulariter viventes absque inquietudine clericorum vel episcoporum residere. Quod nos considerantes, dum et canonica institutio de hac re nos non praeiudicat, vel ideo supradictus domnus vel praedicta domna, dum se patrocinium tam et in praesenti vita quam et in futurum praefatorum sanctorum plenissima devotione tradiderunt, ut eis ubique apud clementissimum et omnipotentem Dominum eorum intercessio prebere dignetur adminiculum, vel pro reverentia tantorum martyrum, seu prout monachi ibidem degentes sub regula sanctorum patrum quieti conversare possint, hoc privilegium plena voluntate una cum consensu fratrum meorum concessisse vel indulsisse visus sum, per quod decerno atque ob testificationem divini nominis interdico, ut nec ego nec ullus episcoporum successorum meorum hoc inrumpere presumat. Et nec nos ad hoc propriae deliberationis institutum posteritas aestimet decrevisse, cum etiam antiquiora vel in novo tempore monasteria propria

(1) Cf. supra n. 153.

(2) A. 525, conf. Mansi, VIII, 635 ss.; praesertim 648 ss.

(3) Leg. Liberatum; Mansi VIII, 652.

(4) Conf. Mansi ib. 654.

privilegia sint consecuta, ex quibus vel pauca, dum longum est omnia evolvere, nominemus : Agaunensium [1], quod velut istud regio est munere ditatum, Lirinensium [2] vel basilica domni Marcelli [3] immoque et monasterius Luxoviensis hoc videntur habere concessum et omnem libertatem sunt consecuti, et ita a succedentibus custoditur, ut quicquid ibidem offertur, ipsi abbates vel monachi ibidem servientes absque contrarietate vel repetitione episcoporum libere cum Dei adiutorio hoc possideant. Ergo omnes unius conspiratione consensum antedictis principibus postulationem socia libentissime annuentes, sic ab omnibus decretum est, ut quicquid praedicti monasterii vel monachis sub libertate euangelica regio munere seu a quibuslibet christianis in agris, mancipiis, vineis, silvis, aurum argentumve, vestibus vel quibuslibet speciebus ad praedictum monasterium pertinentibus a quibuslibet conlatis aut deinceps conlatura sunt saepedictus monasterius vel monachi ibidem degentes, vitae nostrae temporibus seu successorum nostrorum nec ego nec ullus sibi pontifex aut aliquis ex ordine clericorum, ordinator Ambianensis ecclesiae suis usibus usurpare aut minorare aut ad civitatem aliquas species deferre praesumat, sed sub omni libertate vel emunitate saepedictus monasterius vel monachi ibidem consistentes possideant. Altaria ad saepedictum monasterium vel tabulae, si defuerint, episcopus Ambianensis ecclesiae in Dei nomine benedicat et chrisma sanctum conficiat, annis singulis pro reverentia sanctorum sine ullo premio muneris causa concedat. Et quod ad ipsum monasterium in Dei nomine fuerit oblatum vel a quocumque, Deo inspirante, transmissum, nihil sibi exinde pontifex aut eius archidiaconus aut quislibet ordinator ecclesiae audeat vindicare. Nec ad praefatum monasterium accedere nec in agris ipsius convivia ego vel pontifices successores nostri vel archidiaconus aut quislibet ordinator ecclesiae Ambianensis praeparare presumat, nisi ab abbate saepedicti monasterii

(1) Agaunum, St. Maurice (Valais).

(2) In synodo Carthaginensi a. 525 lecta est epistula Ravennii Arelatensis episcopi (449-461) « in causa insulae Lerinensis », in qua inter alia statuitur : « Monasterii vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat, neque ex ea sibi episcopus quidquam vindicet » (Mansi VIII, 656).

(3) Cabillonensis (Châlons s. Sâone); conf. *Gallia christ.* IV, 957 ss.

spontanea voluntate fuerit rogatus. Et cum abbas fuerit de saeculo isto evocatus, quem unanimiter congregatio ipsius monasterii ex semet ipsis bonum et dignum elegerint, data auctoritate a praefato principe vel eius successoribus, a nobis vel successoribus nostris absque ullo commodo secundum sanctos canones ordinetur. Similiter et reliquos gradus clericorum minores ac maiores, quos abbas iam dicti monasterii elegerit sine aliqua premii acceptione, iuxta quod lectio docet, constituimus consecrare. Neque ulla alia potestate in ipso monasterio, ut diximus, neque in rebus seu ministerium aut ornamentum ipsius neque in personis, dum tanti gloriosissimi principis petitio intercessit, vel quia ipsi monasterium ipsum construxerunt vel ditaverunt, vel pro reverentia sanctorum apostolorum et martyrum, seu pro eo ut quieti sub regula sancta ipsi monachi vivere debeant ad ipsum monasterium deservientes, nec episcopus nec archidiaconus aut quislibet alia persona, ordinator ecclesiae Ambianensis aut quodcumque de eodem monasterio sicut de reliquas parrcechias usurpare aut commutare aut aliquibus rebus auferre vel species, quae ad ipsum monasterium sunt conlate, deferre ad civitatem audeat, ut de perfecta quiete valeant ipsi monachi, qui ad praefatum monasterium deserviunt, duce Domino per tempora exultare et sicut antedicta monasteria sub libertate vivant, ut pro statu Ecclesiae et salute regum vel stabilitatem regni et tranquillitatem patriae valeant plenius pium Dominum exorare. Et si aliquis de ipsis monachis contumax fuerit, ab abbate praedicti monasterii secundum canonicam institutionem emendetur. Ut hoc privilegium sub ea, ut diximus, libertate, qua antedicta monasteria et monachi vivunt, debeat in perpetuum permanere firmissimum, ut iam dicti monachi ad sepedicto monasterio deservientes nostris et futuris temporibus sub libertate consistant, quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis vel pro reverentia sanctorum tribuitur, illud etiam addi placuit, ut ipsi monachi sub regula sancti Benedicti vel sancti Columbani conversare et vivere debeant. Quod si aliquis calliditate aut cupiditate praeventus fuerit episcopus, ea quae sunt superius comprehensa temerario spiritu violare praesumpserit, tribus annis penitentiam districtissime agat, a communione fratrum sequestratus, et nihilominus hoc privilegium, Christo prote-

gente, qui et adiuvet illud conservantibus et dissipet illud destruere cupientibus, perpetim maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostrae, ut nostris et futuris temporibus valetura sit, manus nostrae subscriptionibus roboravimus et coepiscopis dominis et fratribus nostris rogamus, ut ipsum in omnibus confirmare debeant.

Berthefridus peccator Ambianensium urbis episcopus hoc privilegium a me facto relegi, consensi et subscripsi. In Christi nomine Genesius acsi peccator episcopus hoc privilegium consensi et subscripsi. In Christi nomine Chaoaldus episcopus hoc privilegium consentiens et subscripsi. In Christi nomine Gauciobertus acsi peccator episcopus hoc privilegium subscripsi. Boso in Dei nomine episcopus hoc privilegium consensi et subscripsi. In Christi nomine Ragnobertus acsi indignus episcopus hoc privilegium consentiens. In Christi nomen Mummolenus acsi peccator episcopus hoc privilegium consensi et subscripsi. In Christi nomen Audebertus acsi peccator episcopus hoc privilegium consensi et subscripsi. Dado peccator hoc privilegium consensi et subscripsi. Emmo episcopus subscripsi. Leodeboldus peccator episcopus hoc privilegium subscripsi. Chrodobertus peccator hoc privilegium subscripsi. Paternus peccator Egloense ecclesiae acsi indignus episcopus hoc privilegium consensi et subscripsi. Drauscio acsi peccator hoc privilegium consensi et subscripsi. In Christi nomen ego Audebertus acsi peccator episcopus hoc privilegium consentiens et subscripsi.

Factum privilegio sub die VIII Idus Septembris anno VII regnante Chlotharii regis ([1]), Captannaco ([2]) in palatio publico.

Siggo in Dei nomen diaconus hoc privilegium scripsi et subscripsi. (NA 31, 367 ss.).

## XLIII. MARCULFI FORMULAE

Sicut ad cognoscendam Sedis Apostolicae in tractandis negotiis rationem plurimum conferunt formulae epistularum in *Libro Diurno* (supra n. XXVIII) collectae, ita ad cognoscenda negotia Ecclesiam inter et reges aliasve personas publicae auctoritatis vel privatae modumque ea tractandi,

---

([1]) A. 664, 6 Septembr.

([2]) Chaton s. Seine.

fons summi momenti sunt collectiones formularum ad conscribendas chartas a variis auctoribus in regno Francorum a saec. VII compilatae. Cum insuper formulae istae ex ipsis authenticis chartis derivatae sint, patet quanti adiumenti sint ad discernendas authenticas chartas a falsis. Fieri enim nequit, ut charta, cuius contextus v. g. a formularum saec. VII modo dicendi toto caelo discrepat, a notario saec. VII conscripta sit, etiamsi nomina personarum et datum saeculum septimum ementiantur. Inter collectiones istas antiquitate et auctoritate illa eminet, quam ineunte ut videtur saec. VIII (1) Marculfus quidam monachus « ad exercenda initia puerorum » compilavit. Primo libro 40 formulas ad conscribendas chartas regum exhibet, altero « chartas pagenses » 52, chartarum scil. ad ius privatum spectantium, cessionum, donationum, venditionum et sim. formulas; in utroque libro multae sunt formulae, quae res ecclesiasticas respiciunt. Formulas Francicas omnes a saec. VII ad X edidit EUGENIUS DE ROZIÈRES: *Recueil général des formules usitées dans l'Empire des Francs du V^e (!) au X^e siècle*, 3 voll., Paris 1859--73; (nn. 1-42 formulae ad ius publicum, nn. 43-416 ad ius privatum, nn. 417-511 ad iudiciorum ordinem, nn. 517-578 ad ius canonicum, nn. 579-694 ad ritus ecclesiasticos, nn. 695-885 ad scribendas epistulas spectantes). KAROLUS ZEUMER in MGH LL 5, 1896, varias collectiones formularum secundum tempus quo compilatae sunt, edidit.

**157.** *Form. Marculf.* I, 1. De privilegio (2). Domino sancto et in Christo venerabile fratri illo abbate vel cunctae congregationi monastirii illi, in honore beatorum illorum ab ill. in pago illo constructo, ille episcopus. Conpellet nos affeccio caritatis vestrae, radio inflammante devino, illa pro vestro quieti providere, quae nobis maneant ad mercedem, et ea recto tramitae, inconvulso limite, terminari, que perennem deinceps, propiciante Domino, obteneant firmitatem; quia non minor a Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplante temporibus quam ad presens munera pauperibus offerentem. Et ne nobis aliquis detrahendo aestimet, in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta costitutionem pontificum per regale sanctionem monasteria sancto-

(1) Conf H. SPROEMBERG, *Marculf und die fränkische Reichskanzlei* in NA XLVII, 1928, p. 77 ss.

(2) Conf. supra n. 156, privilegium Berthefridi. Formula haec, quamvis episcopi privilegium contineat, a Marculfo inter regiarum chartarum formulas recensetur, quia statim (I, 2) subdit regiae confirmationis formulam.

rum Lyrinensis, Agaunensis, Lossoviensis (1), vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur consistere. Sed pro reverentia sanctorum, meorumque omnium fratrum inplendo iussa, custodiendo precepta, oboedientiam propalabo. Quid vero vos vel successores vestri, sancto suadenti Spiritu, deinceps custodiatis, immo sanctae illae ecclesiae episcopus debeat adimplere, huic pagine credidimus inserendo; hoc est, ut de vestra congregatione, qui in vestro monastirio sancta debeat baiolare officia, quem abba cum omne congregatione poposcerit, a nobis vel a successoribus nostris sacros percipiat grados, nullum pro ipsorum honorem premium perceptorum. Altare in ipso monastirio predictus episcopus benedicat et sanctam crismam annis singulis, si voluerint postolare, pro reverentia loci sine pretium concedat, et iuxta dispensatione divina cum abba de ipso monastirio a Domino migraverit, quem unianimiter omnis congregatio illa monachorum ex semetipsis optime regola compertum et vitae meretis congruentem elegerint, sine premium memorate urbis episcopus ipse promoveat abbatem. Nullam paenetus aliam potestatem in ipso monastirio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque in villabus ibidem iam conlatis aut deniceps regio munere aut privatorum conlaturas, vel in reliqua substantia monasterii, nos successoresque nostri episcopi aut archidiaconi seu citeri ordinatores aut qualibet alia persona predictae civitatis habere non presumat, aut quodcumque de eodem monasterio sicut de parociis aut citeris monasteriis muneris causa audeat sperare aut aufferre nec de hoc, quod ad Deum timentibus hominebus transmissum aut in altario offertum fuerit, aut sacris voluminebus vel quibuscumque speciebus, quod ad ornatum divini cultus pertinet, ad presens conlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre non presumat; et nisi rogitus a congregationem illa vel abbati pro oratione lucranda nulli nostrum liceat monasterii adire secreta aut finium ingredi septa; et si ab eis illuc pontifex postolatus pro lucranda orationem vel eorum utilitatem accesserit, celebratu ac peractu divino misterio, simplicem ac subriam benediccionem perceptam, absque ullo requaesitu dono studeat habere regressum, ut quatinus monachi, qui solitarii

(1) Conf. supra pag. 173.

noncupantur, de perfecta quieti valeant, duci Domino, per tempora exultare et sub sancta regula viventes et beatorum patrum vita sectantes pro statu Ecclesiae et salutae regis vel patriae valeant plenius Dominum exorare, et si aliquid ipsi monachi de eorum relegione tepidi aut an secus egerint, secundum eorum regulam ab eorum abbate, si prevalet, corregantur; sin autem, pontifex de ipsa civitate choercire debeat, quia nihil de canonica auctoritate convelletur, quicquid domesticis fidei pro quietem tranquillitatis tribuetur. Si quis autem ex nobis, quod Deus avertat, calliditate commotus aut cupiditate preventus ea, quae sunt superius conprehensa, temerario spiritu violari presumpserit, a divina ultione prostratus reatu anathemate subiaceat et tribus annis a communione omnium fratrum se noverit alienum, nihilomenus hoc privilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitucionem nostram, ut firmis subsistat vigoribus, et nos et fratres nostri domni episcopi subscribtionem manibus nostris decrevimus roborari.

Actum ibi sub die illo, anno illo.

(MGH LL 5, p. 39 ss.).

**158.** *Marculfi form.* I, 3. Emunitate (1) regia. Maximum regni nostri augere credimus monimentum, si beneficia oportuna loca ecclesiarum, aut cui volueris dicere, benivola deliberatione concedimus ac, Domino protegente, stabiliter perdurare conscribimus. Igitur noverit solertia vestra, nos ad peticionem apostolico vero domno illo, illius urbis episcopo, talem pro aeterna retributionem beneficium visi fuemus indulsisse, ut in villas ecclesie domni illius, quas moderno temporae aut nostro aut cuiuslibet munere habere vidaetur, vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus iudex publicus ad causas audiendo aut freta undique exigendum quoque tempore non presumat ingredire; sed hoc ipse pontifex vel successores eius propter nomen Domini sub integra emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo, ut neque vos neque iuniores neque successores vestri nec nulla publica iudiciaria potestas quoque tempore in villas ubicumque in regno nostro ipsius ecclesiae aut regi aut privatorum largitate conlatas, aut qui inantea fuerint conlaturas, ad audiendas altercationes ingredire, aut

(1) Leg. Immunitas.

freta de quaslibet causas exigere, nec mansiones aut paratas vel fideiussoraes tollere non presumatis; sed quicquid exinde aut de ingenuis aut de servientibus ceterisque nationibus, qui sunt infra agros vel fines seo super terras predictae ecclesiae conmanentes, fiscus aut de freta aut undecumque potuerat sperare, ex nostra indulgentia pro futura salutae in luminaribus ipsius ecclesiae per manu agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini et animae nostrae remedium seu nostra subsequenti progeniae plena devotione indulsimus, nec regales sublimitas nec cuiuslibet iudicum seva cupiditas refragare temptetur. Et ut presens auctoritas tam presentis quam futuris temporibus inviolata, Deo adiutori, permaneat, manus nostrae subscriptionibus infra roborare decrevimus. (MGH LL 5, p. 43 ss.).

**159.** *Marculf. form. Suppl.* 1. Inmunitas [1]. Ille rex Francorum viris inlustribus, patriciis, comitibus, tollonariis vel omnibus curam publicam agentibus. Si oportuna beneficia ad loca sanctorum, ecclesiarum vel sacerdotibus prestare non desinemus, hoc nobis procul dubium in aeterna beatitudine retribuere confidemus. Igitur cognuscat magnitudo seu utilitas vestra, quod nos ad peticionem apostolico viro illo, illius urbis antestitae, talem propter nomen Domini, eius meretis conpellentibus, beneficium prestetisse, cognuscite, ut annis singulis de carra tanta, quod a luminaria conparandum ad Massilia vel per reliquos portos infra regno nostro, ubicumque missi sui marcare videntur, vel pro reliqua necessitate discurrentes, nullo telloneo nec qualibet reddibucione exinde ad parte fisci nostri missi sui discurrentes dissolvere non dibeant. Propterea per presentem preceptum decernimus, quod perpetualiter mansurum esse iobemus, ut nullo telloneo de ipsa tanta carra ipsius pontefice neque ipsa Massilia, Telloneo, Fossis, Arlatu, Avennione, Suggione, Valentia, Viennia, Lugdone, Cabillonno vel reliquas civitates aut pagos, ubicumque in regno nostro telloneus exigitur, nec de navale nec de carrale evec-

---

(1) Hanc formulam, quamvis non in Marculfi collectione, sed in Supplemento ante saec. VIII med. addito, inveniatur, hic subiungimus, quia cum exemplari autographo chartae a Theuderico III a. 673 monasterio s. Dionysii concessae omnino congruit. (Conf. LAUER et SAMARAN, *Diplômes originaux des Mérovingiens*, n. 18).

tione nec rotatico nec pontatico nec pulvoratico nec salutatico nec cispatico nec nulla reddibucione, quod fiscus noster exinde poterat sperare, nec vos nec iuniores aut successores vestri de ipsa tanta carra eisdem non requiratis nec exigatis; sed omnia et ex omnibus hoc propter nomen Domini ipse pontifex vel successores sui aut memorata ecclesia domni illius habeant indultum, vel in luminaribus ipsius sancti loci proficiat. Quam vero auctoritate perpetuis temporibus valituram propria manu infra decrevimus roborare. (MGH LL 5, p. 107).

**160.** *Marculfi Form.* I, 5. Preceptum de episcopatum. Ille rex vero (1) apostolico illo episcopo. Quamlibet nos ad ministrandum gubernandumque rerum statue precelsis occupationibus regiae sollicitudinis cura constringat, nihil tamen tam principale quam principe dignum est, ut, cum a pastoralis paulolum oberrat plebs distituta presidio, pro salutae animarum huiusmodi personis locis celsoribus pontificalem prespiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter: sermo, ut populi magistrum, actus, ut Christi imitetur discipulus; qui plebem non minus pietate quam severitate constringat, qui sciat commissa sibi talenta assiduae praedicationis sermonibus expolire et adquesita multiplicataque gregis suae salutem ad ovile dominico nullis maculis sordidato valeat presentari. Et quia cognovimus sanctae recordationis domno illi, urbis illius antestite, evocatione divina ab hac luce migrasse, de cuius successorem sollicitudinem congruam una cum pontificibus vel proceribus nostris plenius pertractantes decrevimus, inlustris vero, aut venerabile, illo in ipso urbae pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque aput animos nostros et accio probata commendat et nobilitatis ordo sublimat ac morum probitas vel mansuetudinis et prudentiae honestitas exornat. Qua de re statuta presentibus ordinamus, ut cum adunatorum caterva ponteficum, ad quos tamen nostrae serenitatis devotio scribta pervenit, ipsum, ut ordo postolat, benedici vestra industria studiat, volontatis nostrae deliberationis reseratis oraculis publicare atque aeffectum, Domino annuente, sortire, quatenus, dum ecclesia sibi a dispensatione divina commissa strinuae regere atque gubernare videtur, nobis apud aeternum retributorem mercidum suffragia largiantur,

(1) Leg. viro.

et ille pro peccatorum nostrorum mole indesinenter inmensum Dominum debeat deprecare. (MGH LL 5, p. 45 s.).

**161.** *Marculfi Form.* I, 6. Indecolum regis ad episcopum, ut alium benedicat. Domino sancto, sedis apostolice dignitatis colendo, in Christo patri illo episcopo ille rex. Credimus, iam ad vestram reverentiam pervenisse, sanctae recordationis illo, illius urbis antestite, evocatione divina de presente seculi luce migrasse. De cuius successorem sollicitudinem integram cum pontificibus vel primatus populi nostri pertractantes decrevimus inlustris vero illo, aut venerabile viro illo, ad prefata urbe regolariter, Christo auspici, committere dignitatem, et ideo salutationum iura dignum debito honore solventes, petimus, ut, cum ad vos pervenerit, ipsum, ut ordo postolat, benedici vestra sanctitas non moretur, et iunctis vobiscum vestris cumprovintialibus, ipsum in suprascribta urbe ponteficem consecrare, Christo auspice, debeatis. Agat ergo almitas vestra, ut et nostre volontate devocionis incunctanter debeatis inplere, et tam vos quam ipse pro stabilitate regni nostri iugi invigilatione plenius exoretis. (MGH LL 5, p. 46).

**162.** *Marculfi Form.* I, 7. Consensu civium pro episcopatum. Suggerendo piissimo ac precellentissimo domno illo rege vel seniore commune illo a servis vestris, quorum subscriptionis vel signacula subter tenentur inserte. Principalitatis vestrae circumspecta clementia novit iuxta petentibus (dignanter) adnuere, suo moderamines iuditio ponderante, presertim cum illa deposcuntur generali preci, cunctorum voci communiter, que proficiat constanter Ecclesiae regimini populari, qui et ipse regale clementiae prosit salutis pariter ac mercedes. Quoniam sanctae memoriae vir apostolicos ille, illius urbis episcopus, finem adpropinquantem, ab hac luce migravit, tempore naturae conplenti, ne distututae sint, quod absit, oves decidentae pastore, in loco eiusdem, suppliciter postolamus, ut instituere dignetis inlustrem virum illum, aut venerabilem illum, cathedrae illius successorem, in quo est praespicuetas sublimis, ingenuetas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, caritatis locuplex. Volontatis inrefragabiliter manos nostrae hunc consensu decrevimus roborare. (MGH LL 5, p. 47).

**163.** *Marculf. Form. Suppl.* 6. (Carta de episcopatu) [1]. Ille rex Francorum. Dum iuxta apostoli dictum omnes potestas sublimatur a Domino, et quatenus post Deum in regia manet potestate, qualiter cuncta terrena dibeantur gubernare, unde oportit nobis salubrae consilium pertractare, ut illi erga locis sanctorum instituantur custodes, qui digni ad ipso officio gubernandum apparere noscuntur. Igitur dum et vestra et clerum vel paginsium civitatis illius adfuit petitio, ut, relicta urbe illa, qua prius regere et gubernare videbamini, in superscribta urbe illa cathedra pontificalem suscepere deberetis, et dum vos apud animos nostros et accio probata commendat et nobilitatis ordo sublimat ac morum probitas vel mansuetudo et prudentiae honestitas exornat, cum consilio et volontate pontificum procerumque nostrorum, iuxta volontate et consensu clerum et plebium ipsius civitatis in supradicta urbe illa pontificalem in Dei nomen vobis commissimus dignitatem. Propterea per presentem preceptum decernemus ac iobemus, ut supradicta urbs vel res ecclesiae ipsius et clerus sub vestro arbitrio et gubernacione consistant, et erga regimini nostro semper fidem inlibata custodire debeatis, et iuxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduae predicationum sermonibus expolire et non minus pietate quam severitate constringere studiatis, et cura pauperum vel necessitate pacientum cum ingenti cura et dileccione procuretis, et, adquaesita multiplicataque gregis vestri salutem, nullis maculis sordidatu ad ovile dominico valeatis presentare, quatenus, dum ecclesiae vobis a dispensacione divina commissa strinue regere atque gubernare videamini, vobis aput aeternum retributorem mercidum suffragia largiantur et vos inmensum Dominum pro nostrorum mole peccaminum assiduae exorare dibeatis.

(MGH LL 5, p. 109).

**164.** *Marculfi Form.* I, 19. Preceptum de clericatum. Si eis, qui se ad onus clericati transferre deliberant, licenciam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidemus, quia scribtum est: « Noli proibere benefacire ei qui potest; si vales, et ipse benefac ». Igitur illi ad nostram veniens presentiam petiit serenitati nostrae, ut ei licen-

---

[1] Formula chartae, qua rex episcopos ab una sede ad aliam transferebat.

ciam tribuere deberemus, qualiter comam capiti sui ad onus clericati deponere deberit, et ad baselica illa, aut monasterio, deservire deberit; quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratanti animo prestetisse cognuscite. Precipientes ergo iobemus, ut, se memoratus ille de caput suum bene ingenuus esse videtur et in poleptico publico censitus non est, licenciam habeat comam capitis sui tunsorari et ad suprascribta baselica, vel monasterio, deservire vel pro nobis Domini misericordia adtentius exorare. (MGH LL 5, p. 55 s.).

**165.** *Marculfi Form.* II, 5. Precaria [1] de ipsa villa, dum vivit. Domino sancto et apostolica sede colendo domno et in Christo patri illo episcopo illi et coniux mea illa. Pluribus non est incognitum, qualiter propter nomen Domini ad ecclesia illa in honore sancti illi villa nostra nuncupante illa, sitam in pago illo, quicquid ibidem undecumque nostra fuit possessio, in integritatem per epistolam cessionis nostrae visi fuimus concessisse; et eam vos ad parte suprascribtae ecclesiae recepistis; sed dum postea nostra fuit petitio, et vestra benevolentia et pietas habuit, ut ipsa villa, dum advivimus, aut qui pare suo ex nobis suprestis fuerit, dum advivit, nobis ad beneficium usufructuario ordine excolendum tenere permisisitis; ea scilicet ratione, ut nihil exinde paenetus de qualibet rem alienandi aut minuandi ponteficium non habeamus, sed absque ullo preiuditio suprascribtae ecclesiae vel vestro eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precaria vobis emittemus, ut nullumquam tempore nostra possessio etiamsi spatium vitae nobis Dominus prolongare dignaverit, nullo preiuditio aut deminucione aliqua de ipsa villa vobis generare non debeat, nisi usu tantum, dum advivimus, habere debeamus, et post nostrum ambobus discessum cum omni rem meliorata, quicquid ibidem undique adtrahere aut meliorare poteremus, per hanc precaturia, acsi semper per quinquenium renovata fuisset, absque ullius iudicis aut heredum nostrorum expectata traditione vos vel successores vestri aut agentes ecclesiae in vestram eam faciatis dominationem revocare, perpetualiter possidendum, vel quicquid exinde facire elegeretis, sicut nostra contenit epistola, ad profectum prefate ecclesiae domni illius liberum habeatis arbitrium.

Facta precaria ibi. (MGH LL 5, p. 77 s.).

(1) De Precaria vid. E. Lesne, *Histoire de la propriété écclésiastique en France*, 1, Lille 1910, p. 314 ss.

# XLIV. STEPHANUS MAGISTER

Auctor de caetero ignotus, origine, ut videtur Langobardus, iubente Cuninceperto, Langobardorum rege, c. a. 700 finem schismatis Aquileiensis *carmine* celebravit (MGH SS RR Langob., 189 ss.). Schisma hoc, ex lite de tribus Capitulis ortum, ineunte saec. VII patriarchatum Aquileiensem ita divisit, ut pars orientalis, cum metropoli Gradensi, Byzantinorum dominio subiecta, in communione cum Romano Pontifice et universali Ecclesia perseveraret, dum occidentalis pars, sub dominio Langobardorum in schismate manens, proprium patriarcham Aquileiae sibi constituerat (1). Hic rerum status duravit usque ad tempora Sergii I Papae (687-701), de quo LP narrat: « Huius temporibus Aquilegensis ecclesiae archiepiscopus et synodus qui sub eo est, qui sanctum quintum universalem concilium utpote errantes suscipere diffidebant, eiusdem beatissimi papae spiritalibus monitis atque doctrinis instructi conversi sunt, eundemque venerabilem concilium satisfacti susciperunt ». Praeter LP., carmen nostrum unicus fons est, ex quo finem illius schismatis cognoscimus.

**166.** *Carmen de schismatis Aquileiensis fine.*

(1). Sublimes ortus finibus Europe Langibardorum regale prosapia, rex Haribertus (2) pius et catholicus Arrianorum abolevit heresem et christianam fidem fecit crescere.

(2). Subdolis item Berthari (3) in solium regni suffectus, imitatus protinus exempla patris, ad fidem convertere Iudaeos fecit baptizandos, credere qui rennuerunt, gladium peremere.

(3). Tutor et rector, amator Ecclesiae, a fundamentis constructor coenubii (4), ubi et Christi conlocavit famolas, sua praefecit germana egregia, ipsas materno amore ut regeret.

(4). Tertius immo nepus adque filius rex Cuningperctus (5)

---

(1) Cfr. P. Paschini, *Il Friuli e la caduta della civiltà Romana.* (Accademia di Udine, 10 marzo 1910), p. 33.

(2) aa. 653-661.

(3) aa. 672-689.

(4) Conf. Pauli Hist. Langobardorum, 5, 34 (MGH SS RR Langob. 156): « monasterium quod Novum appellatur Domino et liberatori suo in honore s. virginis et martyris Agathae construxit. In quo multas virgines adgregavit... ».

(5) a. 688-700.

sublimatus tempore moderno rector fortis et piissimus, devotus fidem christianam colere, ecclesiarum ditator et opifex.

(5). Elictus gente a Deo ut regeret Langibardorum, rebelles conpescuit, bello prostravit Alexo (1) nequissimo, semidiruta nuncupata Motina urbe pristino decore restituit.

(6). Exorta scisma iam prisco de tempore ab aquilone parte, unde pandere malum in terra universum propheta vaticinandum Isaias cecenet, ubi superbus thronum cadens elegit.

(7). Fontis labacro recepere simile, nobiscum simul Trinitatem credere Aquiligenses dissedentes synodum quinta, qui totus concordat cum quarta, una tempnentes rei facti omnium.

(8). Fides ut esset in tota Hesperia coadunata, advocari praecepit Aquiligenses urbi ubi resedet, Ticino dicta ab amne qui confluet, proprium gerens Papia vocabolum.

(9). Aulam ingressi ortodoxi pariter, adversus prabos coeperunt contendere, libros legentes sancitos a patribus, Pauli et Pyrri detegentes heresem, Theodori, Hibae simulque Theodoriti.

(10). Ast se iam victos cognoscentes, ilico petunt a rege, ut iurent catholici melius quintam recepere synodum, et se promittunt consensuros postea ac iuraturos credendum recepere.

(11). Namque ovantes ingressi ecclesia, iureiurandum adfirmant concordiam adque uniti karitatis vincolum, ostias simul offerentes Dominum, eucharistiam concordis participant.

(12). Nullus de tanto gaudio potuerat se temperare a fletu et lacrimis, catholicique sive de scismaticis, omnibus tanta supplevit conpunctio, cernerent Christum ibi acsi patule.

(13). Utreque parti rex pius elegere Cuninc-perct iubet legatos, diregere sedem ad sanctam, ubi Christo presole data potestas nectere et solvere Petro piscanti caeli archeclavio.

(14). Ubi resedens papa pius Sergius, suos qui iussit adesse ebiscopos, gaudens recepit Thomam Christi ministrum, Theodoaldo simul legum peritissimum : aderant quoque Aquiligenses pariter.

---

(1) Alahis, dux Tridentinus, qui aa. 690-692 seditionem movit in Cuninc pertum.

(15). Sedenti pape ante ora omnium scedula datur continens praeterita, quae acta erant praedicto de scismate; quam vir excellens Dammianus pontifex pio direxit dictata effamine.

(16). Sergius papa regi est pollicitus sua a Deo adempta facinora; illud prophetae, ubi inquid, recolet : « Qui peccatore ab errore convertet, sua a morte liberavit anima ».

(17). Merito iuste pastor apostolicus digni quod erant sectae pravae codices, quos antefati conscripserunt auctores, iussit conburi, ultra ne pulluerent pravorum mentes, qui erant de scismate.

(18). Mihi ignosce, rex, quaesu, piissime, tua qui iussa nequivi, ut condecet, pangere ore styloque contexere, recte ut valent edissere medrici, scripsi per prosa ut oratiunculam.

(19). Gloria Regi regum in perpetuum canamus omnes, oremus et pariter, sua ut regem Cuninceperto dextera protecat Christus hic multa per tempora, vitam aeternam deinceps et tribuat! (MGH SS RR Langob. 190 s.).

## XLV. ADAMNANUS

Abbas monasterii in insula Iona ab a. 679 ad a. 704, vir more Scottorum latinis et graecis litteris eruditus, scripsit *Vitam s. Columbae sen.* monasterii sui institutoris (cf. BHL 1886-1887), et libros 3 *De locis sanctis* (CSEL 39, 221 ss., ML 88, 779 ss.). Haec itineris Arculfi episcopi Franci ad loca sancta narratio, — Adamnanus enim ea in membranis descripsit, quae Arculfo dictante in tabulis exceperat [1], — fons maximi momenti est ad cognoscenda singula loca, quae peregrini in urbe Ierusalem aliisque Palaestinae civitatibus et oppidis visitabant. Ex Adamnani opere Beda suum excerpsit libellum *De locis sanctis* (CSEL 39, 301 ss.), ex quo iterum opusculum *De situ Hierosolymitanae urbis atque ipsius Iudeae* (CSEL 39, 125 ss.), Eucherii episcopi nomine vulgatum, excerptum est. Ita Adamnani opus *de locis sanctis*, et Arculfi narratio itineris sui fons praecipuus fuit, ex quo Medium Aevum suam de locis sanctis cognitionem hausit. Adamnanus, qui variis itineribus ad Aldfridum regem Northumbriae susceptis, ibi in cognitionem computi paschalis Romani venerat, multum in reducendis Scottis ad communem

---

[1] Immo picturas nonnullas basilicarum s. Sepulchri aliorumque locorum sanctorum, quas Arculfus in tabulis ceratis delineaverat operi inseruit (Cf. CSEL 39, p. 231, 244, 250, 271).

Ecclesiae morem adlaboravit; quod quidem apud Hibernos feliciter obtinuit; apud suos tamen in insula Iona antiquos usus eliminare non valuit. Conf. BEDA, Hist. Eccl. Angl. V, 15.

**167.** *De loc. sanct.* I, c. 12. De ecclesia sanctae Mariae in valle Iosaphat fabricata, in qua monumentum eius habetur. Sanctorum locorum sedulus frequentator, sanctus Arculfus, sanctae Mariae ecclesiam in ualle Iosaphat frequentabat, cuius dupliciter fabricatae inferior pars sub lapideo tabulato mirabili rotunda structura est fabricata, in cuius orientali parte altarium habetur, ad dexteram uero eius partem sanctae Mariae saxeum inest uacuum sepulchrum, in quo aliquando sepulta pausauit. Sed de eodem sepulchro quomodo uel quo tempore aut a quibus personis sanctum corpusculum eius sit sublatum, uel quo loco resurrectionem exspectat, nullus, ut fertur, pro certo scire potest. Hanc inferiorem rotundam sanctae Mariae ecclesiam intrantes illam uident petram ad dexteram parieti insertam, supra quam Dominus in agro Gethsamani illa nocte, qua tradebatur a Iuda in manus hominum peccatorum, flexis orauit genibus ante horam traditionis eius, in qua uidelicet petra duorum uestigia genuum eius quasi in cera mollissima profundius inpressa cernuntur. Ita nobis noster frater Arculfus pronuntiauit, sanctorum uisitator locorum, qui haec, quae nos describimus, propriis conspexit oculis. In superiore igitur aeque rotunda ecclesia sanctae Mariae IIII altaria inesse monstrantur. (CSEL 39, 240 s.).

**168.** *De loc. sanct.* II, c. 2. De loco nativitatis Domini. In eiusdem uero ciuitatis orientali et extremo angulo quasi quaedam naturalis dimidia inest spelunca, cuius interior ultima pars praesepe Domini nominatur (1), in quo natum puerum reclinauit mater, alius uero supradicto contiguus praesepio introeuntibus propior locus propriae natiuitatis Dominicae traditur fuisse. Illa ergo Bethlehemitica spelunca praesepis Dominici tota intrinsecus ob ipsius Saluatoris honorificentiam marmore adornata est pretioso; cui utique semiantro super lapideum cenaculum sanctae Mariae ecclesia supra ipsum locum, ubi Dominus natus specialius traditur, grandi structura fabricata, fundata est. (CSEL 39, 256).

(1) Conf. S. Hieronymi homiliam de Nativitate Domini, ed. G. MORIN in *Anecdota Maredsolana* III, 2, p. 393.

**169.** *De loc. sanct.* II. 26. De Nazareth et ecclesia eius. Ciuitas Nazareth, ut Arculfus, qui in ea hospitatus est, narrat, et ipsa ut Capharnaum murorum ambitum non habet supra montem posita, grandia tamen lapidea habet aedificia ibidemque duae pergrandes habentur constructae ecclesiae, una in medio ciuitatis loco super duos fundata cancros, ubi quondam illa fuerat domus aedificata, Dominus in qua noster nutritus est Saluator. Haec itaque eadem ecclesia duobus, ut superius dictum est, tumulis et interpositis arcibus subfulta habet inferius inter eosdem tumulos lucidissimum fontem conlocatum, quem totus ciuium frequentat populus de illo exhauriens aquam, et de latice eodem sursum in ecclesiam superaedificatam aqua in uasculis per trocleas subrigitur. Altera uero ecclesia in eo fabricata habetur loco, ubi illa fuerat domus constructa, in qua Gabrihel archangelus ad beatam Mariam ingressus ibidem eadem hora solam est locutus inuentam. Hanc de Nazareth experientiam a sancto didicimus Arculfo, qui in illa duabus hospitatus est noctibus et totidem diebus et idcirco in ea diutius hospitari non poterat, quia ipsum cogebat locorum peritus Christi miles festinare de Burgunnia ortus uitam ducens solitariam Petrus nomine, qui post eundem circuitum ad illum, in quo prius est commoratus, reuersus est solitarium locum. (CSEL 39, 274 s.).

## XLVI. S. ALDHELMUS

Primus, qui inter Anglo-Saxones recenter ad fidem conversos, eruditionis fama excelluit, Aldhelmus fuit, nobilissima prosapia c. a. 640 in Saxonum Occidentalium regno ortus. A Malmesburiensis monasterii institutore, Maeldhub Hiberno, educatus, post a. 668 in schola Cantuariensi Theodorum Tarsensem et Hadrianum abbatem [1] egregios magistros habuit. Ab anno 675 Malmesburiensis abbas, post a. 688 iter Romanum suscepit, ex quo privilegium Sergii Papae I pro monasterio suo rettulit (MGH AA 15, 512 s.). Anno 705 Shireburnensis episcopus creatus est; obiit a. 709. Inter aa. 675 et 705 Aldhelmus varia scripsit opera, tum grammatica: *De metris et enigmatibus et pedum regulis* (MGH AA 15, 35-204); tum ascetica: *De virginitate* (in prosa ib. 211-323; carmen de virginitate ib. 327-471; ML 89, 103 ss.; 237 ss.). *Carmina* etiam

(1) Vid. infra n. 183.

scripsit quibus diversarum ecclesiarum patronos celebrat (MGH AA 15, 3-32). Ut fontes historiae magni momenti sunt *epistulae Aldhelmi* 10 et tres ad eum datae (MGH ib., 475-503; cf. ML 89, 87 ss.) inter quas eminet illa, quam dum Cantuariae studiis incumbebat, ad Leutherium episcopum Wintonensem de studiorum suorum ratione scripsit, et ea, qua Geruntium Walliae meridionalis regem, de Romana tonsura et Romano festi paschalis computo edocet.

**170.** *Epist.* 1. Domino reverendissimo omnique virtutum conamine venerando et post Deum peculiari patrono [Leutherio Aldhelmus] supplex almitatis vestrae bernaculus in Domino salutem. Fateor, o beatissime antistes, me dudum decrevisse, si rerum ratio ac temporum volitans vicissitudo pateretur, vicinam obtati natalis Domini sollemnitatem ibidem in consortio fratrum trepudians celebrare et postmodum vita comite vestrae caritatis affabili praesentia frui. Sed quia diversis impedimentorum obstaculis retardati, quemadmodum lator praesentium viva voce plenius promulgabit, illud perficere nequivimus, idcirco difficultatis veniam, precor, impendite. Neque enim parva temporum intervalla in hoc lectionis studio protelanda sunt, ei dumtaxat, qui solerti sagacitate legendi succensus l e g u m R o m a n a r u m i u r a medullitus rimabitur et cuncta iurisconsultorum secreta imis praecordiis scrutabitur et, quod his multo artius et perplexius est, c e n t e n a scilicet m e t r o r u m g e n e r a pedestri regula discernere et ad musica cantilenae modulamina recto sillabarum tramite lustrare, cuius rei studiosis lectoribus tanto inextricabilior obscuritas praetenditur, quanto rarior doctorum numerositas reperitur. Sed de his prolixo ambitu verborum ratiocinari stricta epistularis angustia minime sinit, quomodo videlicet ipsius metricae artis clandistina instrumenta litteris, logis, pedibus, poeticis figuris, versibus, tonis, temporibus conglomerentur, pathetica quoque septenae divisionis disciplina hoc est acefalos, lagaros, procilios cum ceteris qualiter varietur, qui versus monoscemi, qui pentascemi, qui decascemi certa pedum mensura trutinentur et qualiter catalectici vel brachicatalectici seu ypercatalectici versus sagaci argumentatione colligantur. Haec, ut reor, et his similia brevi temporis intercapidine momentaneoque ictu apprehendi nequaquam valebunt. De r a t i o n e vero c a l c u l a t i o n i s quid commemorandum, cum tantae supputationis imminens desperatio colla mentis compresserit, ut omnem praeteritum lectionis laborem parvi penderem, cuius me pridem secreta cubicula nosse cre-

dideram, et, ut sententiam beati Hieronimi, dum se occasio obtulit, depromam « qui mihi videbar sciolus, rursus coepi esse discipulus »? Sicque tandem superna gratia fretus difficillima rerum argumenta et calculi supputationes, quas partes numeri appellant, lectionis instantia repperi. Porro de zodiaco, XII signorum circulo, quae vertigine caeli volvuntur, ideo tacendum arbitror, ne ars opaca et profunda, quae longa explanandarum rerum ratione indiget, si vili interpretationis serie propalata fuerit, infametur et vilescat, praesertim cum astrologicae artis peritia et perplexa oroscopi computatio elucubrata doctoris indagatione egeat. ...

(MGH AA 15, 475 ss.).

**171.** *Epist.* 5. Domino venerabili praeconio efferendo et sanctorum meritis magnopere honorando Ehfrido Aldhelmus exiguus in Domino aeternam salutem. ... Sed haec misellus homuncio dictando volvens scrupulo ancipiti extemplo quatiens angebar. Cur, inquam, Hibernia, quo catervatim istinc lectitantes classibus advecti confluunt, ineffabili quodam privilegio efferatur, acsi istic, fecundo Britanniae in cespite, dedasculi Argivi Romanive Quirites reperiri minime queant, qui caelestis tetrica enodantes bibliothecae problemata sciolis reserare se sciscitantibus valeant? Quamvis enim praedictum Hiberniae rus discentium opulans vernansque, ut ita dixerim, pascuosa numerositate lectorum, quemadmodum poli cardines astriferis micantium vibraminibus siderum, ornetur : ast tamen climatis Britannia occidui in extremo ferme orbis margine posita verbi gratia ceu solis flammigeri et luculento lunae specimine potiatur, id est, Theodoro infula pontificatus fungenti ab ipso tirocinio rudimentorum in flore philosophicae artis adulto necnon et eiusdem sodalitatis cliente Hadriano dumtaxat urbanitate enucleata ineffabiliter praedito! Et audacter in propatulo contestans pellaci falsitatis fribulo neglecto aequa veritatis censura trutinante discernam : etiamsi Theodorus summi sacerdotii gubernacula regens Hibernensium globo discipulorum, ceu aper truculentus molosorum catasta ringente vallatus, stipetur, limato perniciter grammatico dente iactura dispendii carens rebelles falanges discutit et utpote belliger in meditullio campi arcister legionum falangibus saeptus aemulorum spissis : mox nervosis tenso lacertorum volis arcu spiculisque ex faretra exemtis, hoc est chronographiae opacis

acutisque syllogismis, turma supercilii tyfo turgens amissa ancilium testudine terga dantes latebras antrorum atras triumphante victore praepropere petunt. Neu tamen haec philosophando Scotticos sciolos, quorum gemmato tua sagacitas dogmatum favo aliquantisper abusa est, sugillare a quoquam autumer, quippe cum satagerem praeconium cudens affabiliter texere nostrorum, non sugillationem ridiculose cachinnans rumigerare vestrorum! Sed potius iocistae scurraeque ritu dicacitate temeraria loquentium fraternae hironia dilectionis obtentu cavillabatur; si vero quippiam, inscitia suppeditante garrula, frontose convincitur pagina prompsisse, ut versidicus ait :

Digna fiat fante Glingio : gurgo fugax fambulo!
Neu timeat scriptor terrentis ludicra linguae!
Sic semper cupiunt scriptorum carpere cartas,
Ut caper hirsutus rodet cum dente racemos;
Nec tamen emendant titubantis gramma poetae.
(MGH AA 15, 492 ss.).

**172.** *Epist.* 9. Domino lectricibus ditato studiis, mellifluisque ornato lucubratiunculis Aldhelmo archimandritae, Saxonum mirifice reperienti in oris, quod nonnulli cum laboribus et sudoribus in alieno aere vix lucrantur, Cellanus in Hibernensi insula natus, in extremo Francorum limitis latens angulo exul (1), famosae coloniae Christi extremum et vile mancipium, in tota et tuta Trinitate salutem. ... Quasi pennigero volatu ad nostrae paupertatis accessit aures vestrae latinitatis panagericus rumor, quem agilium lectorum non horrescunt auditus, sine sanna aut amurcali impostura notus propter alburnum dictricis Romaniae decorem. Etsi te praesentem non meruimus audire, tuos tamen bona lance constructos legimus fastos, diversorum deliciis florum depictos; sed si peregrini triste reficere vis corculum, paucos transmitte sermunculos illius pulcherrimae labiae tuae, de cuius fonte purissimo dulces dirivati rivi multorum possint reficere mentes, ad locum, ubi domnus Furseus (2) in sancto et integro pausat corpore. ... (MGH AA 15, 498 s.).

(1) Epistula haec singulares relationes inter Aldhelmum Saxonem et Cellanum Hibernum, monasterii Perronae Scottorum (Péronne) abbatem manifestat. Cf. L. TRAUBE, *Perrona Scottorum*, SBMA 1900, p. 469 ss.

(2) S. Furseus, Hibernus, monasterii Latiniacensis (Lagny) institutor, ob. c. a. 650 et Perronae sepultus est. (Cf. *Vita Fursei* in MGH SS RR Merov. 4, 423 ss.). Fursei frater Foilanus monasterium Fossa (Fosses-la-Ville prope Leodium) instituit.

## XLVII. EDDIUS STEPHANUS

De eo Beda (*Hist. Eccl. Angl.*, IV, 2) haec narrat: « Sed et sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum nouerant, ab hoc tempore per omnes Anglorum ecclesias discere coeperunt; primusque ... cantandi magister Nordanhymbrorum ecclesiis Aeddi cognomento Stephanus fuit, inuitatus de Cantia a reuerendissimo uiro Uilfrido, qui primus inter episcopos, qui de Anglorum gente essent, catholicum uiuendi morem ecclesiis Anglorum tradere didicit ». Exin Eddius apud Wilfridum mansit et post obitum magni episcopi *Vitam* scripsit, primum opus historicum ab Anglo-Saxone editum (c. a. 710). (ed. I. RAINE, in The Historians of the Church of York, I, London 1879, RS 71; melius W. LEVISON in MGH SS RR Merov. 6, 163 ss.; B. COLGRAVE, The Life of Bishop Wilfrid by Eddius Stephanus, Text, Translation and Notes, Cambridge, 1927). Haec Eddii Vita Wilfridi praecipuus fons est, ex quo Beda ea quae de Wilfrido in Hist. Eccl. Angl. narrat, hausit.

**175.** *Vita Wilfridi*, cap. 5. De eo quod ad sanctum Petrum Apostolum benedicte pervenit. Servus igitur Dei Wilfridus ad sedem olim optatam apostoli Petri et principis apostolorum gaudens et gratulans cum sociis prospere pervenit. Sicut doctor gentium excellentissimus pergens Hierosolimam ad discipulos Domini, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset; ita et iste humillimus gentis nostrae igniculus, excitante Deo, a finibus terrae audire sapientiam praesulum mundi Romam venit; et in oratorio sancto Andreae apostolo dedicato [1] ante altare, supra cuius summitatem quatuor euangelia posita erant, humiliter genuflectens, adiuravit, in nomine Domini Dei apostolum, pro quo passus est, ut pro sua intercessione Dominus ei legendi ingenium et docendi in gentibus eloquentiam euangeliorum concedisset; et sic factum est, ut multorum testimonio conprobatur. Nam per multos menses loca sanctorum omni die ad orationem circumiens, invenit doctorem sibi amicum, per Deum et apostolum fidelem factum, nomine Bonifatium archidiaconem,

---

[1] Iuxta antiquam basilicam s. Petri in Vaticano; conf. TIBERII ALPHARANI *De basilicae Vaticanae antiquissima et nova structura*, ed. M. CERRATI in *Studi e Testi* 26, Roma 1914, p. 44.

unum ex consiliariis sapientissimum. A quo quattuor euangelia Christi perfecte didicit et paschalem rationem, quam schismatici Brittanniae et Hiberniae non cognoverunt, et alias multas ecclesiasticae disciplinae regulas Bonifacius archidiaconus, quasi proprio filio suo diligenter dictavit. Nam postremo praesentavit eum papae beatae memoriae (1) et omnem causam itineris adolescentuli servi Dei mirabiliter ostendit; qui ponens manum suam benedictam super caput eius, cum oratione benedixit eum. Ille vero servus Dei cum reliquiarum sanctarum quas illic invenit auxilio in pace Christi profecturus, iterum ad patrem suum archiepiscopum Lugduno Galliae civitatis commode pervenit.

(MGH SS RR Merov. 6, 198 s.).

**174.** *Vita Wilfr.*, c. 6. De eo quod a Dalfino episcopo tonsurae Petri apostoli formam accepit et de martyrio eiusdem Dalfini. Invento igitur Dalfino (2) archiepiscopo sospite et sano, gratulabundus filius ad patrem ingreditur et per ordinem servus Dei Wilfridus beatitudinem ei itineris sui omnem narravit; et episcopus gratias agebat Deo, quod filium suum incolumem pergentem ac iterum revertentem Dominus custodivit. Nam per tres annos simul cum eo mansit et a doctoribus valde eruditis multa didicit; et amor magis ac magis crescebat inter eos. Etenim servus Dei Vilfridus desiderio concupiscens tonsurae Petri apostoli formulam, in modum coronae spineae capud Christi cingentis, a sancto Dalfino archiepiscopo libenter suscepit. Manus suas sanctas super caput eius ponens, cogitabat in corde suo illum habere post se heredem, si sic Deus voluisset, aliquid enim melius genti nostrae Deo providente. Nam illo tempore malivola regina, nomine Baldhild (3), ecclesiam Domini persecuta est; sicut impiissima regina Gezabel, quae prophetas Dei occidit, ita ista, exceptis sacerdotibus et diaconibus, no-

---

(1) Forte s. Martinus I, qui mense iunio a. 653 Constantinopolim abductus, in exsilio martyr occubuit; vel probabilius Eugenius I, qui vivo adhuc Martino 10 aug. a. 654 consecratus est.

(2) De s. Aunemundo vel Dalfino Lugdunensi episcopo conf. L. DUCHESNE, *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule*, II, Paris, 1900, p. 170; BHL n. 506.

(3) S. Balthildis, de qua supra n. XLI.

vem episcopos occidere iussit (1), ex quibus unus est iste Dalfinus episcopus, quem duces malignissime ad se venire iusserunt. Ille vero intrepida mente, sciens, quid esset sibi futurum, ad agonis locum pervenit simulque cum eo sanctus Vilfridus, servus Dei, episcopo tamen prohibente. Qui gaudens dixit: «Nihil melius est nobis, quam pater et filius simul mori, et esse cum Christo». Iam enim sanctus episcopus martyrio coronatus est. At vero cum sanctus Vilfridus spoliatus et paratus ad palmam martyrii intrepidus staret, duces interrogaverunt, dicentes: «Quis est iste iuvenis formosus, qui se praeparat ad mortem?». Dictumque est illis: «Transmarinus, de Anglorum gente ex Brittannia». Iterumque dixerunt, «Parcite illi et nolite tangere eum». Ecce iam sanctus Vilfridus noster nunc confessor factus est, sicut Iohannes apostolus et euangelista in dolio oleo fervente inlesus sedebat et venenum mortiferum bibebat, et nihil ei nocuit, de quo et Iacobo apostolo fratre eius Iesus dixit: «Vos potestis calicem bibere, quam ego bibiturus sum?», et cetera.

(MGH SS RR Merov. 6, 199 s.).

**175.** *Vita Wilfr.*, c. 16. De renovatione basilicae in Eboraca (2) civitate. Igitur supradicto rege regnante (3), beatae memoriae Vilfrido episcopo metropolitano Eboracae civitatis constituto, basilicae oratorii Dei, in ea civitate a Sancto Paulino episcopo in diebus olim Eadwini christianissimi regis primo fundatae (4), et dedicatae Deo, officia semiruta lapidea eminebant. Nam culmina antiquata tecti distillantia fenestraeque apertae, avibus nidificantibus intro et foras volitantibus, et parietes incultae omni spurcitia imbrium et avium horribiles manebant. Videns itaque haec omnia sanctus pontifex noster, secundum Danielem prophetam horruit spiritus eius in eo, quod domum Dei et orationis quasi speluncam latronum factam agnovit, et mox iuxta voluntatem Dei emendare excogitavit. Primum culmina corrupta tecti renovans, artifi-

(1) Unus episcopus, quem regnante Balthilde occisum esse constat, est Sigobrandus Parisiensis «cuius superbia inter Francos meruit mortis ruinam». «Ipsum contra eius (scil. reginae) voluntatem interfecerunt» (Vita Balthildis, cap. 10).

(2) York.

(3) Oswiu.

(4) a. 627.

ciose plumbo puro detegens, per fenestras introitum avium et imbrium vitro prohibuit, per quod tamen intro lumen radiabat. Parietes quoque lavans, secundum prophetam super nivem dealbavit. Iam enim non solum domum Dei et altare in varia supellectili vasorum intus ornavit, verum etiam, deforis multa territoria pro Deo adeptus, terrenis opibus paupertatem auferens, copiose ditavit. Tunc sententia Dei de Samuhele et omnibus sanctis in eo implebatur : « Qui », inquit, « me honorificat, honorificabo eum »; erat enim Deo et omni populo carus et honorabilis.

(MGH SS RR Merov. 6, 210 s.).

**176.** *Vita Wilfr.*, c. 60. In primo anno Osredi regis Berhtvaldus Cantuariorum ecclesiae et poene totius Brittanniae archiepiscopus (1) de austro veniens, habens ex praecepto apostolicae sedis Aquilonalium regem cum omnibus episcopis suis et abbatibus et totius regni eius principibus ad synodalem locum de causa beati Wilfridi episcopi (2) diligenter invitare, et ita factum est. Nam in unum locum iuxta fluvium Nid ab oriente congregati rex cum principibus et tres episcopi eius cum abbatibus necnon et beata Aelfleda abbatissa (3), semper totius provinciae consolatrix optimaque consiliatrix, Berchtvaldus quoque archiepiscopus et Wilfridus episcopus simul in una die advenerunt. Deinde, sedentibus rege et episcopis cum principibus eorum in synodali loco, tali modo archiepiscopus loqui incipiebat : « Oremus Dominum

(1) Theodori successor, aa. 692-731.

(2) Wilfridus postquam a. 664 episcopus electus et Compendio (Compiègne) consecratus est, rediens in Angliam sedem suam a Ceadda occupatam invenit, in qua solum a. 669 a Theodoro archiepiscopo introductus est; a. 678 expellitur eiusque diocesis dividitur; Romam appellat ibique in synodo restituitur; in Angliam rediens a. 680 in carcerem trusus a rege Egfrid, a. demum 686/7 Eboracum redire potuit, unde a 691/2 iterum expellitur, a. 702/3 a synodo Anglorum excommunicatus iterum Romam appellat, ubi eius causa « per 4 menses et 70 conciliabula s. Sedis » (Eddius, cap. 53) iudicata est. Wilfridus a Iohanne Papa VI (701-705) innocens declaratus cum epistula ad Ethelredum et Alfridum reges in Angliam remittitur. Ibi a. 705 synodus ad flumen Nidd celebratur. Cf. PLUMMER, II, p. 316 ss.; et W. LEVISON, *Die Akten der römischen Synode von 679* in ZSS, XXXIII, KA 2, 1912, p. 249 ss.

(3) Filia regis Oswiu, abbatissa monasterii Streanaeshalch (Whitby).

nostrum ut pacis concordiam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum indulgeat. Habemus enim et ego et beatus Wilfridus episcopus scripta apostolicae sedis, parvitati enim meae per nuntios directa et per semetipsum similiter allata, et ut ea in praesentia reverentiae vestrae recitentur, humili prece deposcimus ». Quibus venerabiles domini licentiam dederunt, et coram synodo, omnibus audientibus, utriusque libri a principio usque ad finem legebantur. Post lectionem autem cunctis tacentibus, Berectfridus, secundus a rege princeps, ad archiepiscopum dixit : « Nos qui intepretatione indigemus, quid apostolica auctoritas dicat, audire delectat ». Et respondit ei archiepiscopus dicens : « Iudicia apostolicae sedis longo circuitu et ambagibus verborum, unum tamen intellectum de eadem re utrique libri ostendentes, quorum brevi sermone sensum tantum explicabo. Apostolica namque potestas, quae primum Petro apostolo et principi apostolorum, ligandi solvendique donata est, sua auctoritate de beato Wilfrido episcopo censuit, ut in praesentia mea, licet indignus, et omnis conventui presules ecclesiarum huius provinciae, antiquam inimicitiam pro animarum salute relinquentes, beato Wilfrido episcopo in bono reconcilientur. Nam his coepiscopis meis e duobus ab apostolica sede iudiciis optio datur, utrum voluerint, eligant, ut aut cum Wilfrido episcopo pacem plene perfecteque ineant et partes ecclesiarum, quas olim ipse regebat, sicut sapientes mecum iudicaverint, restituant, aut si hoc optimum noluissent, omnes simul ad apostolicam sedem pergerent ibique maiori concilio diiudicarentur. Si quis vero contempnens, quod absit, neutrum ex his duobus inplere voluisset, sciat se, si rex sit aut laicus, a corpore et sanguine Christi excommunicatum; si vero episcopus aut presbiter, quod est execrabilius et dictu horrendum, ab omni gradu ecclesiasticae dignitatis degradari. Haec sunt iudicia apostolicae sedis brevi sermone exposita ». Episcopi vero resistentes dixerunt : « Quod praedecessores nostri olim, Theodorus archiepiscopus, ab apostolica sede emissus, et Ecfridus rex censuerunt, et postea in campo qui Eostrefeld (1) dicitur, una nobiscum poene totius Brittanniae episcopi tuaque, archiepiscope, praesentia excellentissima cum rege Aldfritho iudicavimus, quomodo inmutare quis valeat? ». Interea autem beatissima Aelfleda abbatissa benedicto ore suo dixit : « Vere in Christo dico testamentum Aldfrithi regis in ea infirmitate, qua vitam

(1) Synodus a. 702/3, quae Wilfridum excommunicaverat.

finivit, qui votum vovit Deo et sancto Petro, dicens « Si vixero, omnia iudicia apostolicae sedis quas ante rennui audire, de beato Wilfrido episcopo replebo. Si vero diem obiero, dicite tamen heredi meo fivlio in nomine Domini, ut pro remedio animae meae iudicium de Wilfrido episcopo apostolicum repleat ». Haec ea loquente, Berechtfridus, praefatus regis princeps, respondens dixit : « Haec est voluntas regis et principum eius, ut mandatis apostolicae sedis et praeceptis Aldfrithi regis in omnibus obediamus. Nam quando in urbe, quae Bebbanburg (1) dicitur, obsessi et undique hostili manu circumcincti in angustiaque rupis lapideae mansimus, inito consilio inter nos, si Deus nostro regali puero regnum patris sui concedisset, quae mandavit apostolica auctoritas de sancto Wilfrido episcopo, adimplere Deo spopondimus, et statim post vota, mutatis animis inimicorum, concito cursu omnes cum iuramento in amicitiam nostram conversi sunt; apertis ianuis de angustia liberati, fugatis inimicis nostris, regnum accepimus ». Postquam haec verba finita sunt, episcopi sibi mutuo separati ab aliis inire consilium coeperunt, aliquando cum eis archiepiscopus, aliquando vero sapientissima virgo Aelfleda, et huius sancti concilii talis finis extitit, ut omnes episcopi et rex cum optimatibus suis pure pacis concordiam cum Wilfrido episcopo inierunt, quam inter se usque ad finem vitae conservaverunt, reddentes ei duo optima coenobia, quae in Hrypis (2) et in Hagustaldaesae (3), cum omnibus reditibus suis. Et illa die omnes episcopi se in invicem osculantes et amplexantes panemque frangentes, communicaverunt; gratias agentes Deo omnes sancti huius beatitudinis, in pace Christi ad sua loca remearunt. ...

(MGH SS RR Merov. 6, 254 ss.).

## XLVIII. S. BEDA VENERABILIS.

Natus c. a. 672 in territorio monasterii bb. apostolorum Petri et Pauli « quod est ad Uiuraemuda ad Ingyruum » (4), puer 7 annorum datus est ad educandum abbatibus Benedicto Biscop et Ceolfrido; « cunctumque ex eo tempus uitae in eiusdem monasterii habitatione peragens, omnem

(1) Hodie Bamburgh.

(2) Ripon, monasterium a Wilfrido institutum.

(3) Hexham.

(4) Conf. infra nn. 185, 188, 189.

meditandis Scripturis operam dedi; atque inter obseruantiam disciplinae regularis, et cotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui». Haec de vita sua ipse Beda in ultimo capitulo Historiae ecclesiasticae gentis Anglorum (V, 24). Addit se 19 anno diaconatum, 30 presbyteratum suscepisse. Obiit a. 735. De eius morte pulcherrimam habemus narrationem coaevam in epistula discipuli eius Cuthberti ad Cuthwinum condiscipulum data (1). Operum suorum ipse in eodem Historiae ecclesiast. Anglorum capitulo indicem exhibet. Sunt in primis opera exegetica *expositiones scil. in omnes fere S. Scripturae libros* (Conf. ML 91-93); *Homiliae in Euangelia* (ML 94, 10-268); opera grammatica: *De orthographia* (KEIL, Grammatici latini, 7, 261-294); *De metrica arte* (KEIL, ib. 219-260); *De schematibus et tropis S. Scripturae* (HALM, Rhetores latini minores, 607-618). Maximam vero famam Beda adeptus est per opera historica, inter quae eminet *Historia ecclesiastica gentis Anglorum*, quinque libris complectens historiam ecclesiasticam et profanam Brittanniae usque ad a. 731 (ed. CH. PLUMMER, Ven. Baedae Opera historica, 2 voll., Oxford 1896; conf. ML 95, 21 ss.). Fontes, ex quibus hausit Beda magna cum diligentia indicavit in praefatione ad regem Northumbriae Ceolwulfum (2). Monasterii in quo vixit historiam narravit in opere: *Vita bb. Abbatum Benedicti, Ceolfridi, Eosterwini, Sigfridi atque Hwaetberhti* (PLUMMER, ib. I, 364-387; ML 99, 713 ss.). Scripsit etiam *Vitam s. Cudbercti* episcopi Lindisfarnensis (ob. a. 687, cf. BHL 2019-2032) *versibus* (ML 94, 575-596) et *prosa* (ib. 733-790). Singularis momenti est Bedae opus *De ratione temporum* (ML 90, 293-578), in quo, sicut in duobus minoribus *De temporibus* (ML 90, 277-292) et *De natura rerum* (ib. 187-278), rationes chronologiae astronomicae, sicut eam ab antiquis et coaevis, Isidoro praesertim, accepit, compendio systematice exposuit (3). Inter opera Bedae historica recensendum etiam eius *Martyrologium* (ed. H. QUENTIN, Les martyrologes historiques, Paris 1908, p. 56 ss.). Inter *Epistulas* (ML 94, 655 ss.), quarum *librum ad diuersos* se scripsisse testatur, eminet *epistula ad Ecgbertum* Eboracensem episcopum (PLUMMER I, 405-423; ML 94, 657 ss.) anno 734 scripta, pretiosissimum documentum, quo historia curae pastoralis egregie illustratur.

**177.** *Hist. Eccl. Angl. Praefatio*: Beda regi Ceoluulfo. ... Ut autem in his, quae scripsi, uel tibi, uel ceteris audito-

(1) Plummer I, CLX-CLXIV; vide infr. n. 191.

(2) Vide infra, n. 177.

(3) Cap. 16-22 libri « De temporibus » habentur Bedae *Chronica minora*; cap. 66-71 libri « De ratione temporum » *Chronica maiora* ad a. usque 725 (ed. TH. MOMMSEN, MGH AA 13, 226 ss.). Cap. 65 libri « De ratione temporum » extat cyclus paschalis Dionysii a Beda ad a. 1063 productus.

ribus siue lectoribus huius historiae occasionem dubitandi subtraham, quibus haec maxime auctoribus didicerim, breuiter intimare curabo.

Auctor ante omnes atque adiutor opusculi huius Albinus abba reuerentissimus, uir per omnia doctissimus, extitit; qui in ecclesia Cantuariorum a beatae memoriae Theodoro archiepiscopo (1) et Hadriano abbate, uiris uenerabilibus atque eruditissimis, institutus, diligenter omnia, quae in ipsa Cantuariorum prouincia, uel etiam in contiguis eidem regionibus a discipulis beati papae Gregorii gesta fuere, uel monimentis litterarum, uel seniorum traditione cognouerat; et ea mihi de his, quae memoria digna uidebantur, per religiosum Lundoniensis ecclesiae presbyterum Nothelmum (2), siue litteris mandata, siue ipsius Nothelmi uiua uoce referenda transmisit. Qui uidelicet Nothelmus postea Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorii papae (3) simul et aliorum pontificum epistulas, perscrutato eiusdem sanctae ecclesiae Romanae scrinio, permissu eius, qui nunc ipsi ecclesiae preest Gregorii (4) pontificis, inuenit, reuersusque nobis nostrae historiae inserendas cum consilio praefati Albini reuerentissimi patris adtulit. A principio itaque uoluminis huius usque ad tempus, quo gens Anglorum fidem Christi percepit, ex priorum maxime scriptis (5) hinc inde collectis ea, quae promeremus, didicimus. Exinde autem usque ad tempora praesentia, quae in ecclesia Cantuariorum per discipulos beati papae Gregorii, siue successores eorum, uel sub quibus regibus gesta sint, memorati abbatis Albini industria, Nothelmo, ut diximus, perferente, cognouimus. Qui etiam prouinciae Orientalium simul et Occidentalium Saxonum, nec non et Orientalium Anglorum atque Nordanhymbrorum, a quibus praesulibus, uel quorum tempore regum gratiam euangelii perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderunt. Denique hortatu praecipue ipsius Albini,

---

(1) Conf. infra n. 183.

(2) Postea (a. 735) archiepiscopus Cantuariae, ob. a. c. 740.

(3) S. Gregorii M.

(4) Gregorii II (715-731); vide infr. n. LI.

(5) Inter quae praesertim notandum: GILDAS (c. a. 550), *De excidio et conquestu Britanniae* (MGH AA 12, 24-85, ML 69, 328 ss.), ex quo ea, quae de Britannia Romana et Saxonum invasione narrat, hausit (I, 1-22).

ut hoc opus adgredi auderem, prouocatus sum. Sed et Daniel reuerentissimus Occidentalium Saxonum episcopus, qui nunc usque superest, nonnulla mihi de historia ecclesiastica prouinciae ipsius, simul et proxima illi Australium Saxonum, nec non et Uectae [1] insulae litteris mandata declarauit. Qualiter uero per ministerium Ceddi et Ceadda religiosorum Christi sacerdotum, uel prouincia Merciorum ad fidem Christi, quam non nouerat, peruenerit, uel prouincia Orientalium Saxonum fidem, quam olim exsufflauerat, recuperauerit, qualis etiam ipsorum patrum uita uel obitus extiterit, diligenter a fratribus monasterii, quod ab ipsis conditum Laestingaeu [2] cognominatur, agnouimus. Porro in prouincia Orientalium Anglorum, quae fuerint gesta ecclesiastica, partim ex scriptis uel traditione priorum, partim reuerentissimi abbatis Esi relatione conperimus. At uero in prouincia Lindissi [3], quae sint gesta erga fidem Christi, quaeue successio sacerdotalis extiterit, uel litteris reuerentissimi antistitis Cynibercti uel aliorum fidelium uirorum uiua uoce didicimus. Quae autem in Nordanhymbrorum prouincia, ex quo tempore fidem Christi perceperunt, usque ad praesens per diuersas regiones in ecclesia sint acta, non uno quolibet auctore, sed fideli innumerorum testium, qui haec scire uel meminisse poterant, adsertione cognoui, exceptis his, quae per me ipsum nosse poteram. Inter quae notandum, quod ea quae de sanctissimo patre et antistite Cudbercto [4], uel in hoc uolumine, uel in libello gestorum ipsius conscripsi, partim ex eis, quae de illo prius a fratribus ecclesiae Lindisfarnensis scripta repperi, adsumsi, simpliciter fidem historiae, quam legebam, accomodans, partim uero ea, quae certissima fidelium uirorum adtestatione per me ipse cognoscere potui, sollerter adicere curaui. ...

(Plummer, I, 6-8).

**178.** *Hist. eccl. Angl.* I, 25. Roboratus ergo confirmatione beati patris Gregorii, Augustinus cum famulis Christi, qui erant cum eo rediit in opus uerbi, peruenitque Brittaniam. Erat eo tempore rex Aedilberct in Cantia potentissimus, qui

---

(1) Wight.

(2) Lastingham, monasterium a s. Cedd fundatum, cui s. Ceadda frater abbas successit; Cedd, episcopus Orientalium Saxonum (Essex) ob. a. 664, Ceadda (Chad) Merciae episcopus a. 672. Conf. BHL 1716-18.

(3) Lindsey.

(4) Episcopus Lindisfarnensis.

ad confinium usque Humbrae fluminis maximi, quo meridiani et septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperii tetenderat. Est autem ad orientalem Cantiae plagam Tanatos (1) insula non modica, id est magnitudinis iuxta consuetudinem aestimationis Anglorum, familiarum DC^rum, quam a continenti terra secernit fluuius Uantsumu, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, et duobus tantum in locis est transmeabilis; utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo adplicuit seruus Domini Augustinus, et socii eius, uiri, ut ferunt, ferme XL. Acceperunt autem, praecipiente beato papa Gregorio, de gente Francorum interpretes; et mittens ad Aedilberctum mandauit se uenisse de Roma, ac nuntium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus aeterna in caelis gaudia, et regnum sine fine cum Deo uiuo et uero futurum sine ulla dubietate promitteret. Qui, haec audiens, manere illos in ea, quam adierant, insula, et eis necessaria ministrari, donec uideret, quid eis faceret, iussit. Nam et antea fama ad eum Chistianae religionis peruenerat, utpote qui et uxorem habebat Christianam de gente Francorum regia, uocabulo Bercta; quam ea condicione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis suae cum episcopo, quem ei adiutorem fidei dederant, nomine Liudhardo, inuiolatum seruare licentiam haberet. Post dies ergo uenit ad insulam rex, et residens sub diuo, iussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem aduenire colloquium. Cauerat enim, ne in aliquam domum ad se introirent, uetere usus augurio, ne superuentu suo, siquid malificae artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non daemonica, sed diuina uirtute praediti, ueniebant crucem pro uexillo ferentes argenteam, et imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, laetaniasque canentes pro sua simul et eorum, propter quos et ad quos uenerant, salute aeterna, Domino supplicabant. Cumque ad iussionem regis residentes uerbum ei uitae una cum omnibus, qui aderant, eius comitibus praedicarent, respondit ille dicens: « Pulchra sunt quidem uerba et promissa, quae adfertis; sed quia noua sunt et incerta, non his possum adsensum tribuere, relictis eis, quae tanto tempore cum omni Anglorum gente seruaui. Uerum quia de longe huc peregrini uenistis, et, ut ego mihi uideor perspexisse, ea, quae uos uera et optima credebatis, nobis

(1) Thanet.

quoque communicare desiderastis, nolumus molesti esse uobis; quin potius benigno uos hospitio recipere, et, quae uictui sunt uestro necessaria, ministrare curamus; nec prohibemus, quin omnes, quos potestis, fidei uestrae religionis praedicando societis. ... (Plummer, I, 44 ss.).

**179.** *Hist. Eccl. Angl.* II, 4. ... Laurentius archiepiscopi gradu potitus strenuissime fundamenta ecclesiae, quae nobiliter iacta uidit, augmentare, atque ad profectum debiti culminis, et crebra uoce sanctae exhortationis, et continuis piae operationis exemplis prouehere curauit. Denique non solum nouae, quae de Anglis erat collecta, ecclesiae curam gerebat, sed et ueterum Brittaniae incolarum, nec non et Scottorum, qui Hiberniam insulam Brittaniae proximam incolunt, populis pastoralem inpendere sollicitudinem curabat. Siquidem ubi Scottorum in praefata ipsorum patria, quomodo et Brettonum in ipsa Brittania, uitam ac professionem minus ecclesiasticam in multis esse cognouit, maxime quod paschae sollemnitatem non suo tempore celebrarent, sed, ut supra docuimus a XIIII luna usque ad XX dominicae resurrectionis diem obseruandum esse putarent; scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistulam, obsecrans eos et contestans unitatem pacis et catholicae obseruationis cum ea, quae toto orbe diffusa est, Ecclesia Christi tenere; cuius uidelicet epistulae principium hoc est :

Dominis carissimis fratribus episcopis uel abbatibus per uniuersam Scottiam Laurentius, Mellitus (1), et Iustus (2) episcopi, serui seruorum Dei. Dum nos sedes apostolica more suo, sicut in uniuerso orbe terrarum, in his occiduis partibus ad praedicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quae Brittania nuncupatur, contigit introisse; antequam cognosceremus, credentes, quod iuxta morem uniuersalis Ecclesiae ingrederentur, in magna reuerentia sanctitatis tam Brettones quam Scottos uenerati sumus; sed cognoscentes Brettones (3), Scottos meliores putauimus. Scottos uero per

(1) Lundonensis.

(2) Hrofaescaestrae (Rochester).

(3) Synodus « ad Quercum », in qua s. Augustinus episcopos Brettonum ad acceptandum morem Romanum frustra exhortaverat. (Conf. Beda, Hist. Eccl. Angl., II, 2).

Daganum episcopum in hanc, quam superius memorauimus, insulam, et Columbanum abbatem in Gallis uenientem nihil discrepare a Brettonibus in eorum conuersatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad nos ueniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio, quo uescebamur, sumere uoluit. ... (Plummer, I, 87 s.).

**180.** *Hist. eccl. Angl.* II, 18. ... Dilectissimo fratri Honorio (1) Honorius. Inter plurima, quae Redemtoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera praerogare, illud etiam clementer conlata suae pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affatus unianimam dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repraesentat. ... Et nos equidem, fratres carissimi, haec uobis pro aeterna caritate exhortationis uerba praemittentes, quae rursus pro ecclesiarum uestrarum priuilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus inpertire.

Et tam iuxta uestram petitionem, quam filiorum nostrorum regum uobis per praesentem nostram praeceptionem, uice beati Petri apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex uobis (2) diuina ad se iusserit gratia euocari, is, qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula uestrae dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostrae praeceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere; quia, ut haec uobis concederemus, longa terrarum marisque interualla, quae inter nos ac uos obsistunt, ad haec nos condescendere coegerunt, ut nulla possit ecclesiarum uestrarum iactura per cuiuslibet occasionis obtentum quoquo modo prouenire; sed potius commissi uobis populi deuotionem plenius propagare. *Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater.*

Data die III Iduum Iunii, imperantibus dominis nostris Augustis, Heraclio anno XXIIII, post consulatum eiusdem anno XXIII, atque Constantino filio ipsius anno uicesimo ter-

(1) Quintus post s. Augustinum archiepiscopus Cantuariae.

(2) Scil. s. Paulino, Eboracensi episcopo (ob. a. 644) et ipso Honorio Cantuariensi. Cf. epistulam Honorii Papae ad Edwinum regem Northumbriae, quem Paulinus a. 627 baptizaverat, quam Beda libr. 2, cap. 17 inseruit.

tio, et consulatus eius anno III; sed et Heraclio felicissimo Caesare id est filio eius anno III, indictione VII [id est anno dominicae incarnationis DCXXXIIII]. (Plummer I, 120 ss.).

**181.** *Hist. eccl. Angl.* II, 19. ... Dilectissimis et sanctissimis Tomiano, Columbano, Cromano, Dinnao, et Baithano episcopis; Cromano, Ernianoque, Laistrano, Scellano, et Segeno presbyteris; Sarano ceterisque doctoribus seu abbatibus Scottis, Hilarus archipresbyter et seruans locum sanctae sedis apostolicae, Iohannes diaconus et in Dei nomine electus (1); item Iohannes primicerius et seruans locum sanctae sedis apostolicae, et Iohannes seruus Dei, consiliarius eiusdem apostolicae sedis.

Scripta, quae perlatores ad sanctae memoriae Seuerinum (2) papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea, quae postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantae quaestionis caligo indiscussa remaneret, repperimus quosdam prouinciae uestrae contra orthodoxam fidem, nouam ex ueteri heresim renouare conantes, pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, et XIIII luna cum Hebreis celebrare nitentes. ...

Et hoc quoque cognouimus, quod uirus Pelagianae hereseos apud uos denuo reuiuescit; quod omnino hortamur, ut a uestris mentibus huiusmodi uenenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda heresis damnata est, latere uos non debet; quia non solum per istos CC annos abolita est, sed et cotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur; et hortamur, ne, quorum arma conbusta sunt, apud uos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen et impium, dicentium posse sine peccato hominem existere ex propria uoluntate, et non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemiae stultiloquium est dicere esse hominem sine peccato; quod omnino non potest, nisi unus mediator Dei et

---

(1) Singularis omnino est haec Romani Pontificis electi nondum consecrati epistula; notandi etiam duo « servantes locum sedis apostolicae ».

(2) Honorius Papa obiit a. 638; Seuerinus, eius successor, a. 640 electus, obiit post 2 menses; Iohannes IV consecratus est mense Decembri a. 640.

hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus et partus. Nam ceteri homines cum peccato originali nascentes testimonium praeuaricationis Adae, etiam sine actuali peccato existentes, portare noscuntur, secundum prophetam dicentem: «Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis peperit me mater mea». (Plummer, I, 123 s.).

**182.** *Hist. eccl. Angl.* III, 25. ... Mota ergo ibi quaestione de pascha, uel tonsura, uel aliis rebus ecclesiasticis, dispositum est, ut in monasterio, quod dicitur Strenaeshalc, quod interpretatur sinus Fari, cui tunc Hild abbatissa Deo deuota femina praefuit, synodus fieri, et haec quaestio terminari deberet. Ueneruntque illo reges ambo, pater scilicet et filius (1); episcopi, Colman (2) cum clericis suis de Scottia, Agilberctus cum Agathone et Uilfrido (3) presbyteris. Iacobus et Romanus in horum parte erant; Hild abbatissa cum suis in parte Scottorum, in qua erat etiam uenerabilis episcopus Cedd, iamdudum ordinatus a Scottis, ut supra docuimus qui et interpres in eo concilio uigilantissimus utriusque partis extitit.

Primusque rex Osuiu praemissa praefatione, quod oportet eos, qui uni Deo seruirent, unam uiuendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione sacramentorum caelestium, qui unum omnes in caelis regnum expectarent; inquirendum potius, quae esset uerior traditio, et hanc ab omnibus communiter esse sequendam; iussit primo dicere episcopum suum Colmanum, qui esset ritus et unde originem ducens ille, quem ipse sequeretur. Tum Colmanus: «Pascha,» inquit, «hoc, quod agere soleo, a maioribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt, quod omnes patres nostri, uiri Deo dilecti, eodem modo celebrasse noscuntur. Quod ne cui contemnendum et reprobandum esse uideatur, ipsum est, quod beatus euangelista Iohannes, discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus, quibus praeerat, ecclesiis celebrasse legitur. ... Tum, Uilfrid, iubente rege, ut diceret, ita exorsus est: «Pasca,

(1) Oswiu scil. rex Northumbriae qui a Scottis edoctus et baptizatus ipsorum usibus favebat, dum eius filius Alchfrid a s. Wilfrido educatus et uxor Eanfled, filia regis Cantiae, Romanum morem servabant.

(2) Abbas et episcopus Lindisfarnensis, ob. a. 676.

(3) Conf. supra n. XLVII.

quod facimus», inquit, «uidimus Romae, ubi beati apostoli Petrus et Paulus uixere, docuere, passi sunt, et sepulti, ab omnibus celebrari; hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi uel orandi studio pertransiuimus, ab omnibus agi conspeximus; hoc Africam, Asiam, Aegyptum, Greciam, et omnem orbem, quacumque Christi Ecclesia diffusa est, per diuersas nationes et linguas, uno ac non diuerso temporis ordine geri conperimus; praeter hos tantum et obstinationis eorum conplices, Pictos dico et Brettones, cum quibus de duabus ultimis oceani insulis, et his non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant. Cui haec dicenti respondit Colmanus: «Mirum quare stultum appellare uelitis laborem nostrum, in quo tanti apostoli, qui super pectus Domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur; cum ipsum sapientissime uixisse omnis mundus nouerit». At Uilfridus: «Absit», inquit, «ut Iohannem stultitiae reprehendamus, cum scita legis Mosaicae iuxta litteram seruaret, iudaizante adhuc in multis Ecclesia, nec subito ualentibus apostolis omnem legis obseruantiam, quae a Deo instituta est, abdicare, quomodo simulacra, quae a daemonibus inuenta sunt, repudiare omnes, qui ad fidem ueniunt, necesse est, uidelicet ne scandalum facerent eis, qui inter gentes erant Iudaeis. ... His contra Colmanus: «Numquid», ait, «Anatolius uir sanctus, et in praefata historia ecclesiastica multum laudatus, legi uel euangelio contraria sapuit, qui a XIIII usque ad XX pascha celebrandum scripsit? Numquid reuerentissimum patrem nostrum Columbam et successorēs eius uiros Deo dilectos, qui eodem modo pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse uel egisse credendum est? cum plurimi fuerint in eis, quorum sanctitati caelestia signa, et uirtutum quae fecerunt miracula testimonium praebuerunt; quos ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum uitam, mores, et disciplinam sequi non desisto».

At Uilfridus: «Constat», inquit, «Anatolium uirum sanctissimum, doctissimum, ac laude esse dignissimum; sed quid uobis cum illo, cum nec eius decreta seruetis? ... De patre autem uestro Columba et sequacibus eius, quorum sanctitatem uos imitari, et regulam ac praecepta caelestibus signis confirmata sequi perhibetis, possem respondere: quia multis in iudicio dicentibus Domino, quod in nomine eius prophetauerint, et daemonia eiecerint, et uirtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus, quia numquam eos nouerit. Sed absit, ut hoc de patribus uestris dicam, quia iustius multo est de incognitis bonum credere quam malum. Unde et illos Dei

famulos ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse reor talem paschae obseruantiam, quamdiu nullus aduenerat, qui eis instituti perfectioris decreta, quae sequerentur, ostenderet; quos utique credo, siqui tunc ad eos catholicus calculator aduenisset, sic eius monita fuisse secuturos, quomodo ea, quae nouerant ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem et socii tui, si audita decreta sedis apostolicae, immo uniuersalis Ecclesiae, et haec litteris sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, numquid uniuersali, quae per orbem est, Ecclesiae Christi eorum est paucitas uno de angulo extremae insulae preferenda? Et si sanctus erat, ac potens uirtutibus ille Columba uester, immo et noster, si Christi erat, num praeferri potuit beatissimo apostolorum principi, cui Dominus ait: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praeualebunt aduersus eam, et tibi dabo claues regni caelorum »?

Haec perorante Uilfrido, dixit rex: « Uerene, Colmane, haec illi Petro dicta sunt a Domino? ». Qui ait: « Uere, rex ». At ille: « Habetis », inquit, « uos proferre aliquid tantae potestatis uestro Columbae datum? ». At ille ait: « Nihil ». Rursum rex: « Si utrique uestrum », inquit, « in hoc sine ulla controuersia consentiunt, quod haec principaliter Petro dicta, et ei claues regni caelorum sint datae a Domino? ». Responderunt: « Etiam », utrique. At ille ita conclusit: « Et ego uobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo; sed, in quantum noui uel ualeo, huius cupio in omnibus oboedire statutis; ne forte, me adueniente ad fores regni caelorum, non sit qui reserat, auerso illo, qui claues tenere probatur ».

Haec dicente rege, fauerunt adsidentes quique siue adstantes maiores una cum mediocribus, et abdicata minus perfecta institutione, ad ea, quae meliora cognoverant, sese transferre festinabant. (Plummer I, 183 ss.).

**183.** *Hist. eccl. Angl.* IV, 2. Peruenit autem Theodorus (1) ad ecclesiam suam secundo postquam consecratus est

(1) Natus Tarso Ciliciae, monachus Romae, a Vitaliano Papa ordinatus a. 668 et cum Hadriano Afro, abbate monasterii Niridani in Campania in Angliam missus; conf. Hist. eccl. Angl. IV, 1 et BHL 8083.

anno, sub die VI. Kalendarum Iuniarum, dominica (1), et fecit in ea annos XX et unum, menses III, dies XXVI. Moxque peragrata insula tota, quaquauersum Anglorum gentes morabantur, nam et libentissime ab omnibus suscipiebatur, atque audiebatur, rectum uiuendi ordinem, ritum celebrandi paschae canonicum, per omnia comitante et cooperante Hadriano disseminabat. Isque primus erat in archiepiscopis, cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul et saecularibus, ut diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterua, scientiae salutaris cotidie flumina inrigandis eorum cordibus emanabant; ita ut etiam metricae artis, astronomiae, et arithmeticae ecclesiasticae disciplinam (2) inter sacrorum apicum uolumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam Grecamque linguam aeque ut propriam, in qua nati sunt, norunt. Neque umquam prorsus, ex quo Brittaniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora; dum et fortissimos Christianosque habentes reges cunctis barbaris nationibus essent terrori, et omnium uota ad nuper audita caelestis regni gaudia penderent, et quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent. ...

(Plummer I, 204 s.).

**184.** *Hist. eccl. Angl. IV*, 15. His temporibus audiens Theodorus fidem Ecclesiae Constantinopoli per heresim Eutychetis multum esse turbatam, et ecclesias Anglorum, quibus praeerat, ab huiusmodi labe inmunes perdurare desiderans, collecto uenerabilium sacerdotum doctorumque plurimorum coetu, cuius essent fidei singuli, sedulus inquirebat, omniumque unianimem in fide catholica repperit consensum; et hunc synodalibus litteris ad instructionem memoriamque sequentium commendare curauit, quarum uidelicet litterarum istud exordium est: « In nomine Domini nostri Iesu Christi Saluatoris, imperantibus dominis piissimis nostris Ecgfrido rege Hymbronensium, anno X regni eius, sub die XV Kalendas Octobres, indictione VIII (3); et Aedilredo rege Mer-

(1) 27 Mai a. 669.

(2) Conf. supra n. 170.

(3) 17 Septembris a. 680.

cinensium, anno sexto regni eius; et Alduulfo rege Estranglorum, anno XVII regni eius; et Hlothario rege Cantuariorum, regni eius anno VII; praesidente Theodoro, gratia Dei archiepiscopo Brittaniae insulae et ciuitatis Doruuernis; una cum eo sedentibus ceteris episcopis Brittaniae insulae uiris uenerabilibus, praepositis sacrosanctis euangeliis, in loco, qui Saxonico uocabulo Haethfelth (1) nominatur, pariter tractantes, fidem rectam et orthodoxam exposuimus; sicut Dominus noster Iesus Christus incarnatus tradidit discipulis suis, qui praesentialiter uiderunt, et audierunt sermones eius, atque sanctorum patrum tradidit symbolum, et generaliter omnes sancti et uniuersales synodi, et omnis probabilium catholicae Ecclesiae doctorum chorus. Hos itaque sequentes, nos pie atque orthodoxe, iuxta diuinitus inspiratam doctrinam eorum professi credimus consonanter, et confitemur secundum sanctos patres, proprie et ueraciter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, trinitatem in unitate consubstantialem et unitatem in trinitate, hoc est unum Deum in tribus subsistentiis, uel personis consubstantialibus, aequalis gloriae et honoris. ... Suscipimus sanctas et uniuersales quinque synodos beatorum et Deo acceptabilium patrum; id est, qui in Nicaea congregati fuerunt CCCX et VIII contra Arrium impiissimum et eiusdem dogmata; et in Constantinopoli CL contra uesaniam Macedonii et Eudoxii et eorum dogmata; et in Efeso primo ducentorum contra nequissimum Nestorium et eiusdem dogmata; et in Calcedone DC$^{rum}$ et XXX contra Eutychen, et Nestorium, et eorum dogmata; et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt concilio in tempore Iustiniani minoris contra Theodorum et Theodoreti et Iba epistulas, et eorum dogmata contra Cyrillum». Et paulo post: «Et synodum, quae facta est in urbe Roma (2) in tempore Martini papae beatissimi, indictione VIII, imperante Constantino piissimo anno nono, suscipimus. Et glorificamus Dominum nostrum Iesum, sicut isti glorificauerunt; nihil addentes uel subtrahentes; et anathematizamus corde et ore, quos anathematizarunt, et quos susceperunt, suscipimus; glorificantes Deum Patrem sine initio, et Filium eius unigenitum ex Patre generatum ante sae-

(1) Hatfield prope Hertford.

(2) a. 649; conf. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 254-274, et supra n. 138.

cula, et Spiritum Sanctum procedentem ex Patre et Filio inenarrabiliter, sicut praedicauerunt hi, quos memorauimus supra, sancti apostoli, et prophetae, et doctores. Et nos omnes subscribimus, qui cum Theodoro archiepiscopo fidem catholicam exposuimus ». (Plummer I, 238 s.).

185. *Hist. eccl. Angl.* IV, 16. Intererat huic synodo, pariterque catholicae fidei decreta firmabat uir uenerabilis Iohannes archicantator ecclesiae sancti apostoli Petri, et abbas monasterii beati Martini (1), qui nuper uenerat a Roma per iussionem papae Agathonis, duce reuerentissimo abbate Biscopo, cognomine Benedicto. ... Cum enim idem Benedictus construxisset monasterium Brittaniae in honorem beatissimi apostolorum principis, iuxta ostium fluminis Uiuri (2), uenit Romam cum cooperatore ac socio eiusdem operis Ceolfrido, qui post ipsum eiusdem monasterii abbas fuit, quod et ante sepius facere consueuerat, atque honorifice a beatae memoriae papa Agathone susceptus est; petiitque et accepit ab eo, in munimentum libertatis monasterii, quod fecerat, epistulam priuilegii ex auctoritate apostolica firmatam; iuxta quod Ecgfridum regem uoluisse ac licentiam dedisse nouerat, quo concedente et possessionem terrae (3) largiente, ipsum monasterium fecerat. Accepit et praefatum Iohannem abbatem Brittaniam perducendum; quatenus in monasterio suo cursum canendi annuum, sicut ad s. Petrum Romae agebatur, edoceret; egitque abba Iohannes, ut iussionem acceperat pontificis, et ordinem uidelicet, ritumque canendi ac legendi uiua uoce praefati monasterii cantores edocendo, et ea, quae totius anni circulus in celebratione dierum festorum poscebat, etiam litteris mandando; quae hactenus in eodem monasterio seruata, et a multis iam sunt circumquaque transscripta (4). Non solum autem idem Iohan-

(1) Monasterium iuxta absidem antiquae basilicae s. Petri situm; cf. Tiberii Alpharani, *De basilicae Vaticanae antiquissima et nova structura*, ed. M. Cerrati in *Studi e Testi* 26, Roma, 1914, p. 37 s.

(2) Monasterium s. Petri de Uiuraemuda fund. a. 674 (hodie Monkwearmouth prope Sunderland).

(3) « Terram 70 familiarum » Benedictum a rege accepisse refert Beda (Hist. Abb., 4).

(4) « Ordinem Romanum » Iohannis ex cod. S. Galli 349 s. VIII nuper edidi in *Atti della Pontificia Accademia di Archeologia, Memorie* I, 1, Roma 1923, p. 159-219.

nes ipsius monasterii fratres docebat, uerum de omnibus pene eiusdem prouinciae monasteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti, confluebant. Sed et ipsum per loca, in quibus doceret, multi inuitare curabant. Ipse autem excepto cantandi uel legendi munere, et aliud in mandatis ab apostolico papa acceperat, ut, cuius esset fidei Anglorum ecclesia, diligenter edisceret, Romamque rediens referret. Nam et synodum beati papae Martini, centum quinque episcoporum consensu non multo ante Romae celebratam, contra eos maxime qui unam in Christo operationem et uoluntatem praedicabant, secum ueniens adtulit; atque in praefato religiosissimi abbatis Benedicti monasterio transscribendam commodauit. Tales namque eo tempore fidem Constantinopolitanae ecclesiae multum conturbauerunt; sed Domino donante proditi iam tunc et uicti sunt. Unde uolens Agatho Papa, sicut in aliis prouinciis, ita etiam in Brittania qualis esset status ecclesiae, quam ab haereticorum contagiis castus, ediscere, hoc negotium reuerentissimo abbati Iohanni Brittaniam destinato iniunxit. Quamobrem collecta pro hoc in Brittania synodo, quam diximus, inuenta est in omnibus fides inuiolata catholica; datumque illi exemplar eius Romam perferendum. Uerum ille patriam reuertens, non multo postquam oceanum transiit, arreptus infirmitate ac defunctus est; corpusque eius ab amicis propter amorem sancti Martini, cuius monasterio praeerat, Turonis delatum atque honorifice sepultum est. Nam et benigno ecclesiae illius hospitio, cum Brittaniam iret, exceptus est, rogatusque multum a fratribus, ut Romam reuertens, illo itinere ueniret, atque ad eam diuerteret ecclesiam; denique ibidem adiutores itineris et iniuncti operis accepit. Qui etsi in itinere defunctus est, nihilominus exemplum catholicae fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab apostolico papa omnibusque, qui audiere uel legere, gratantissime susceptum.

(Plummer I, 240 ss.).

**186.** *Hist. eccl. Angl.* V, 7. Anno autem regni Aldfridi tertio, Caedualla, rex Orientalium Saxonum, cum genti suae duobus annis strenuissime praeesset, relicto imperio propter Dominum regnumque perpetuum, uenit Romam; hoc sibi gloriae singularis desiderans adipisci, ut ad limina beatorum apostolorum fonte baptismatis abluerétur. ... Etenim illo perueniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati paschalis anno ab incarnatione Do-

mini DCLXXXVIIII; et in albis adhuc positus, langore correptus, XII Kalendarum Maiarum die solutus a carne, et beatorum est regno sociatus in caelis. Cui etiam tempore baptismatis papa memoratus Petri nomen inposuerat, ut beatissimo apostolorum principi, ad cuius sacratissimum corpus a finibus terrae pio ductus amore uenerat, etiam nominis ipsius consortio iungeretur; qui in eius quoque ecclesia sepultus est; et iubente pontifice ephitaphium in eius monumento scriptum (1), in quo et memoria deuotionis ipsius fixa per saecula maneret (2), et legentes quoque uel audientes exemplum facti ad studium religionis accenderet. ...

(Plummer I, 292 s.).

**187.** *Hist. abbatum* c. 5. Nec plusquam unius anni spatio post fundatum monasterium interiecto, Benedictus (3) oceano transmisso Gallias petens, cementarios qui lapideam sibi aecclesiam iuxta Romanorum quem semper amabat morem facerent, postulauit, accepit, adtulit. Et tantum in operando studii prae amore beati Petri in cuius honorem faciebat exhibuit, ut intra unius anni circulum ex quo fundamenta sunt iecta, culminibus superpositis missarum inibi solempnia celebrari uideres. Proximante autem ad perfectum opere, misit legatarios Galliam, qui uitri factores, artifices uidelicet Brittanniis eatenus incognitos, ad cancellandas aecclesiae porticumque et caenaculorum eius fenestras adducerent. Factumque est, uenerunt: nec solum opus postulatum compleuerunt, sed et Anglorum ex eo gentem huiusmodi artificium nosse ac di-

(1) Auctorem epitaphii Benedictum Crispum, archiepiscopum Mediolanensem fuisse narrat IOHANNES DE DEIS, *Successores s. Barnabae apostoli*, Roma 1589; cf. DE ROSSI, *Inscriptiones Christianae urbis Romae*, II, 70.

(2) Caeduallae sepulchrum saec. XVI dirutum est.

(3) S. Benedictus Biscop, natus c. a. 628, a. 653 primum iter Romam suscepit, c. a. 665 secundum, a. 667 tertium, a. 671 quartum, a. 678 quintum et c. a. 684 sextum. Patet quanti momenti haec itinera, ex quorum unoquoque codices Romae et alibi coemptos vel dono acceptos in patriam adduxit, sint in historia litterarum tum profanarum tum christianarum. A. 674 instituit monasterium Uiraemuda, cui a. 681/2 monasterium In Gyruum (Iarrow) adiunxit. Moriens suis monachis praecepit « Bibliothecam quam de Roma nobilissimam copiosissimamque aduexerat... sollicite seruari integram » (Hist. abb. 11).

scere fecerunt; artificium nimirum uel lampadis aecclesiae claustris, uel uasorum multifariis usibus non ignobiliter aptum. Sed et cuncta quae ad altaris et ecclesiae ministerium competebant, uasa sancta, uel uestimenta, quia domi invenire non potuit, de transmarinis regionibus aduectare religiosus emptor curabat. (Plummer I, 368).

188. *Hist. abb.* c. 6. Et ut ea quoque quae nec in Gallia quidem repperiri ualebant, Romanis e finibus aecclesiae suae prouisor inpiger ornamenta uel munimenta conferret; quarta illo, post conpositum iuxta regulam monasterium, profectione completa multipliciore quam prius spiritualium mercium fenore cumulatus rediit. Primo quod innumerabilem librorum omnis generis copiam adportauit; Secundo quod reliquiarum beatorum apostolorum martirumque Christi abundantem gratiam multis Anglorum aecclesiis profuturam aduexit; Tertio quod ordinem cantandi psallendi atque in aecclesia ministrandi iuxta morem Romanae institutionis suo monasterio contradidit, postulato uidelicet atque accepto ab Agathone papa archicantore aecclesiae beati apostoli Petri et abbate monasterii beati Martini Iohanne, quem sui futurum magistrum monasterii Brittanias, Romanum Anglis adduceret. Qui illo perueniens, non solum, uiua uoce quae Romae didicit aecclesiastica discentibus tradidit, sed et non pauca etiam litteris mandata reliquit, quae hactenus in eiusdem monasterii bibliotheca memoriae gratia seruantur. Quartum, Benedictus non uile munus adtulit, epistolam priuilegii a uenerabili papa Agathone cum licentia, consensu, desiderio et hortatu Ecgfridi regis acceptam, qua monasterium, quod fecit, ab omni prorsus extrinseca irruptione tutum perpetuo redderetur ac liberum. Quintum, picturas imaginum sanctarum quas ad ornandam aecclesiam beati Petri apostoli, quam construxerat, detulit; imaginem uidelicet beatae Dei genetricis semperque uirginis Mariae, simul et duodecim apostolorum, quibus mediam eiusdem aecclesiae testudinem, ducto a pariete ad parietem tabulato praecingeret; imagines euangelicae historiae quibus australem aecclesiae parietem decoraret; imagines uisionum apocalipsis beati Iohannis, quibus septentrionalem aeque parietem ornaret, quatinus intrantes aecclesiam omnes etiam litterarum ignari, quaquauersum intenderent, uel semper amabilem Chri-

sti sanctorumque eius, quamuis in imagine contemplarentur aspectum; uel Dominicae incarnationis gratiam uigilantiore mente recolerent; uel extremi discrimen examinis, quasi coram oculis habentes, districtius se ipsi examinare meminissent. (Plummer I, 368 ss.).

**189.** *Hist. abb.* c. 15. Qui et ipse tertius, id est, Ceolfridus industrius per omnia uir, acutus ingenio, actu inpiger, maturus animo, religionis zelo feruens, prius, sicut et supra meminimus, iubente pariter et iuuante Benedicto, monasterium beati Pauli apostoli VII annis fundauit, perfecit, rexit; ac deinde utrique monasterio, uel sicut rectius dicere possumus, in duobus locis posito uni monasterio bb. apostolorum Petri et Pauli, uiginti et octo annis sollerti regimine praefuit (1); et cuncta quae suus prodecessor aegregia uirtutum opera caepit, ipse non segnius perficere curauit. Siquidem inter cetera monasterii necessaria, quae longo regendi tempore disponenda conperiit, etiam plura fecit oratoria; altaris et ecclesiae uasa, uel uestimenta omnis generis ampliauit, bibliothecam utriusque monasterii, quam Benedictus abbas magna caepit instantia, ipse non minori geminauit industria; ita ut, tres pandectes nouae translationis, ad unum uetustae translationis, quem de Roma adtulerat, ipse super adiungeret; quorum unum senex Romam rediens secum inter alia pro munere sumpsit (2), duos utrique monasterio reliquit; dato quoque Cosmographiorum codice mirandi operis, quem Romae Benedictus emerat (3), terram VIII familiarum iuxta fluuium Fresca, ab Aldfrido rege in scripturis doctissimo, in possessionem monasterii b. Pauli apostoli comparauit. ... (Plummer I, 379 s.).

**190.** *Epistola ad Ecgbertum episcopum* (4). Dilectissimo ac reuerentissimo antistiti Ecgberto Beda famulus Christi salutem. Memini te hesterno dixisse anno, cum tecum aliquot diebus legendi gratia in monasterio tuo demorarer, quod hoc etiam anno uelles, cum in eundem deuenires locum, me

(1) Ab a. 688 ad a. 716.

(2) Codex iste, hodie in Bibliotheca Laurentiana Florentiae, a monasterio Monte-Amiata, ubi a saec. IX servabatur, Amiatinus dictus; conf. H. QUENTIN, *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, Rome, 1922, p. 438 ss.

quoque, ob commune legendi studium, ad tuum accipere colloquium. Quod si ita, Deo uolente, posset impleri, non opus esset tibi haec per litteras scripta dirigere; cum possem liberius ore ad os loquens, quaeque uellem, siue necessaria ducerem, secreta tibi allocutione suggerere. Uerum quia hoc ne fieret, superueniens, ut nosti, corporis mei ualitudo prohibuit; agere tamen quod potui, erga dilectionem tuam fraternae deuotionis intuitu curaui, mittendo uidelicet per litteras quod corporaliter ueniendo per collocutionem nequiueram. Precorque te per Dominum, ne harum apices litterarum arrogantiae supercilium esse suspiceris sed obsequium potius humilitatis ac pietatis ueraciter esse cognoscas. ... Et quia latiora sunt spatia locorum quae ad gubernacula tuae diocesis pertinent (1), quam ut solus per omnia discurrere, et in singulis uiculis atque agellis uerbum Dei praedicare, etiam anni totius emenso curriculo, sufficias, necessarium satis est, ut plures tibi sacri operis adiutores asciscas, presbyteros uidelicet ordinando, atque instituendo doctores, qui in singulis uiculis praedicando Dei uerbo, et consecrandis mysteriis caelestibus, ac maxime peragendis sacri baptismatis officiis, ubi oportunitas ingruerit, insistant. In qua uidelicet praedicatione populis exhibenda, hoc prae ceteris omni instantia procurandum arbitror, ut fidem catholicam, quae apostolorum symbolo continetur, et Dominicam orationem, quam sancti euangelii nos scriptura edocet, omnium, qui ad tuum regimen pertinent, memoriae radicitus infigere cures. Et quidem omnes, qui Latinam linguam lectionis usu didicerunt, etiam haec optime didicisse certissimum est; sed idiotas, hoc est, eos qui propriae tantum linguae notitiam habent, haec ipsa sua lingua discere, ac sedulo decantare facito. Quod non solum de laicis, id est, in populari adhuc uita constitutis, uerum etiam de clericis siue monachis, qui Latinae sunt linguae expertes, fieri oportet. Sic enim fit, ut caetus omnis fidelium, quomodo fidelis esse, qua se firmitate credendi contra immundorum spirituum certamina munire atque armare debeat, discat; fit, ut chorus omnis Deo supplicantium, quid maxime a diuina clementia quaeri oporteat, agnoscat. Propter quod et ipse multis saepe sacerdotibus idiotis haec utraque, et symbolum uidelicet, et Dominicam orationem in linguam Anglorum translatam optuli. Nam et sanctus antistes Ambrosius hoc de fide

(1) Omnia fere quae Beda Ecgberto commendat, habentur in decretis synodi apud Cloveshoe a. 747, infra n. 218.

loquens admonet, ut uerba symboli matutinis semper horis fideles quique decantent, et hoc se quasi antidoto spirituali contra diaboli uenena quae illis interdiu uel noctu astu maligno obicere posset, praemuniant. Orationem uero Dominicam saepius decantari ipsa etiam nos consuetudo sedulae deprecationis ac genuum flexionis docuit. ... Attende quid grauissimi sceleris illi commiserint, qui et terrena ab auditoribus suis lucra diligentissime requirere, et pro eorum salute aeterna nichil omnino praedicando, uel exhortando, uel increpando, laboris impendere contendunt. Sollicite atque intentione curiosa, antistes dilectissime, perpende. Audiuimus enim, et fama est, quia multae uillae ac uiculi nostrae gentis in montibus sint inaccessis ac saltibus dumosis positi, ubi numquam multis transeuntibus annis sit uisus antistes, qui ibidem aliquid ministerii aut gratiae caelestis exhibuerit; quorum tamen ne unus quidem a tributis antistiti reddendis esse possit immunis; nec solum talibus locis desit antistes, qui manus impositione baptizatos confirmet, uerum etiam omnis doctor, qui eos uel fidei ueritatem uel discretionem bonae ac malae actionis edoceat, absit. Sicque fit, ut episcoporum quidam non solum gratis non euangelizent, uel manus fidelibus imponant; uerum etiam, quod grauius est, accepta ab auditoribus suis pecunia, quam Dominus prohibuit, opus uerbi, quod Dominus iussit, exercere contempnant. ... Haec tuae sanctitati, dilectissime antistes, paucis de calamitate qua nostra gens miserrime laborat insinuans, obsecro sedulus, ut haec quae peruersissime agi conspicis, quantum uales, ad rectam uitae normam reuocare contendas. Habes enim, ut credo, promtissimum tam iusti laboris adiutorem, regem uidelicet Ceoluulfum, qui et pro insita sibi dilectione religionis, quicquid ad regulam pietatis pertinet, firma protinus intentione adiuuare curabit, et maxime illa, quae tu, quum sis propinquus illius amantissimus, bona caeperis, ipse, ut perficiantur, opitulari curabit. Quapropter uelim sollerter illum admoneas, ut in diebus uestris statum nostrae gentis ecclesiasticum in melius, quam hactenus fuerat, instaurare curetis. Quod non alio magis, ut mihi uidetur, potest ordine perfici, quam si plures nostrae genti consecrentur antistites, exemplumque sequamini legislatoris, qui, cum solus iurgia ac pondus Israeliticae plebis sustinere non posset, elegit sibi diuino adiutus consilio, et consecrauit septuaginta seniores, quorum cura atque auxilio impositum sibi onus ferre

liberius posset. ... Et quidem nouimus quia per incuriam regum praecedentium, donationesque stultissimas factum est, ut non facile locus uacans, ubi sedes episcopalis noua fieri debeat, inueniri ualeat. Quapropter commodum duxerim, habito maiori concilio et consensu, pontificali simul et regali edicto prospiciatur locus aliquis monasteriorum, ubi sedes fiat episcopalis. ... Et quia huiusmodi maxima et plurima sunt loca, quae, ut uulgo dici solet, neque Deo neque hominibus utilia sunt, quia uidelicet neque regularis secundum Deum ibidem uita seruatur, neque illa milites siue comites secularium potestatum, qui gentem nostram a barbaris defendant, possident; si quis in eisdem ipsis locis pro necessitate temporum sedem episcopatus constituat, non culpam praeuaricationis incurrere, sed opus uirtutis magis agere probabitur. ... Quo exemplo, tuam quoque sanctitatem decet cum religioso rege nostrae gentis irreligiosa et iniqua priorum gesta atque scripta conuellere, et ea quae prouinciae nostrae, siue secundum Deum, siue secundum seculum sint utilia, prospicere; ne nostris temporibus uel religione cessante, amor timorque interni deseratur inspectoris, uel rarescente copia militiae secularis, absint qui fines nostros a barbarica incursione tueantur. Quod enim turpe est dicere, tot sub nomine monasteriorum loca hii, qui monachicae uitae prorsus sunt expertes, in suam dicionem acceperunt, sicut ipsi melius nostis, ut omnino desit locus, ubi filii nobilium aut emeritorum militum possessionem accipere possint; ideoque uacantes ac sine coniugio, exacto tempore pubertatis, nullo continentiae proposito perdurent, atque hanc ob rem uel patriam suam, pro qua militare debuerant, trans mare abeuntes relinquant; uel maiore scelere atque impudentia, qui propositum castitatis non habent, luxuriae ac fornicationi deseruiant, neque ab ipsis sacratis Deo uirginibus abstineant. At alii grauiore adhuc flagitio, cum sint ipsi laici, et nullo uitae regularis uel usu exerciti, uel amore praediti, data regibus pecunia, emunt sibi sub praetextu construendorum monasteriorum territoria in quibus suae liberius uacent libidini, et haec insuper in ius sibi haereditarium regalibus edictis faciunt asscribi, ipsas quoque litteras priuilegiorum suorum quasi ueraciter Deo dignas, pontificum, abbatum, et potestatum seculi obtinent subscriptione confirmari. Sicque usurpatis sibi agellulis siue uicis, libere exinde a diuino

simul et humano seruitio, suis tantum inibi desideriis, laici monachis imperantes, deseruiunt; immo non monachos ibi congregant, sed quoscunque ob culpam inobaedientiae ueris expulsos monasteriis alicubi forte oberrantes inuenerint, aut euocare monasteriis ipsi ualuerint; uel certe quos ipsi de suis satellitibus ad suscipiendam tonsuram promissa sibi obaedientia monachica inuitare quiuerint. Horum distortis cohortibus, suas quas instruxere, cellas implent, multumque informi atque inaudito spectaculo, idem ipsi uiri modo coniugis ac liberorum procreandorum curam gerunt, modo exurgentes de cubilibus, quid intra septa monasteriorum geri debeat, sedula intentione pertractant. Quin etiam suis coniugibus simili impudentia construendis, ut ipsi aiunt, monasteriis loca conquirunt, quae pari stultitia, cum sint laicae, famularum se Christi permittunt esse rectrices. Quibus apte conuenit illud uulgi prouerbium, quia uespae fauos quidem facere cum possint, non tamen in his mella, sed potius uenena thesaurizent. Sic per annos circiter triginta, hoc est, ex quo Aldfrid rex humanis rebus ablatus est, prouincia nostra uesano illo errore dementata est, ut nullus pene exinde praefectorum extiterit qui non huiusmodi sibi monasterium in diebus suae praefecturae comparauerit, suamque simul coniugem pari reatu nociui mercatus astrinxerit; ac praeualente pessima consuetudine ministri quoque regis ac famuli idem facere sategerint; atque ita ordine peruerso innumeri sint inuenti, qui se abbates pariter et praefectos siue ministros aut famulos regis appellent, qui etsi aliquid uitae monasterialis ediscere laici non experiendo sed audiendo potuerint, a persona tamen illa ac professione, quae hanc docere debeat, sunt funditus exsortes. ... Eorum quoque, qui in populari adhuc uita continentur, sollicitam te necesse est curam gerere, ut, sicut in primordio huius epistolae praemonuimus, sufficientes eis doctores uitae salutaris adhibere memineris, et hoc eos inter alia discere facias, quibus operibus maxime Deo placere, a quibus se debeant, qui Deo placere desiderant, abstinere peccatis, qua cordis sinceritate in Deum credere, qua diuinam clementiam supplicantes debeant deuotione precari, quam frequenti diligentia signaculo se Dominicae crucis suaque omnia aduersum continuas immundorum spirituum insidias necesse habeant munire, quam salutaris sit omni Christianorum generi cotidiana Dominici corporis ac san-

guinis perceptio, iuxta quod ecclesiam Christi per Italiam, Galliam, Africam, Greciam, ac totum orientem sollerter agere nosti. Quod uidelicet genus religionis, ac Deo deuotae sanctificationis tam longe a cunctis paene nostrae prouinciae laicis per incuriam docentium quasi prope peregrinum abest, ut hii qui inter illos religiosiores esse uidentur, non nisi in natali Domini, et epiphania, et pascha sacrosanctis mysteriis communicare praesumant, cum sint innumeri innocentes et castissimae conuersationis pueri ac puellae, iuuenes et uirgines, senes et anus, qui absque ullo scrupulo controuersiae, omni die dominico, siue etiam in natalitiis sanctorum apostolorum, siue martyrum, quomodo ipse in sancta Romana et apostolica ecclesia fieri uidisti, mysteriis caelestibus communicare ualeant. Ipsi etiam coniugati, si quis sibi mensuram continentiae ostendat, et uirtutem castitatis insinuet, idem et licenter possint et libenter facere uelint. ...

(Plummer I, 405 ss.).

## XLIX. CUTHBERCTUS

Bedae discipulus, sicut ipse se dicit in epistula ad Lullum [1] Maguntinum episcopum a. 764, mox post Bedae obitum, ad Cuthwinum condiscipulum pulcherrimam epistulam de ultimis vitae diebus magistri scripsit (PLUMMER I, CLX-CLXIV). Postea abbas monasterii in quo Beda vixerat, iterato ad Lullum opera illius «quem nuper in domo Dei apud vos vice candellae ecclesiasticae scientia scripturarum fulsisse audivimus [2]», misit.

**191.** Dilectissimo in Christo collectori Cuthwino Cuthbertus condiscipulus in Deo aeternam salutem. Munusculum quod misisti multum libenter accepi, multumque gratanter litteras tuae deuotae eruditionis legi, in quibus, quod maxime desiderabam, missas uidelicet et oraciones sacrosanctas pro Deo dilecto patre ac magistro Baeda a uobis diligenter celebrari repperi. Unde delectat magis pro eius caritate, quam fretus ingenio, paucis sermonibus dicere, quo ordine migraret a saeculo, cum etiam hoc te desiderasse et poposcisse intellexi. Grauatus est quidem infirmitate

---

[1] Conf. infra p. 265, not. 2.

[2] S. Bonifatius ad Hwaetberhtum, Cuthbercti praedecessorem, a. 746/7. (MGH, Epist. sel., I, 159); conf. ib. 251, 265.

et maxime creberrimi anhelitus, sed tamen pene sine aliquo dolore, ante diem autem resurrectionis dominice, id est fere duabus ebdomadibus; et sic postea letus et gaudens, graciasque agens omnipotenti Deo omni die et nocte, immo horis omnibus usque ad diem Ascensionis dominicae, id est VII Id. Mai uitam ducebat, et nobis suis discipulis cottidie lectiones dabat, et quidquid reliquum fuit diei in psalmorum cantu, prout potuit, se occupabat, totam uero noctem letus in oracionibus et graciarum accione Deo ducere studebat nisi tantum modicus somnus impediret, itemque autem euigilans statim consueta scripturarum modulamina ruminabat, extensisque manibus Deo gratias agere non est oblitus. Uere fateor quia neminem unquam alium oculis meis uidi nec auribus audiui, tam diligenter gracias Deo uiuo referre. O uere beatus uir! canebat autem sententiam sancti Pauli apostoli dicentis « horrendum est incidere in manus Dei uiuentis », et multa alia de sancta scriptura in quibus nos a somno animae exsurgere praecogitando ultimam horam amonebat, et in nostra quoque lingua, ut erat doctus in nostris carminibus, dicens de terribili exitu animarum e corpore :

Fore then neidfaerae naenig uiuurthit
thonc snotturra than him tharf sie
to ymb hycggannae aer his hin iongae
huaet his gastae godaes aeththa yflaes
after deothdaege doemid uueorthae.

Quod ita Latine sonat : « ante necessarium exitum prudentior quam opus fuerit nemo existit, ad cogitandum uidelict, antequam hinc proficiscatur anima, quid boni uel mali egerit, qualiter post exitum iudicanda fuerit ». Cantabat etiam antiphonas ob nostram consolationem et suam, quarum una est : « O rex gloriae, Domine uirtutum, qui triumphator hodie super omnes celos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos, Spiritum ueritatis. Alleluia ». Cum uenisset autem ad illud uerbum, « ne derelinquas nos orphanos », prorupit in lacrimas et multum flebat. Et post horam cepit repetere quae incoauerat. Et sic tota die faciebat, et nos quidem audientes haec luximus cum illo, et fleuimus, altera uice legimus, altera plorauimus, immo cum fletu legimus. In tali leticia quinquagesimales dies usque ad diem praefatum deduximus. Et ille multum gauisus est, et Deo gratias referebat, quia sic meruisset infirmari. Et saepe dicebat : « flagellat Deus omnem filium quem recipit », et sententiam Ambrosii : « non sic uixi, ut me pudeat inter uos uiuere, sed

nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus ». In istis autem diebus dua opuscula memoriae digna, exceptis lectionibus, quas cottidie accepimus ab eo, et cantu psalmorum, facere studuit, id est a capite sancti euangelii Iohannis usque ad eum locum in quo dicitur « sed haec quid sunt inter tantos? » in nostram linguam ad utilitatem Ecclesiae Dei conuertit et de libris Isidori episcopi excerptiones quasdam, dicens : « nolo ut pueri mei mendacium legant, et in hoc post meum obitum sine fructu laborent ». Cum uenisset autem tertia feria ante Ascensionem Domini coepit uehementius egrotare in anhelitu, et modicus tumor in suis pedibus apparuit. Totum tamen illum diem docebat, et hilariter dictabat, et nonnumquam inter alia dixit : « discite cum festinatione, quia nescio quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me Factor meus ». Nobis tamen uidebatur ne forte exitum suum bene sciret, et sic noctem in gratiarum actione peruigil duxit. Et mane inlucescente, id est quarta feria praecepit diligenter scribi quae coeperamus, et hoc fecimus usque ad terciam horam. A tercia autem hora ambulauimus cum reliquiis sanctorum, ut consuetudo illius diei poscebat. Et unus erat ex nobis cum illo, qui dixit illi : « adhuc capitulum unum de libro, quem dictasti, deest, et uidetur mihi difficile tibi esse plus te interrogare », at ille inquit, « facile est, accipe tuum calamum, et tempera, festinanterque scribe ». Et ille hoc fecit. A nona hora dixit mihi : « quaedam preciosa in mea capsella habeo, id est piperum, oraria, et incensa; sed curre uelociter, et adduc presbiteros nostri monasterii ad me, ut et ego munuscula, qualia mihi Deus donauit, illis distribuam ». Et hoc cum tremore feci; et praesentibus illis locutus est ad eos et unumquemque, monens et obsecrans pro eo missas diligenter et orationes facere, et illi libenter respondere. Lugebant autem, et flebant omnes, maxime autem in uerbo quod dixerat, quia aestimarent quod faciem eius amplius non multo in hoc saeculo essent uisuri. Gaudebant autem de eo quod dixit : « tempus est, si sic Factori meo uidetur, ut ad eum modo absolutus ex carne ueniam, qui me, quando non eram, ex nihilo formauit. Multum tempus uixi, beneque mihi pius Iudex uitam meam praeuidit. Tempus absolucionis meae prope est, etenim anima mea desiderat regem meum Christum in decore suo uidere ». Sic et alia multa utilitatis causa ad aedificationem nostram locutus in letitia diem ultimum usque ad uesperum duxit. Et praefatus puer, nomine Uuilberche, adhuc dixit : « magister dilecte, restat adhuc una sententia non descripta ». At ille, « bene »,

inquit, « scribe ». Et post modicum dixit puer : « modo descripta est ». At ille : « bene », inquit, « consummatum est, ueritatem dixisti, accipe meum caput in manus tuas, quia multum me delectat sedere ex aduerso loco sancto meo, in quo orare solebam, ut et ego sedens Patrem meum inuocare possim ». Et sic in pauimento suae casulae decantans : « gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto » et cetera, ultimum e corpore exhalauit spiritum. Atque ut sine dubio credendum est quod pro eo quia hic semper deuotissimus in Dei laudibus laborauerat, ad gaudia desideriorum celestium anima eius ab angelis portaretur. Omnes autem qui audiere uel uidere obitum Baetani patris nostri, numquam se uidisse alium in tam magna deuocione atque tranquillitate uitam suam finisse dicebant. Quia, sicut audisti, quousque anima eius in corpore fuit, « gloria Patri » et alia quaedam ad gloriam Dei cecinit, et expansis manibus Deo gratias agere non cessabat. Scire autem debes quia adhuc multa narrari et scribi possunt de eo, sed nunc breuitatem sermonis ineruditio meae linguae facit, attamen cogito, Deo adiuuante, ex tempore plenius de eo scribere quae oculis uidi, et auribus audiui.

(Plummer I, CLX-CLXIV).

## L. PAENITENTIALE q. d. THEODORI

Libri paenitentiales, quorum antiquissimum exemplum s. Columbani Liber de paenitentia servavit (1), a saec. VIII plurimi in regno Francorum diffusi sunt; multum ad eorum divulgationem Scotti et Anglo-Saxones contulerunt. Duae praesertim hoc saeculo canonum paenitentialium collectiones auctoritatem obtinuerunt, collectio q. d. Hibernensis, et illa, quae Theodoro Cantuariensi archiepiscopo adtribuitur. Prior inde nota digna, quod plurimi canones ad Romanae ecclesiae institutiones canonicas provocant (2), Patribus desumpti sunt. In illa quae Theodoro tribuitur Romanae ecclesiae institutionibus canonicis saepe iuxtaponuntur usus et institutiones ecclesiae graecae, quas certe Theodorus, ex

(1) Supra n. 104.

(2) « Sinodus Romana, Romani dicunt, Institutio Romana, Regula canonica Romana » ; conf. F. Maassen, *Geschichte der Quellen u. d. Litteratur d. kanon. Rechts*, p. 883 et 973 ss. ; et P. Fournier, *De l'influence de la collection irlandaise* in Nouvelle Revue historique de Droit français et étranger, XXIII, 1899. Vide etiam infr. p. 412, not. 4.

Tarso Ciliciae oriundus, cognovit. Utriusque collectionis editio critica desideratur; conf. H. I. SCHMITZ, *Die Bussbücher u. d. kanonische Bussverfahren* II, Düsseldorf 1898, p. 522 ss. et P. FOURNIER, *Etudes sur les penitentiels* in RHLR VI-IX (1901-1904).

**192.** *Paenitentiale Theodori* c. III. De ordinatione diversorum. 1. In ordinatione episcopi debet missa cantari ab ipso episcopo.

2. In ordinatione presbiteri sive diaconi oportet episcopum missas celebrare sicut Greci solent in electione abbatis vel abbatisse.

3. In monachi vero ordinatione abbas debet missam agere et III orationes super caput eius complere et VII dies velet caput suum coculla sua et septimo die abbas tollat velamen, sicut in baptismo presbyteri solent velamen infantum auferre ita et abbas debet monacho, quia secundum baptismum est iuxta iudicium patrum, in quo omnisi ad ecclesiam tantum nec balneunt se.

8. Secundum Grecos presbitero licet virginem sacro velamine consecrare et reconciliare poenitentem et facere oleum exorzizatum et infirmis crisma si necesse est, secundum Romanos autem non licet nisi episcopis solis.

(Schmitz II, p. 568).

**193.** *Paenit. Theodori* c. VIII. De moribus Grecorum et Romanorum. 1. In dominica Greci et Romani navigant et equitant, panem non faciunt neque in curru pergunt nisi ad ecclesiam tantum nec balneant se.

2. Greci in dominica non scribunt publice tamen pro necessitate seorsum in domo scribunt.

3. Greci et Romani dant servis vestimenta et laborant sine dominico die.

4. Grecorum monachi servos non habent, Romanorum habent.

6. De peste mortalitatis. Greci et Romani dicunt, ipsos infirmos visitare debere ut ceteros infirmos sicut Dominus praecepit. (Schmitz II, p. 573).

**194.** *Paenit. Theodori* c. IX. De communicatione Scotthorum et Brittonorum. 1. Qui ordinati sunt a Scotthorum vel Brittonum episcopis qui in pascha vel tonsura catholica non sunt adiuncti Ecclesie, iterum a catholico episcopo manus inpositione confirmentur.

2. Similiter et ecclesie que ab ipsis episcopis ordinantur, aqua exorzizata aspargantur et aliqua collectione confirmentur.

3. Licentiam quoque non habemus eis poscentibus crismam vel Eucharistiam dare nisi ante confessi fuerint velle se nobiscum esse in unitate Ecclesie. Et qui ex horum similiter gente vel quicumque de baptismo suo dubitaverint, baptizentur. (Schmitz II, p. 574).

## LI. GREGORIUS II. PAPA (715-731)

De Romanorum Pontificum saec. VII vitis et gestis perpauca supersunt documenta. Breves notitiae de singulis Pontificibus in LP collectae, parum iuvant ad illustrandam eorum historiam. Epistulae Romanorum pontificum de rebus Occidentis si eas excipias, quas Beda et alii scriptores Angliae servaverunt, vix ullae supersunt (1). Plures servatae sunt epistulae de causa Monotheletismi in Orientem et Hispaniam missae A saeculi autem VIII initio maior fontium historiae Romanorum pontificum copia praesto est. Vitae in LP ampliores pro historia presertim rerum in Italia gestarum fons magni momenti sunt. Epistulae etiam plures supersunt, historiam maxime relationum Romanorum pontificum cum regno Francorum egregie illustrantes. Gregorii II epistulae complures servatae sunt in s. Bonifatii epistularum collectione (2). Eius *instructionem ad legatos in Bavariam missos* editam habes in MGH ed. Pertz LL III 751 ss., (conf. ML 89, 351-534); Gregorii II *Vita* in LP (ed. Duchesne) I, 396-410. Epistulae eius duae de sacris imaginibus ad Leonem Isaurum imperatorem (ML 89, 511-521 et 521-524) spuriae sunt (3); epistula ad Germanum Constantinopolitanum patriarcham authentica ib. 507-511.

**195.** *LP. Vita Gregorii II.* Gregorius, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit ann. XV, mens. VIII, dies XXIIII. Qui a parva etate in patriarchio nutritus, subdiaconus factus, deinde diaconatus ordinem provectus est et cum viro sancto Constantino pontifice regiam profectus est urbem (4). Erat

---

(1) Conf. JAFFÉ-EWALD, *Regesta Pontificum Romanorum* I, nn. 1995-2140; et supra n. 138.

(2) Vide infra n. LIV; conf. JAFFÉ-EWALD, ib. 2157 ss.

(3) Conf. L. GUÉRARD, *Les lettres de Grégoire II à Léon l'Isaurien* in MAH X, 1890, 43 ss.

(4) A. 709 Constantinus papa iubente Iustiniano II iter in Orientem suscepit; conf. LP I, 389-391.

enim vir castus, divine Scripture eruditus, fecundus loquella et constans animo, ecclesiasticarum rerum defensor et contrariis fortissimus impugnator. ...

Hic in Germania per Bonifatium episcopum verbum salutis praedicavit et gentem illam sedentem in tenebris doctrina lucis convertit ad Christum et maximam partem gentis eiusdem sancti baptismatis lavit unda. ...

Theodo quippe dux gentis Baioariorum cum alios gentis suae ad apostoli beati Petri limina orationis voto primus de gente eadem occurrit (1). ...

Eodem tempore nec dicenda Agarenorum gens a loco qui Septem dicitur transfretantes (2), Spaniam ingressi, maximam occiserunt partem cum eorum rege; reliquos omnes subdiderunt cum suis bonis et ita eandem provinciam annis possiderunt decem. Undecimo vero anno generalis facta Francorum motio contra Saracenos circumdantes interemerunt. Trecenta enim septuaginta quinque milia uno sunt die interfecti, ut Francorum missa pontificis epistola continebat; mille tantum quingentos ex Francis fuisse mortuos in eodem bello dixerunt, quod anno praemisso in benedictione a praedicto viro eis directis tribus spongiis quibus ad usum mense pontificis apponuntur, [in hora] intra qua bellum committebatur, Eodo, Aquitaniae princeps populo suo per modicas partes tribuens ad sumendum, ex eis ne unus vulneratus est nec mortuus ex his qui participati sunt (3). ...

Iussionibus itaque postmodum missis decreverat imperator (4) ut nulla imago cuiuslibet sancti aut martyris aut angeli haberetur: maledicta enim omnia asserebat. Et si adquiesceret pontifex, gratiam imperatoris haberet; si et hoc fieri praepediret, a suo gradu decederet. Despiciens ergo vir profanam principis iussionem, iam contra imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens heresem eius, scribens ubique caveri se christianos quod orta fuisset impietas. Igitur permoti omnes Pentapolenses atque Venetiarum exercita contra imperatoris iussionem resti-

(1) A. 716.

(2) A. 711.

(3) Referenda haec videntur ad Karoli Martelli et Eudonis victoriam apud Pictavos (Poitiers) a. 732 obtentam. Conf. BÖHMER-MÜHLBACHER, *Regesta Imperii* I, ed. 2, Innsbruck, 1908, p. 16.

(4) Leo III (Isaurus), c. a. 725. Cf. F. DÖLGER, *Corpus d. griech. Urkunden*, I, 1, München, 1924, n. 287 ss.

terunt, numquam se in eiusdem pontificis condescendere necem, sed pro eius magis defensione viriliter decertarent, ita ut anathemate Paulum exarchum vel qui eum direxerat eiusque consentaneos summitterent; spernentes ordinationem exarchi, sibi omnes ubique in Italia duces elegerunt; atque sic de pontificis deque sua immunitate cuncti studebant. Cognita vero imperatoris nequitia omnis Italia consilium iniit ut sibi eligerent imperatorem et ducerent Constantinopolim; sed conpescuit tale consilium pontifex, sperans conversionem principis. ... Post aliquod vero Euthychium patricium eunuchum Neapolim imperator misit, ut illud quod exarchus Paulus, spatharii quoque et ceteri malorum consiliatores facere nequiverunt, perficeret ille. Sed nec sic, iubente Deo, latuit miserabilis dolus, sed claruit cunctis pessimum consilium quia Christi violare conabantur ecclesias et perdere cunctos atque diripere omnium bona. Cumque mitteret hominem proprium Roma cum scriptis suis in quibus continebatur ut pontifex occideretur cum optimatibus Romae, agnita crudelissima insania, protinus ipsum patricii missum occidere voluerunt, nisi defensio pontificis nimia praepediret. Verum eundem anathematizaverunt Eutichium exarchum, sese magni cum minoribus constringentes sacramento numquam pontificem christianae fidei zelotem et ecclesiarum defensorem permittere noceri aut amoveri, sed mori essent pro illius salute omnes parati. Munera tunc hinc inde ducibus Langobardorum et regi pollicentes plurima ut a iuvamine desisterent pontificis per suos legatos patricius ille suadebat. Qui rescriptis detestandam viri dolositatem dispicientes, una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt Romani atque Langobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione pontificis sustinere gloriosam, nonque illum passuri pertulere molestiam pro fide vera et christianorum certantem salutem. His ita habentibus elegit maiorem praesidium pater distribuere pauperibus largissima manu quaeque repperiebat; incumbens orationibus et ieiuniis, letaniis Deum cotidie inprecabat; spe ista manebat semper fultus plus ab hominibus, gratias tamen voluntate populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone ut bonis in Deum proficerent actibus et in fide persisterent rogabat, sed ne disisterent ab amore vel fide Romani imperii ammonebat. Sic totorum corda molliebat et dolores continuos mitigabat. ...

Post aliquod idem rex (1) generali facta motione ut subiceret duces Spoletinum et Beneventanum, susceptis ab ipsis ducibus sacramentis atque obsidibus, cum tota sua hoste in Neronis campo (2) coniunxit. Ad quem egressus pontifex eique praesentatus potuit regis mollire animos commonitione pia, ita ut se prosterneret eius pedibus et promitteret nulli inferre lesionem atque sic recederet. Nam ad tantam eum conpunctionem piis monitis flexus est ut quae fuerat indutus exueret et ante corpus apostoli poneret. Post quae facta oratione recessit. Coniunxerat enim plurimum Roma ut illa quae imperator mandabat cum exarcho impleret. Sed commonitus blanda suasione pontificis non expedire, tunc ad partem flexus salutis illa fecit quae institutus est, nec consensit pravis consiliis et recessit mitis qui venerat ferus. Sic conpressa est adversantium malitia rege declinante a malis quibus inierant consiliis. ... (LP. ed. Duchesne, I, 396-408).

**196.** *In nomine Domini incipit capitulare a Gregorio secundo papa urbis Romae datum* (3) *reverentissimo fratri nostro Martiniano episcopo seu Georgio presbitero sanctae sedis apostolicae atque Dorotheo subdiacono praedictae sedis, euntibus cum Domini auxilio in Baioaria* (4). Id est:

*Cap. 1.* Ut datis nostris scriptis ita ut cum duce provinciae deliberetis, quatenus conventus adgregetur sacerdotum et iudicum atque universorum gentis eiusdem primariorum et exquesitis sacerdotibus atque ministris, quorum canonicam adprobaveritis extetisse promo-

---

(1) Langobardorum, Liutprandus (712-744).

(2) Inter Vaticanum et Tiberim.

(3) Post Theodonis ducis Bavarorum iter Romanum (conf. supra p. 225) a. c. 716.

(4) Christianae fidei iam ex parte lucrata erat gens Baiuvariorum; Agilulfingi duces iam a tempore Theodelindae reginae Langobardorum christiani erant. (Cf. supra n. 88 et 113). Gregorii II tempore complures sancti viri inter Baiuvarios apostolatum exercuerunt, ut s. Hrodpertus (Rupertus) episcopus in regione Salisburgensi (Salzburg); eius Vita in MGH SS RR Merov. 6, 140 ss.; S. Haimhrammus (Emmerammus) episcopus et martyr Ratisbonae (Regensburg); eius Vita ib. 4, 452 ss.; s. Corbinianus, episcopus Frisingae (Freising); Vita ib. 6, 497 ss. Conf. Ios. SCHLECHT, *Wissenschaftliche Festgabe zum 1200 jährigen Jubiläum des heil. Korbinian.*, München 1924. Vid. etiam infr. n. 206.

tionem ac rectae fidei tenere aut recipere rationem : his sacrificandi et ministrandi sive etiam psallendi ex figura atque traditione sancta apostolica ac Romanae sedis ecclesiae ordine tradatis potestatem. Quorum vero non claruerit recta fides credulitatis aut adprobata sollempnitas canonicae ordinationis : illis per omnia prohibeatur licentia ministracionis, ut subrogentur canonice probabiles successores.

*Cap. 2.* Ut loco singularum ecclesiarum praevidentes, quomodo unusquisque sacerdos seu minister erga ecclesiam debeat conservare vel qualiter sacra missarum sollempnia, sive cetera diurnarum atque nocturnarum horarum officia, sive etiam lectionum sacrarum novi et veteris testamenti ordinabilia praedicamenta studeat observare secundum traditum sanctae apostolicae sedis antiquitatis ordinem disponetis.

*Cap. 3.* Ut consideratis locorum spaciis iuxta gubernationem uniuscuiusque ducis episcopia disponatis et diyocesane subiacentia singulis sedibus terminetis. Et si tres aut quatuor vel maioris numeri visae fuerint constitui sedes, reservato praecipue sedis loco pro archiepiscopo resedendo, adhibito trium episcoporum conventu probabiles fide ac boni testimonii et eruditos sana doctrina viros ordinetis antistites ex auctoritate beati Petri apostoli et nostra subsequentis vigoris tradita dispensatione locis eos traditis conlocantes.

*Cap. 4.* Ut praeviso propter archiepiscopum loco, si talem reperire potueritis virum, qui possit doctrinis salutiferis et operum exemplis instruere sibi subditos sacerdotes ac regere prudentissime clerum ac plebem et amplificare congrue creditas oves, aut datis litteris vestris eum ad nos dirigatis, aut vobiscum venire faciatis. Si certe talem invenire non poteritis, hoc aut per vos aut per vestras litteras innotescatis, quatenus de hoc [1] sancta praemissa sede praevidentes utilem cum Dei auxilio dirigamus.

*Cap. 5.* Ut ordinatis episcopis unicuique illorum hoc detis ex figura nostra ordines in mandatis, ne umquam ordinationes praesumat inlicitas [2]. ... Cui de reliquo sedis apostolicae praemissae Romanae praecepta servanti cuncta subiaceat religio, et universa ge-

---

[1] Sic ed., lege *hac*.

[2] Sequuntur mandata sicut in formula *Libri Diurni* 6, supra n. 91.

neralitas populorum christiani nominis renotata signaculo ad obsequendum commoneatur corde promptissimo, ut inreprehensibile placitum fiat corpus Ecclesiae per Christum dominum nostrum.

*Cap. 6.* Ut ita nubèntibus vel nupturis ordinem ex auctoritate apostolica detis, ut nec continentiae causa iudicentur damnabilis copulae nuptialis, nec per licentiam nubendi praesumatur occasio fornicandi: ... Ipsud quoque unius viri et uxoris coniugium doceatur in proximitate sanguinis non esse penitus praesumendum, id est ne quis uxorem patris aut patrui vel fratris, sive sororem suam aut sororem patris vel matris sive filiam sororis suae seu etiam filiam patris aut matris audeat sibi coniugio copulare aut in adulterio sociare. Quodsi quis aut per coniugalem copulam aut adulterandi temerantiam ausus fuerit perpetrare: noverit se incesti facinoris contaminatione obnoxium esse, atque ob hoc indignum fieri sacra communione corporis et sanguinis domini Iesu Christi, sine cuius perceptione nemo poterit salvari. Nuptiis quoque ipsis preferenda fidelium virginum et continentium doceatur integritas.

*Cap. 7.* Ut nihil in perceptione ciborum iudicetur immundum, nisi quae fuerit idolis immolatum, quia iuxta quod magisterio apostolico docetur: «Omnis creatura Dei bona, et nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur».

*Cap. 8.* Ut somnia et auguria, quia iuxta divina oracula vana sunt, non adtendenda penitus doceantur.

*Cap. 9.* Ut incantationes et fastidiationes sive diversae observationes dierum Kalendarum, quas error tradidit paganorum, prohibeantur, sicut maleficia et magorum praestigia seu etiam sortilegorum ac divinantium observatio execranda.

*Cap. 10.* Ut dominicis diebus doceantur non licere omnimodo ieiunandum propter resurrectionis dominicae sacramentum, neque in festivitatibus dominicis nativitatis aut apparitionis sive ascensionis.

*Cap. 12.* Ut paenitentiae remediis nemo se non egere putet, pro quotidianis humanae fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus. ...

(MGH ed. Pertz, LL III, 451 ss.).

# LII. S. WILLIBRORDUS.

Initia missionis Anglo-Saxonum apud Frisiae incolas narrat Beda Hist. Eccl. Angl., V, 9-11. Post diversa vana tentamina, Willibrordus, a. 690 ad fauces Rheni appulit et exinde totam vitam conversioni Frisonum aliarumque gentium circumvicinarum dicavit. Educatus in monasterio Hrypensi (Ripon), a s. Egberto ex Hibernia missus est cum 11 sociis in Frisiam. Bis inde Romam profectus est, prima vice Sergii papae benedictionem pro opere apostolico petiturus, altera missus a Pippino, Maiore domus. Rediit a. 696 postquam a Sergio episcopus consecratus est. A. 698 Epternacense monasterium instituit, cuius chartae donationum antiquissimae (ab a. 698) servatae sunt in *Libro Aureo* Epternacensi (hodie cod. Gothanus 71; ed. MGH SS XXIII, 50 ss., conf. 21; ML 89, 535 ss.). Obiit Willibrordus Epternaci a. 739. Eius *Vitam* scripsit c. a. 790 Alcuinus (MGH SS RR Merov. 7, 81 ss.; alias Vitas Willibrordi vide in BHL 8935-8938). Scripta eius praeter *testamentum* quod vocant (PARDESSUS II n. 540) (1) vix ulla supersunt. In codice tantum olim Epternacensi (nunc Paris. lat. 10.837), Kalendario litteris Anglo-Saxonis saec. VIII exarato (2), quod s. Willibrordi fuisse videtur, exstat nota marginalis, ipsius manu scripta (infra n. 197). Addimus chartam donationis Karoli Martelli pro Traiectensi ecclesia ex a. 723.

**197.** *Kalendarium S. Willibrordi* f. 39v. In nomine Domini: Clemens Uuillibrordus anno sexcentessimo nonagessimo ab incarnatione Christi ueniebat ultra mare in Francia et in Dei nomine anno sexcentessimo nonagessimo quinto ab incarnatione Domini quamuis indignus fuit ordinatus in Romae episcopus ab apostolico uiro domno Sergio Papa. Nunc uero in Dei nomine agens annum septegentessimum uigessimum octauum ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi in Dei nomine feliciter. (Bradshaw Soc. 55, p. XI et 13).

**197*a*.** *Traditio Karoli de Traiecto et Fethna sub Willibrordo episcopo.* Ego in Dei nomine inluster vir Karolus maiorum domus, filius Pippini quondam, cogitans casum hu-

---

(1) Conf. L. PONCELET, *Le « Testament » de St. Willibrord*, in Analecta Bollandiana XXV, 1906, p. 163 ss.

(2) Phototypice editum cura H. A. WILSON, *The Calendar of St. Willibrord*, in Henry Bradshaw Society, vol. 55, London 1918.

manae fragilitatis, qualiter peccata possim abluere et donante Deo ad aeterna gaudia pervenire: idcirco donamus a die praesenti per hanc paginam testamenti et donatum in perpetuo esse volumus: hoc est ad monasterium, quod est infra muros Traiecto castro situm constructum (1), ubi apostolicus vir domnus et in Christo pater noster Willibrordus archiepiscopus sub sanctae conversationis coenobitali ordine custos praeesse videtur, omnem rem fisci ditionibus, quicquid in ipso Traiecto castro, tam infra muros quam a foris, cum omnibus adiacentiis vel appenditiis, cum illo pascuae Graveningo, vel quicquid ibi fiscus ad praesens esse videtur, omnia et ex omnibus, totum et ad integrum, cum omni re quaesita et inquisita, et similiter villam vel castrum nuncupante Fethna (2), sitam in pago Nifterlaco, cum omni mero et soliditate sua, omnes adiacentias vel appendicias, quae tam ad ipsam villam Fithnam castro vel etiam ad iam dictum Traiectum castrum, ut diximus, adspicere vel pertinere videntur, quantumcumque ad partem fisci vel ad nostram praesens esse videtur, cum omni integritate eorum, quicquid dici vel nominari potest: hoc est una cum mansis, terris, casis, domibus, aedificiis, accolabus, litis, mancipiis, campis, pratis, pascuis, silvis, aquis aquarumque decursibus, greges cum pastoribus utriusque generis sexus, mobilibus et inmobilibus, totum et ad integrum, ut diximus, a die praesenti ad ipsum monasterium vel ad ipsam casam Dei tradimus atque deligamus perpetualiter in Dei nomine ad possidendum, ita ut ibidem omni tempore pro nostra mercede proficiat in augmentis; et quicquid exinde patres ante iam dicti monasterii vel rectores pro eorum oportunitate facere decreverint, liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipse vel aliquis de heredibus vel proheredibus seu quaelibet ulla opposita aut extranea persona, quae contra hanc donationem, quam nos pro divino intuitu et animae nostrae remedio ad instar testamenti fieri et adfirmare decrevimus, venire aut agere vel eam infringere conaverit: inprimis iram Dei coelestis incurrat, et a liminibus sanctorum vel consortio christianorum efficiatur extraneus, et insuper inferat una cum socio fisco auri libras 5, argenti pondera 10 coactus exsolvat,

(1) Basilica s. Salvatoris in Utrecht; conf. infr. n. 214.

(2) Vechten.

et quod repetit evindicare non valeat. Sed praesens donatio, ad instar testamenti a me facta, omni tempore firma et stabilis permaneat cum sipulatione subnixa.

Actum Arastallio villa publice, in ipsa die Kalendas Ianuarias. Anno II. regnante glorioso domno Theuderico rege (1).

Signum inlustris viri Karoli, maiorum domus, qui hanc donationem fieri et adfirmari rogavit. Signum Karlomanni filii eius. Signum Gariaonis. Signum Odonis. Signum Baldrici. Signum Abbonis. Signum Engilbaldi. Signum Adalhardi. Signum Thiedoldi, nepotis eius. Signum Bosonis. Signum Widonis. Signum Gunfridi. Ego Rotdbertus subscripsi. Hariradus subscripsi. Audoinus presbiter subscripsi. Chelmoinus subscripsi. Chaldo cancellarius, rogatus a Karolo supradicto, scripsi et subscrpisi. (MGH ed. Pertz, Diplomata I, 98 s.).

## LIII. S. PIRMINUS.

Inter Alamannos, qui ineunte saec. VIII iam magna ex parte Christianae fidei adhaerebant, monasteriorum plurimorum pater et apostolus exstitit aa. c. 720-750 s. Pirminus, advena ignotae originis, quem inter doctos alii Francum, alii Scottum, alii Anglo-Saxonem fuisse contendebant, dum recentiores rationibus non incongruis eum ex Hispania Wisigotica tunc a Saracenis occupata, advenisse affirmant. Ex « Meltis castello » ubi « pastoralis curae episcopatum tenebat » cum « peregrinis monachis » veniens, a. 724 a Karolo Martello insulam Rheni prope lacum Constantiensem accepit, ibique monasterium instituit, quod postea Augia dives (Reichenau) dictum est. C. a. 727 in Alsatiam pergens plurima ibi monasteria instituit vel ordinavit, inter quae eminent Vivarius · peregrinorum (Murbach) et Gamundia (Hornbach). Gamundiae obiit a. 753. Pirmini exhortationem catecheticam ad populum: *Dicta abbatis Priminii, de singulis libris cannonicis scarapsus,* edidit G. Jecker in *Die Heimat des hl. Pirmin,* Münster 1927, p. 34-73 (conf. ML 89, 1029-1050). Pirmini *Vita* in AA SS, Novemb. II, p. 2 ss.; MGH SS 15, p. 17 ss. (2).

---

(1) a.723.

(2) Cf. I. Pérez, *S. Pimenio,* in Boletín de la R. Academia de la historia 77, 1920, p. 132 ss., et G. Iecker, *St. Pirmins Herkunft und Mission* in *Die Kultur der Abtei Reichenau,* München, 1925, I, p. 19 ss.

**198.** *Karolus Martellus Pirmino insulam Sindlezzeisauua concedit* (1). Dum fragilitas humani generis pertimescit ultima uite tempora, ut non inueniat unumquemque inparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de hoc saeculo, nisi dum suo iure et potestate consistit, praeparet sibi uiam salutis, per quam ualeat ad aeternam beatitudinem peruenire. Igitur ego, in Dei nomine Carolus maior domus, inlustris uiris Lautfrido duci et Bertoaldo comiti. Cognoscat magnitudo seu industria uestra, qualiter uir uenerabilis Perminius episcopus una cum peregrinis suis monachis de partibus Galliae in fines Alamannorum ad peregrinandum propter nomen Domini uenerat: quem gratante animo in nostro mundburdio suscepimus et ei locum ad habitandum insulam nuncupantem Sindlezzeisauua concessimus, ... quatenus ibidem monasterium construat et regulam sancti Benedicti secundum normam bene uiuentium doceat. (2) ...

**199.** *Dicta Pirminii*, cap. 22. Nolite adorare idolis; non ad petras neque ad arbores, non ad angulos, neque ad fontes, non ad triuios nolite adorare, nec uota reddire. Precantatores et sortilogos, karagios, aruspices, diuinus, ariolus, magus, malificus, sternutus et aguria per auiculas uel alia ingenia mala et diabolica nolite facire nec credire. Nam Uulcanalia et Kalandas obseruare, laurus ponire, pedem obseruare, effundire super truncum frugem et uinum, et panem in fonte mittere; mulieres in tela sua Minerua nominare, et Ueneris aut alium diem in nuptiis obseruare, et, quo die in uia exeatur, attendire, omnia ista, quid est aliut, nisi cultura diabuli? (3). Karactires, erbas, sucinos nolite uobis

---

(1) Textum authenticum diplomatis Karoli Martelli restituit K. BRANDI ex falso saec. XII. Falsarius enim, Arnulfi imperatoris (887-889) diplomati cuius textum abraserat, textum a se confictum superscribens, servavit in eo magna ex parte genuinum Karoli textum. Deletis ergo falsarii interpolationibus, remanet textus ut supra. Conf. K. BRANDI, *Die Gründung der Abtei Reichenau* in *Die Kultur der Abtei Reichenau*, München 1925, I, p. 10 ss.; conf. eiusdem auctoris opus *Die Reichenauer Urkundenfälschungen*, Heidelberg 1890, p .101 ss.

(2) Pirminum regulam S. Benedicti professum fuisse testatur etiam Widegerni Argentinensis episcopi diploma pro Murbacensi monasterio a. 728, AA. SS. Nov. II, p. 16 s.

(3) Conf. Martini Dumiensis sermonem ad rusticos supra n. 59 s.

uel uestris adpendere. Tempestarios nolite credere, nec aliquid pro hoc eis dare, qui dicunt quod manus fructa tollere possent. Nolite hoc credere neque in inpurias, que dicunt homines super tectus mittere, ut aliqua futura possint eis denunciare, quod eis bona aut mala adueniat. Nolite eis credire, quia soli Deo est futura prescire. In ceruulos et ueculas in Kalandas uel aliud tempus nolite anbulare. Uiri uestes femineas, femine uestis uirilis in ipsis Kalandis uel in alia lusa quam plurima nolite uestire (1). Membra ex ligno facta in triuios et ad arboribus uel alio nolite facire, neque mittere, quia nulla sanitate uobis possunt prestare. Luna quando obscuratur, nolite clamores emittere. Nullus carminum diabolicum credire, nec super se mittere non presumat. Nullus Christianus neque ad ecclesiam, neque in domibus, neque in triuios nec in nullo loco ballationes, cantationis, saltationis, uel iocus et lusa diabolica facire non presumat. Mimaricias et uerba turpia et amaturia uel luxoriosa ex ore suo non proferat. Omnia filactiria diabolica et cuncta supradicta nolite ea credire, nec adorare, neque uota illis reddere, nec nullum honorem inpendire, quia in Exodo Dominus ait : « Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, que est in caelo desuper, et que in terra deorsum nec horum, que sunt in aquis sub terra : non adorabis ea, neque colis ». ... (Jecker, p. 54 ss.).

**200.** *Dicta Pirm.* c. 23. Et ad sancta aecclesia oblationes et ceriolus et oleum et incensum et primicias et decimas et elimosinas et omnia bona uota uestra reddite. Et ibidem per solemnitates preclaras et dies dominicus et festas sanctorum martirum et confessorum uenite ad uigilandum et orandum Deum et missas audiendum et sacrificium, secundum quod docit sancta Scriptura accipiendum. Et nullus in ipsa aecclesia, uel ubi lectio diuina recitatur, uerbosare presumat, sed lectionis sanctas libenter audite, quia per Moisen Dominus ait : « Audi, Israel, et tace ». Diem dominicum nolite contemnere, sed cum reuerentia colite. Opus seruile, id est agrum, pratu, uinea, uel si qua grauia sunt, in eo non faciatis, nec causas, nec calumnias inter uos nolite dicire die dominico, preter tantum quod ad necessitate reficiendi corpusculi pro exquoquendo pertinet cibo; quia ipse dies dominicus primus creatus est, et in ipso tenebre remote sunt, et

(1) Conf. S. Caesarii serm. supra n. 38.

lux apparuit, et in eo formata sunt elimenta mundi, et creati sunt Angeli. In eo die de terra Egipti uelut ex tenibras peccatorum quasi per fontem baptismi per mare rubrum populus fuit liberatus. In eodem die caelesti cibo, id est manna, hominibus primo data est. De ipso mandauit Moises ad populum : « Obseruabitis uobis diem primum et nouissimum ». Et de ipso dicit propheta : « Hec est dies, quam fecit Dominus; exultemus et letemur in eo ». In ipso quoque a mortuis ressurrexit Christus; in ipso die de celis super apostolos sanctus discendit Spiritus; qui ideo dominicus appellatur, ut in eo, a terrenis operibus uel a mundi inlecibris abstinentis, tantum diuinis cultibus seruiamus. Ideo rogamus uos, dum tanta et talia sancta testimonia de ipso die proferuntur, ut ipsum diem, sicut decit Christianis, iuxta quod supra scriptum est, cum magna honore et diligentia in amore Christi pro retributione aeterna custodiatis. (Jecker, p. 56 s.).

**201.** *Dicta Pirm.* c. 25. Nemo cum capitalibus criminibus, ante quam confessionem suam donit et uera penitentiam agat per consilium sacerdotis secundum ordinem aecclesiasticum, corpus et sanguinem Domini communicare non presumat, quia in Liuitico Dominus ait : « Omnis homo, qui accesserit de stirpe uestro ad ea, que consecrata sunt, et que obtullerunt fili Israel Domino, in quo est inmunditia, peribit coram Domino; ego sum Dominus ». Et apostolus ait : « Quicumque manducauerit panem, uel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo; et sic de pane illo edat et de calicem bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus. Ideo inter uos multi infirmi et inbeciles et dormiunt multi ». Nullus christianus a corpus et sanguine Christi se abstrahere uel prolongare faciat, quia Dominus in euangelio ait : « Ego sum panis uiuos, qui de caelo discendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivit in aeternum et panem, quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita ». Et iterum : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manit, et ego in illo ». Et iterum : « Nisi manducaueritis carnem fili hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis ». Ideo admoneo uos, ut quicumque christianus post baptismum criminalem culpam fecit, pura confessione ad sacerdotem donit et ueram penitentiam agat; et post acta penitentia tempore, quo sacerdus ei constitue-

rit, oblationem suam ad sacerdotem offerat et corpus et sanguinem Christi communicare faciat.

(Jecker, p. 58 s.).

## LIV. S. BONIFATIUS

Wynfreth, prout ante a. 719 dicebatur, natus c. a. 675 in Saxonia occidentali, puer oblatus est monasterio Adescancastre. Inde in Nhutscellense monasterium transiens, sub Wynberto abbate studiis incubuit, tanto fructu, ut magister in schola monasterii crearetur. Scripsit tunc more Anglo-Saxonum libros de grammatica, metrica et aenigmata (MGH PL I 3-23). Post brevem peregrinationem in Frisiam, a. 718 patriam reliquit, et Danielis Wintoniensis episcopi litteris munitus (epist. 11), Gregorium II pontificem adiit, a quo «ad gentes quascumque infidelitatis errore detentas» (ep. 12, d. d. 15 Mai 719) missus est, postquam Bonifatii nomen ei impositum est. Roma primo in Thuringiam profectus, mox in Frisiam ad s. Willibrordum, quem per aliquot menses in apostolicis laboribus adiuvit. Exin in Hassiam proficiscens, eximios fructus in conversione paganorum obtinuit. A Gregorio II Romam evocatus, die 30 Nov. a. 722 episcopus consecratus est (epp. 16-20) [1]. A. 732 Gregorius III eum ob eximia merita in conversione Hassiae et Thuringiae obtenta archiepiscopatus honore auxit (ep. 28), eique a. 738, post tertium iter Romanum (epp. 41-43) Bavariae ecclesiam ordinandam commisit (epp. 44-45). A. 742 ecclesiam in Hassia et Turingia ordinavit, tres sedes episcopales instituens (epp.50-53). Ab a. 742 gravissimum ei munus restaurandae disciplinae in Francorum ecclesia incumbebat (epp. 56 ss.). A. 744 Fuldense monasterium instituit (ep. 86), cui a. 751 Zacharias Papa privilegium concessit (ep. 89)[2]. Eodem anno 751 Suessione Pippinum, quem Franci, postquam Childericum III, ultimum ex stirpe Merovingiorum regem, annuente Romano Pontifice deposuerunt, in regem elegerant, unxit [3]. Anno 754 in Frisiae partem septentrionalem ad praedicandum Evangelium inter paganos profectus est; ibi apud Doccum die 5 Iunii cum sociis martyr occubuit. S. Bonifatii *epistulae* (ed. M. TANGL in MGH, Epistolae selectae 1, 1916; ML 89, 687-804) inter pretiosissima monumenta Historiae ecclesiasticae recensendae sunt. Servatae sunt non solum Bonifatii epistulae ad Romanos Pontifices et ad amicos in patria, sed etiam epistulae ad eum datae tum a Romanis Pontificibus, tum a plurimis aliis; collectio

---

(1) Conf. formulam eius iuramenti, supra n. 99 (nota 1, pag. 101).

(2) Secundum formulam LD 32, supra n. 94.

(3) Conf. BÖHMER-MÜHLBACHER, *Regesta Imperii* I, ed. 2. Innsbruck, 1908, p. 32.

epistularum Bonifatianarum continet insuper epistulas eius socii et successoris Lulli, Maguntini episcopi (aa. 755-786). De s. Bonifatii *Vitis* conf. BHL 1400-1411. Maximam inter istas auctoritatem habet illa, quam iubente Lullo scripsit Willibaldus, Maguntinae ecclesiae presbyter (ed. W. LEVISON, *Vita s. Bonifatii*, in MGH SSUS 1905, pag. 1-58; ML 89, 603 ss.). Inter recentiora opera de s. Bonifatio notamus: I. I. LAUX, *Der hlg. Bonifatius, Apostel der Deutschen*, Freiburg 1922; G. KURTH, *St. Boniface*, Paris 1902.

**202.** *Epistula* 17. Gregorius episcopus servus servorum Dei universis reverentissimis et sanctissimis fratribus coepiscopis, relegiosis presbiteris seu diaconibus, gloriosis ducibus, magnificis castaldiis, comitibus etiam vel cunctis Christianis Deum timentibus. Sollicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia « in umbra mortis » aliquas gentes in Germaniae partibus vel plaga orientali Reni fluminis antiquo hoste suadente errare quasi sub relegione christiana idolorum culture eos servire cognovimus, aliquos vero, qui necdum cognitionem Dei habentes nec baptismatis sacri unda sunt loti, sed conparatione brutorum animalium pagani factorem non recognoscunt: necessario pro utrorum inluminatione ad predicandum recte fidei verbum harum portitorem Bonifatium reverentissimum fratrem nostrum episcopum apud eisdem partibus dirigere studuimus, ut et illis predicando verbum salutis vitam provideat sempiternam et, si quos forte vel ubicumque a recte fidei tramite destitisse cognoverit aut astutia diabolica suasos erroneos repererit, corrigat atque sui edocatione ad portum reportet salutis eosque ex apostolicae sedis huius doctrina informet et in eadem catholica fide permanere instituat. ... Data Kal. Decemb., imperante domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno VII, post consulatum eius anno VII, sed et Constantino magno imperatore eius filio anno IIII, indictione VI [1]. (MGH Epist. sel. I, 29 ss.).

**203.** *Epist.* 22. Dominis sanctis et apostolicis in Christo patribus episcopis ducibus comitibus vicariis, domesticis vel omnibus agentibus iunioribus nostris seu missis discurrentibus

---

[1] a. 722, Decemb. 1.

et amicis nostris inluster vir Carlus maior domus [1] bene cupiens vester. Cognoscatis, qualiter apostolicus vir in Christo pater Bonifatius episcopus ad nos venit et nobis suggessit, quod sub nostro mundeburdio vel defensione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratante animo hoc fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi [fuimus concessisse et hanc preceptionem] fecimus ei manu nostra roboratam dare, ut ubicumque, ubi et ubi, ambulare videtur, cum nostro amore vel sub nostro mundeburdio [2] et defensione quietus vel conservatus esse debeat, in ea ratione ut iustitiam reddat et similiter iustitiam accipiat. Et si aliqua causatio vel necessitas ei advenerit, que per legem definiri non potuerit, usque ante nos quietus vel conservatus esse debeat, quot ipse quam qui per ipsum sperare videntur, ut ei nullus ullam contrarietatem vel damnationem adversus eum facere non debeat, nisi ut omni tempore sub nostro mundeburdio vel defensione quietus vel conservatus residere debeat. Et ut certius credatur, manu propria subter firmavi et de anulo nostro subter sigillavimus [3]. (MGH Epist. sel. I, 36 ss.).

**204.** *Epist.* 23. Venerando et amando antestiti Bonifatio Daniel [4] plebi Dei famulus. Quamvis mi frater consacerdosque carissime, te primam virtutum promereri gaudeam palmam, qui saxea steriliaque actenus gentilium corda fidei magnitudine fretus fiducialiter adgrediendo vomere evangelice predicationis infatigabiliter subigens in glebas fertiles cotidiano labore convertere niteris, ut vere tibi aptari profeticum evangelicumque dictum possit : « Vox clamantis in deserto » et cetera : tamen secunde portio palme non incongrue ipsis etiam prestabitur, qui tam pio, tam salubri operi congratulando quibus valent subsidiis favent eorumque indigentiam competentibus amminiculis supplent quo alacris ceptum predicationis opus et sequentes Christo generare filios studeant. Unde et devota benivolentia pauca tuae suggerere prudentiae curavi, quo magis advertas, secundum meum sensum qua potissimum ratione ob-

---

(1) Conf. Gregorii II epistulam, qua Bonifatium Karolo commendat (ep. 20) et supra n. 197-*a*, 198.

(2) Conf. chartas de mundeburdio regis in Formulis Marculfi MGH LL 5, p. 58, n. 24 et p. 111, n. 2.

(3) Data a. 723.

(4) Wintoniae (Winchester) episcopus (705-745).

stinationem agrestium convincere promptus queas. Neque enim contraria eis de ipsorum quamvis falsorum deorum genealogia astruere debes, [sed] secundum eorum opinionem quoslibet ab aliis generatos per conplexum mariti ac femine concede eos asserere, ut saltim modo hominum natos deos ac deas homines potius, non deos fuisse et cepisse, qui ante non erant, probes. Cum vero initium habere deos utpote alios ab aliis generatos coacti didicerint, item interrogandi, utrum initium habere hunc mundum an sine initio semper exstitisse arbitrentur. Si initium habuit, quis hunc creavit? Cum procul dubio ante constitutionem saeculi nullatenus genitis diis inveniunt subsistendi vel habitandi locum; mundum enim non hanc visibilem tantum celum et terram, sed cuncta etiam extenta locorum spatia, que ipsi quoque pagani suis imaginare cogitationibus possunt dico. Quodsi sine initio semper extitisse mundum contenderint, quod multis refutare ac convincere documentis argumentisque stude: tamen altercantes interroga, quis ante natos deos mundo imperaret, quis regeret? Quomodo autem suo subdere dominatui vel sui iuris facere mundum ante se semper subsistentem potuerunt? Unde autem vel a quo vel quando substitutus aut genitus primus deus vel dea fuerat? Utrum autem adhuc generare deos deasque alios aliasque suspicantur? Vel, si iam non generant, quando vel cur cessaverunt a concubitu et partu; si autem adhuc generant, infinitus iam deorum effectus numerus est. Et quisnam inter tot tantosque potentior sit, incertum mortalibus est et valde cavendum, ne in potentiorem quis offendat. Utrum autem pro temporali ac presenti an potius pro aeterna et futura beatitudine colendi sint, arbitrantur? Si pro temporali, in quo iam feliciores pagani christianis sunt, dicant. Quid autem se suis conferre sacrificiis lucri diis suspicantur pagani cuncta sub potestate habentibus? Vel cur in potestate sibi subiectorum fieri permittunt ipsi dii, quod ipsis tribuant? Si talibus indigent, cur non ipsi magis potiora eligunt? Si autem non indigent, superflue iam talibus hostiarum conlationibus placere se posse deis putant. Haec et his similia multa alia, quae nunc enumerare longum est, non quasi insultando vel inritando eos, sed placide ac magna obicere moderatione debes. Et per intervalla nostris, id est christianis, huiuscemodi conparandae sunt dogmatibus superstitiones et quasi e latere tangende, quatenus magis confuse quam exasperate pagani erubescant pro tam absurdis opinionibus et

ne nos latere ipsorum nefarios ritus ac fabulas estimant. Hoc quoque inferendum: Si omnipotentes sunt dii et benefici et iusti, non solum suos remunerant cultores, verum etiam puniunt contemptores. Et si hec utraque temporaliter faciunt, cur ergo parcunt christianis totum pene orbem ab eorum cultura avertentibus idolaque evertentibus? Et cum ipsi, id est christiani, fertiles terras vinique et olei feraces ceterisque opibus habundantes possident provincias, ipsis autem, id est paganis, frigore semper rigentes terras cum eorum diis reliquerunt, in quibus iam tamen toto orbe pulsi falso regnare putantur. Inferenda quoque sepius eis est orbis auctoritas christiani; in quorum conparatione ipsi paucissimi in vanitate antiqua adhuc perseverant. Et ne quasi de legitimo semper a principio super ipsas gentes deorum iactitent imperio, intimandum eis cunctum prius mundum idolorum deditum culturae, donec Christi gratia veri omnipotentis conditoris rectoris uniusque Dei notitia inluminatus vivificatus reconciliatusque Deo est. Nam, quod aput christianos fidelium cotidie baptizantur filii, quid aliud faciunt, nisi a sorde et reatu gentilitatis, quo totus olim constitutus mundus est, per singulos eos purgant? ...

(MGH Epist. sel. I, 38 ss.).

**205.** *Epist.* 28. Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo ad inluminationem gentis Germanie vel circumquaque in umbra mortis morantibus gentibus in errore costitutis ab hac apostolica Dei ecclesia directo Gregorius [1] servus servorum Dei. Magna nos habuit gratulatio lectis sanctissime fraternitatis tuae literis, cum in eis relecta serie fuisset repertum domini nostri Iesu Christi gratia plurimos te a gentilitate et errore ad vere fidei agnitionem convertisse. Quod quia divina institutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia V fuisse lucratum, in talis commercii lucro cum tota plaudemus Ecclesia. Hinc iure tibi sacri pallei direximus munus, quod beati Petri apostoli auctoritate suscipiens induaris atque inter archiepiscopos unus Deo auctore precipimus ut censearis. Qualiter enim eum utaris, ex mandato apostolico informatus cognosces, ita ut, dum missarum sollempnia geris vel episcopum te contingerit consecrare, illo tantummodo tem-

---

[1] Gregorius III (731-741).

pore eum utaris. Quia vero turbas Domini gratia in eisdem partibus ad rectam fidem asseruisses conversos, nequ're te occurrere omnibus ea quae salutis sunt impendere aut intimare, cum iam longe lateque gratia Christi eius fides in illis partibus propagetur : precipimus, ut iuxta sacrorum canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore apostolicae sedis debeas ordinare episcopos, pia tamen contemplatione, ut non vilescat dignitas episcopatus. Presbiterum namque, quem preterito asseruisti anno ad nos advenisse nostroque iudicio fuisse a suis nefariis absolutum actionibus, credas neque nobis confessiones aliquas fecit nec a nobis, ut suos expleat libitus, absolutus et. Sed si eum errori deditum reppereris, hunc apostolicae sedis vigore ut iuxta sanctorum canonum censura corrigas precipimus et emendes, vel si quos forsan tales inveneris. Ille enim veniens : « Presbiter sum » ait; commendaticias apud filium nostrum Carolum litteras expetiit. Nullam illi aliam concessimus licentiam. Quem vitari, si prave conversatur, cum reliquis volumus. Eosdemque, quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus. Inter ea agrestem caballum aliquantos adiunxisti comedere, plerosque et domesticum. Hoc nequaquam fieri deinceps sanctissime sinas frater, sed, quibus potueris Christo iuvante modis, per omnia conpesce et dignam eis interdicito paenitentiam; inmundum enim est atque execrabile. Pro oboeuntibus quippe consoluisse dinosceris, si liceat oblationes offerre. Sancta sic tenet Ecclesia, ut quisque pro suis mortuis vere christianis offerat oblationes atque presbiter eorum faciat memoriam. Et quamvis omnes peccatis subiacemus, congruit, ut sacerdos pro mortuis catholicis memoriam faciat et intercedat. Non tamen pro impiis, quamvis christiani fuerint, tale quid agere licebit. Nam et eos, qui se dubitant fuisse baptizatos an non vel qui a presbitero Iovi mactanti et immolaticias carnes vescenti, ut baptizentur, precipimus. Progeniem vero suam quemque usque ad septimam observare decernimus generationem. Et si valueris, devita, ne amplius cui mulieres obierint, duabus debeat copulari. De his vero dicimus, qui patrem matrem fratrem aut sororem occiderint, ut toto vitae suae tempore corpus non suscipiat Dominicum nisi sui temporis exitu pro viatico. Abstineat enim se et a carnis commestione et potu vini, donec advixerit; ieiunet secundam et quartam et sextam ferias et sic possit deflens diluere commissum scelus. Nam et

hoc inter alia discrimen agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum paganis sua venundent mancipia. Hoc ut magnopere corrigere debeas, frater, commendemus, nec sinas fieri ultra; scelus enim est et impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrati sunt, similem homicide indices penitentiam. Ut quoties episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum episcopi, ut Deo sit gratum quod geritur, ut eis convenientibus ipsisque presentibus consecres. Haec te karissime frater, diligenter observare volumus et studio pietatis coeptum negotium salutis exsequere, ut de lucro adportato valeas a domino Deo nostro mercedem percipere in aeterna beatitudine. Privilegium vero iuxta quod petisti facientes his iunctum direximus optantes te domini Dei nostri presidio de conversione errantium Christo Deo nostro plenissimum atque integrum adportare lucrum. *Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater* (1).

(MGH Epist. sel., I, 49 ss.).

**206.** *Epist.* 45. Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Gregorius servus servorum Dei. ... Igitur quia indicasti perrexisse te ad gentem Baioariorum et invenisse eos extra ordinem ecclesiasticum viventes, dum episcopos non habebant in provincia nisi unum nomine Uiuilo, quem nos ante tempus ordinavimus, et quia cum assensu Otile ducis eorundem Baioariorum seu optimatum provinciae illius tres alios ordinasses episcopos et in quattuor partes provinciam illam divisistis (2), id est IIII parrochiae, ut unusquisque episcopus suum habeat parrochium: bene et satis prudenter peregisti, fratrer, quoniam apostolicam preceptionem ex nostra vice implesti et, sicut tibi precepimus, ita peregisti. Itaque non desinas, frater reverentissime, docendo eos sanctam catholicam et apostolicam Romane sedis traditionem, ut inluminentur rudes et viam salutis teneant, per quam possint ad aeterna premia pervenire. Presbiteros vero, quos ibidem repperisti, si incogniti fuerint viri illi, a quibus sunt ordinati, et

(1) Data a. c. 732.

(2) Scil. dioeceses Patavina (Passau) cui praepositus est Vivilo, Ratisbonensis, quam accepit Gaubaldus, Salisburgensis cui Iohannes, et Frisingensis cui Erimbertus, s. Corbiniani frater, praepositus est.

dubium est eos episcopos fuisse an non, qui eos ordinaverunt : si bone actionis et catholici viri sunt ipsi presbiteri et in ministerio Christi omnemque legem sanctam edocati, apti, ab episcopo suo benedictionem presbiteratus suscipiant et consecrentur et sic ministerio sacro fungantur. Illi quippe, qui baptizati sunt per diversitate et declinatione linguarum gentilitatis, tamen, quod in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus inpositionis et sacri crismatis confirmari. Nam Uiuilo episcopus a nobis est ordinatus. Et si aliquid excedit extra canonicam regulam, doce et corrige eum iuxta Romane ecclesiae traditionem, quam a nobis acceptisti. De concilio vero, ut iuxta ripam Danuuii debeas celebrare nostra vice, precipimus fraternitati tuae apostolica auctoritate te ibidem presentari. Et in quantum Dominus tibi vires dederit, predicare verbum salutis non cesses, ut religio christiana in nomine Domini crescat et multiplicetur. ... Data IIII Kal. Nov. imperante domno piissimo augusto Leone a Deo coronato magno imperatore anno XXIII, post consulatum eius anno XXIII, sed et Constantino magno imperatore eius filio anno XX, indictione VIII [1].

(MGH Epist. sel. I, 71 ss.).

**207.** *Epist.* 46. Universis reverentissimis coepiscopis, venerabilibus presbiteratus candidatis gratia, diaconibus, canonicis clericis, vero gregi Christi prelatis abbatibus seu abbatissis, humillimis et pro Deo subditis monachis, consecratis et Deo devotis virginibus et cunctis consecratis ancillis Christi, immo generaliter omnibus catholicis Deum timentibus de stirpe et prosapia Anglorum procreatis, eiusdem generis vernaculus, universalis ecclesiae legatus Germanicus et servus sedis apostolice Bonifacius qui et Uuynfrethus sine praerogativa meritorum nominatus archiepiscopus humillimae commonionis et sincerissimae in Christo caritatis salutem. Fraternitatis vestrae clementiam intimis obsecramus precibus, ut nostrae parvitatis in orationibus vestris memores esse dignemini, ut liberemur a laqueo venantis satanae et ab inportunis et malis hominibus, et « sermo Domini currat et clarificetur », et ut praecibus pietatis vestrae impetrare studeatis, ut Deus et Dominus noster Iesus

---

[1] a. 739, oct. 29.

Christus, « qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem Dei venire », convertat ad catholicam fidem corda paganorum Saxonum, et respiscant a diabuli laqueis, a quibus capti tenentur, et adgregentur filiis matris Ecclesiae. Miseremini illorum, quia et ipsi solent dicere : « De uno sanguine et de uno osse sumus », recordantes, quia adpropinquat via universae terrae, et nemo in inferno confitebitur Domino neque mors laudabit eum; et adpropinquat via universae terrae. Et scitote, quod in hac prece duorum pontificum Romanae ecclesiae adstipulationem et consensum et benedictionem accepi. Agite nunc de hac obsecratione nostra, ut mercedis vestrae praemia in superna curia Angelorum clarescant et crescant. Unitatem et commonionem dilectionis vestrae valentem ac proficientem in Christo creator omnipotens aeternaliter custodiat [1]. (MGH Epist. sel. I, 74 s.).

**208.** *Epist.* 50. Domino karissimo summi pontificatus infula predito viro apostolico Zachariae [2] Bonifatius servus servorum Dei. Confitemur domine pater, quia postquam per nuntios referentes audivimus, quod venerande memoriae apostolatus vestri precessor Gregorius pontifex apostolicae sedis ergastulo corporeo absolutus ad Dominum migravit, quod maiorem laetitiam et maius gaudium nobis non audivimus et suspansis ad aethera palmis Deo gratias egimus, quam quod clementem paternitatem vestram altissimus arbiter canonica iura regere et apostolicae sedis gubernacula gubernare concessit. Ergo non aliter quam ut ante vestigia vestra geniculantes intimis subnixe flagitamus precibus, ut, sicut precessorum vestrorum pro auctoritate sancti Petri servi devoti et subditi discipuli fuimus, sic et vestrae pietatis servi oboedientes subditi sub iure canonico fieri mereamur. Optantes catholicam fidem et unitatem Romane ecclesiae servando; et quantoscumque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad oboedientiam apostolicae sedis invitare et inclinare non cesso. Necesse quoque habemus indicare paternitati vestrae, quia per Dei gratiam Germaniae populis aliquantulum percussis vel correctis tres ordinavimus episcopos et provinciam in tres parrochias discrevimus; et illa tria oppida sive urbes, in quibus constituti et ordinati sunt, scri-

(1) Data a. c. 738.

(2) AA. 741-752.

ptis auctoritatis vestrae confirmari et stabiliri precantes desideramus. Unam esse sedem episcopatus decrevimus in castello, quod dicitur Uuirzaburg; et alteram in oppido, quod nominatur Buraburg; tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit iam olim urbs paganorum rusticorum. Haec tria loca propria carta auctoritate apostolatus vesti roborare et confirmare diligenter postulamus (1), ut, si Dominus voluerit per auctoritatem et preceptum sancti Petri iussionibus apostolicis fundate et stabilite sint tres in Germania episcopales sedes, et ut presentes vel futurae generationes non presumant vel parrochias corrumpere vel violare preceptum apostolicae sedis. Notum similiter sit patertati vestrae, quod Carlomannus dux Francorum me arcessitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum, quae in sua est potestate, synodum cepere congregare. Et promisit se de ecclesiastica religione, que iam longo tempore, id est non minus quam per LX vel LXX annos, calcata et dissipata fuit, aliquid corrigere et emendare vellet. Quapropter si hoc Deo inspirante veraciter implere voluerit, consilium et preceptum vestrae auctoritatis id est apostolicae sedis, habere et sapere debeo. Franci enim, ut seniores dicunt, plus quam per tempus octuginta annorum synodum non fecerunt nec archiepiscopum habuerunt nec aecclesiae canonica iura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates episcopales sedes tradite sunt laicis cupidis ad possidendum vel adulteratis clericis scortatoribus et publicanis seculariter ad perfruendum. Nam si per verbum vestrum hoc negotium duce rogante supradicto movere et incipere debeo, praeceptum et iudicium apostolicae sedis cum canonibus ecclesiasticis presto habere cupio. ... Et quia carnales homines idiote, Alamanni vel Baioarii vel Franci, si iuxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quae nos prohibemus, licitum et concessum a sacerdotibus esse putant et nobis inproperium deputant, sibi scandalum vite accipiunt. Sicut adfirmant se vidisse annis singulis in Romana urbe et iuxta ecclesiam sancti Petri in die vel nocte, quando Kalende Ianuarii in-

(1) Conf. chartas confirmationis Zachariae papae a. 743 in coll. epist. s. Bonifatii nn. 52 et 53.

trant, paganorum consuetudine chorus ducere per plateas et adclamationes ritu gentilium et cantationes sacrilegas celebrare et mensas illa die vel nocte dapibus onerare et nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo prestare velle. Dicunt quoque se vidisse ibi mulieres pagano ritu filacteria et ligaturas et in brachiis et cruris ligata habere et publice ad vendendum venales ad conparandum aliis offerre. Quae omnia, eo quod ibi a carnalibus et insipientibus videntur, nobis hic inproperium et inpedimentum predicationis et doctrine perficiunt. De talibus ait apostolus increpans: « Dies observatis et tempora; timeo, ne sine causa laboraverim in vobis ». Et sanctus Augustinus dixit: « Nam qui dictis malis, id est carais et divinis et aruspicibus vel filacteriis et aliis quibuslibet auguriis crediderit, etsi ieiunet, etsi oret, etsi iugiter ad ecclesiam currat, etsi largas elymosinas faciat, etsi corpusculum suum in omni adflictione cruciaverit, nihil ei proderit, quamdiu sacrilegia illa non relinquerit ». Nam si istas paganias ibi paternitas vestra in Romana urbe prohibuerit, et sibi mercedem et nobis maximum profectum in doctrina aecclesiastica proficerit. Episcopi quoque et presbiteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu episcopatus vel presbiterii fornicationum filii nati arguunt, revenientes ab apostolica sede dicunt sibi Romanum pontificem licentiam dedisse ministerium episcopale in aecclesia ministrare. Quos contra contendimus, quia apostolicam sedem contra decreta canonum nequaquam audivimus iudicasse. Haec omnia, domine karissime, propterea nota vobis facimus, ut vestrae auctoritatis responsum talibus dare possimus, ut per cautelam vestrae doctrine oves aecclesiae non seducantur, sed lupi rapaces convicti et superati pereant. Interea munuscula parva vobis direximus non quia digna sint paternitati vestrae, sed pro indicio caritatis et oboedientiae devotionis, id est uuillosam unam et argenti et auri tantillum. Dextera Domini protegente incolomem valere et in Christo proficere beatitudinem vestram in longitudine dierum optamus. ...

(MGH Epist. sel. I, 80 ss.).

209. *Epist.* 56. *Karlmanni principis capitulare* (21 April. 742). In nomine domini nostri Iesu Christi. Ego Karlmannus dux et princeps Francorum anno ab incarnatione Christi septingentesimo XLII, XI. Kalendas Maias cum consilio servorum Dei et optimatum meorum episcopos, qui in regno

meo sunt, cum presbiteris et concilium et synodum pro timore Christi congregavi, id est Bonifatium archiepiscopum et Burghardum et Reginfredum et Uuintanum et Uuilbaldum et Dadanum et Eddanum (1) cum presbiteris eorum, ut mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei et ecclesiastica religio recuperetur, quae in diebus preteritorum principum dissipata corruit, et qualiter populus christianus ad salutem anime pervenire possit et per falsos sacerdotes deceptus non pereat.

*Cap. 1.* Et per consilium sacerdotum et optimatum meorum ordinavimus per civitates episcopos et constituimus super eos archiepiscopum Bonifatium, qui est missus sancti Petri. Statuimus per annos singulos synodum congregare, ut nobis presentibus canonum decreta et Ecclesiae iura restaurentur et religio christiana emendetur. Et fraudatas pecunias ecclesiarum ecclesiis restituimus et reddidimus. Falsos presbiteros et adulteros vel fornicatores diaconos et clericos de pecuniis ecclesiarum abstulimus et degradavimus et ad poenitentiam coegimus.

*Cap. 2.* Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibuimus nisi illi tantummodo, qui propter divinum ministerium, missarum scilicet sollempnia adimplenda et sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt. Id est unum vel duos episcopos cum capellanis presbiteris princeps secum habeat, et unusquisque prefectus unum presbiterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare et indicare penitentiam possint. Necnon et illas venationes et silvaticas vagationes cum canibus omnibus servis Dei interdiximus; similiter, ut acceptores et uualcones non habeant.

*Cap. 3.* Decrevimus quoque secundum Sanctorum canones, ut unusquisque presbiter in parrochia habitans episcopo subiectus sit illi, in cuius parrochia habitet.

---

(1) S. Burchardus Wirceburgensis episcopus, ob. 754 (conf. BHL 1483-1485); Reginfredus, Coloniensis episcopus; Wintanus, episcopus Buraburgensis (conf. supra n. 208); S. Willibaldi sedes ignota, ab a. 743 fuit episcopus Eichstettensis, ob. c. a. 786, conf. BHL 8931; Dadanus, forte Erfurtensis episcopus; Heddo, iam Augiae abbas, tunc episcopus Argentoratensis.

Et semper in quadragesima rationem et ordinem ministerii sui sive de baptismo sive de fide catholica sive de precibus et ordine missarum episcopo reddat et ostendat. Et quandocumque iure canonico episcopus circumeat parrochiam populos ad confirmandos, presbiter semper paratus sit ad suscipiendum episcopum cum collectione et adiutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in cena Domini semper novum crisma ab episcopo quaerat, ut episcopum testis adsistat castitatis et vitae et fidei et doctrinae illius.

*Cap. 5.* Decrevimus, ut secundum canones unusquisque episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adiuvante grauione qui defensor ecclesiae est, ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnes spurcitias gentilitatis abiciat et respuat, sive sacrificia mortuorum sive sortilegos vel divinos sive filacteria et auguria sive incantationes sive hostias immolaticias, quas stulti homines iuxta ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum Deum et suos sanctos ad iracundiam provocantes, sive illos sacrilegos ignes, quod niedfeor vocant, sive omnes, quaecumque sunt, paganorum observationes diligenter prohibeant.

*Cap. 7.* Decrevimus quoque, ut presbiteri vel diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur, ritu servorum Dei, et nullus in sua domu mulierem habitare permittat. Et ut monachi et ancille Dei monasteriales iuxta regulam sancti Benedicti ordinare et vivere, vitam propriam gubernare studeant. (MGH Epist. sel. I, 98 ss.).

**210.** *Karlmanni principis capitulare Liftinense.* (1. Mart. 743). *Cap. 1.* Modo autem in hoc synodali conventu, qui congregatus est ad Kalendas Martias in loco qui dicitur Liftinas [1], omnes venerabiles sacerdotes Dei et comites et prefecti prioris synodus decreta consentientes firmaverunt, se implere velle et observare promiserunt. Et omnis ecclesiastici ordinis clerus, episcopi et presbiteri et diaconi cum clericis suscipientes antiquorum patrum canones promiserunt se velle ecclesiastica iura moribus et doctrinis et ministerio recuperare. Abbates et monachi receperunt sancti patris Benedicti regulam ad restaurandam normam regularis vitae. Fornicatores et adulteros clericos, qui sancta loca vel

---

[1] Estinnes.

monasteria ante tenentes coinquinaverunt, precipimus inde tollere et ad penitentiam redigere; et si post hanc diffinitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris synodi iudicium sustineant. Similiter et monachi et nonne.

*Cap. 2.* Statuimus quoque cum consilio servorum Dei et populi christiani propter inminentia bella et persecutiones ceterarum gentium, quae in circuito nostro sunt, ut sub precario et censu aliquam partem ecclesialis pecuniae in adiutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est duodecim denarii, ad ecclesiam vel monasterium reddatur eo modo ut, si moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, ecclesia cum propria pecunia revestita sit. Et iterum, si necessitas cogat, ut princeps iubeat, precarium renovetur et rescribatur novum. Et omnino observetur, ut ecclesiae vel monasteria penuriam et paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario prestita sit; sed si paupertas cogat, ecclesiae et domui Dei reddatur integra possessio. ...

(MGH Epist. sel. I, 101 s.).

**211.** *Epist.* 58. Reverentissimo et sanctissimo fratri Bonifatio coepiscopo Zacharias servus servorum Dei. Suscipientes sanctissime fraternitatis tuae litteras per presentium gerulum et relegentes quae in eis continebantur in exstasi quadam incidimus et admiratione magna, eo quod nimis reperte sint dissonare ab eis syllabis, que a tua directe sunt fraternitate per elapsum Augustum mensem. Ubi nobis indicasti, quod et concilium adiuvante Deo et Carlomanno prebente consensu et contestante factum est et qualiter falsos sacerdotes, qui divinum non erant digni attrectare ministerium, a sacro munere suspendisti et, quia tres archiepiscopos per singulas metropolim ordinasses, reseruisti, id est Grimonem in civitate, quae dicitur Rodoma, secundum vero Abel in civitate, quae dicitur Remorum, tertium denique Hartbertum in civitate, quae dicitur Sennis. Qui et apud nos fuit et tua nobis pariter et Carlomanni atque Pipini detulit scripta, per quae suggessistis, ut tria pallea hisdem tribus prenominatis metropolitanis dirigere deberemus; quod et largiti sumus pro adunatione et reformatione ecclesiarum Christi. Nunc autem denuo tuas suscipientes syllabas valde sumus, ut diximus, mirati, eo quod antea nobis una cum memoratis principibus Galliarum pro tribus palliis suggessisti et post-

ea pro solo Grimone. Sed volumus, ut nobis tua indicet fraternitas, cur nobis ita direxisti antea pro tribus et postmodum pro uno, ut et nos certi redditi ex hoc nulla in nobis sit ambiguitas. Repperimus etiam in memoratis tuis litteris, que nimis nostros animos conturbavit, quod talia a te nobis referantur, quasi nos corruptores simus canonum et patrum rescindere traditiones queramus ac per hoc, quod absit, cum nostris clericis in simoniacam heresim incidamus accipientes et conpellentes, quorum pallia tribuimus, ut nobis premia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed, karissime frater, ortamur sanctitatem tuam, ut nobis deinceps tale aliquid minime tua fraternitas scribat, quia fastidiosum a nobis et iniuriosum sùscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omnimodo detestamur. Absit enim a nobis et a nostris clericis, ut donum, quem per Spiritus sancti gratia suscepimus, precio venundemus. Dum et illa tria pallia, que te suggerente, ut prediximus, sumus largiti, nullum ab eis quispiam commodum expetiit. Insuper et charte, que secundum morem a nostro scrinio pro sua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de nostro concessimus nihil ab eis auferentes. Absit, vel si quidem a tua fraternitate criminis nobis simoniaci obicitur nomen : anathematizantes namque omnes, quicumque ausi fuerint donum sancti Spiritus precio venundare. Suggessisti etiam nobis per alia tua scripta, quod in Baioaria unum repperisses falsum sacerdotem, qui et adfirmabat, quod a nobis fuisset episcopus ordinatus. Et tua hoc fraternitas optime egit, dum ei non credidit, quia falsus homo omnia false suggessit, et falsum repperiens sacerdotio suspendi. Sic etenim auctoritate beati Petri apostolorum principis tibi precipimus, ut, quemcumqe reppereris sacris canonibus deviare, nulla ratione patiaris sacrum ministerium obtrectare. Et quia, si deberes in Baioarie provinciam ius habere predicationis, sciscitasti, an non, quam a decessore nostro habuisti concessam : nos denique auxiliante Deo de ea, quae tibi largitus est decessor et predecessor noster, non minuimus, sed augemus. Et non solum Baioariam, sed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina iusserit superesse maiestas, nostra vice per predicationem tibi iniunctam, que reppereris contra christianam religionem vel canonum instituta, spiritaliter stude ad normam rectitudinis reformare. *Deus te incolumem custodiat, reverentissime et sanctissime frater.* Data Nonas Novembris, imperante domno piissimo augusto Artauasdo a Deo coronato

magno imperatore anno III, post consulatum eius anno III, sed et Nicapharo magno imperatore eius filio anno III, indictione XIII (1). (MGH Epist. sel. I, 105 ss.).

**212.** *Concilium Romanum.* (745 mens. Octobr.). In nomine domini nostri Iesu Christi. Imperante domno piissimo Augusto Constantino imperatore anno XXVI, post consulatum eius anno V, mense Octobri die vicesima quinta, indictione XIIII. Presedente sanctissimo ac beatissimo domno Zacharia papa in patriarchio Lateranense, in basilica quae appellatur Theodori, consedentibus autem cum eo sanctissimis episcopis Epiphanio Silva Candida, Benedicto Nomento, Venantio Penestre, Gregorio Portuense, Niceta Gabiis, Theodoro Ostense, Gratioso Villitrias, seu venerabilibus presbiteris, id est Iohanne archipresbitero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordanne, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Eustathio, Procopio atque Theophanio: Prepositis in medio sacrosanctis evangeliis, adstantibus quoque diaconibus vel cuncto clero Gregorius notarius regionarius et numenculator dixit: «Deneardus religiosus presbiter legatus Bonifatii sanctissimi archiepiscopi provinciae Germaniae directus apud vestrum sanctum apostolatum prae velo est et petit se ingredi. Quid precipitis?». Dictum est: «Ingrediatur». Cumque ingressus fuisset, Zacharias sanctissimus ac beatissimus papa sanctae Dei catholicae atque apostolicae urbis Rome dixit: «Ante hos dies syllabas reverentissimi atque sanctissimi fratris nostri Bonifatii archiepiscopi nobis retulisti, per quas nobis quae oportuna ei visa sunt indicavit. Quid ergo denuo nostris secretariis te ingredi postulasti?». Deneardus religiosus presbiter dixit: «Domine mi, dum iuxta sancti apostolatus praeceptionem meus dominus Bonifatius episcopus famulus pietatis vestrae in provincia Francorum synodum aggregasset et repperisset illic falsos sacerdotes, hereticos et scismaticos, id est Aldebertum et Clementem, sacerdotio privans una cum principibus Francorum retrudi fecit in custodiam. Illi autem non in paenitentia degunt, ut iudicatum est, sed e contrario adhuc populum seducent. Pro quo et hanc epistolam praefati mei domini, quam manibus gero, vestro sancto apostolatui missus offero, ut eam coram sacrosancto

(1) a. 744, Nov. 5.

concilio relegi faciatis ». Dictum est : « Suscipiatur epistola et coram nostra presentia relegatur ». Et accipiens Theophanius notarius regionarius et saccellarius relegit in his sermonibus :

« Excellentissimo patri atque apostolico pontifici et ex auctoritate sancti Petri principis apostolorum magisterio freto, Zachariae papae Bonifatius exiguus servus servorum Dei optabilem in Christo karitatis salutem. Postquam me ante annos prope XXX sub familiaritate et servitio apostolicae sedis annuente et iubente venerandae memoriae antestite apostolico Gregorio anteriore voto constrinxi, quicquid mihi laetitiae vel tristitiae acciderat, apostolico pontifici solebam indicare, ut in letis simul laudaremus Deum et in tristibus eius consilio roborarer. Ita et nunc mihi vobis liceat. Pietati vestrae supplico, sicut scriptum est : « Interroga patrem tuum, et adnuntiabit tibi, seniores tuos, et dicent tibi ». Notum enim sit paternitati vestrae, quia, postquam indigno mihi mandastis in provincia Francorum, sicut et ipsi rogaverunt, sacerdotali concilio et sinodali conventui preesse, multas iniurias et persecutiones passus sum, maxime semper a falsis sacerdotibus, ab adulteratis presbiteris seu diaconibus et fornicariis clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hereticos pessimos et publicos et blasphemos contra Deum et contra catholicam fidem. Unus, qui dicitur Eldebert, natione generis Gallus est, alter, qui dicitur Clemens, genere Scottus est; specie erroris diversi, sed pondere peccatorum conpares. Contra istos, obsecro apostolicam auctoritatem vestram, quod meam mediocritatem defendere et adiuvare et per scripta vestra populum Francorum et Gallorum corrigere studeatis, ut hereticorum fabulas et vana prodigia et signa precursoris antikristi non sectantur, sed ad canonica iura et ad viam vere doctrinae convertantur et ut per verbum vestrum isti heretici duo mittantur in carcerem, si vobis iustum esse videatur, cum vitam et doctrinam illorum vobis intimavero. Et nullus cum eis loquatur, communionem habeat, ne forte fermento doctrine illorum fermentatus aliquis pereat; sed segregati vivant et iuxta dictum apostoli « huiusmodi traditi satane in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini », et iuxta evangelicum preceptum, « dum Ecclesiam non audierunt, sint nobis sicut ethnici et publicani », donec discant non blasphemare nec scindere tonicam Christi. Propter istos enim persecutiones et inimicitias et maledictiones multorum populorum patior, et Ecclesia Christi impedimentum fidei et doctrinae recte sustinet. Dicunt enim de Aldebercto, quod eis sanc-

tissimum apostolum abstulissem, patronum et oratorem et virtutum factorem et signorum ostensorem abstraxissem. Sed pietas vestra audiens vitam eius iudicet ex fructu, utrum vestimentis ovium indutus, intus autem lupus rapax fuisset an non. In primeva enim aetate ypochrita fuit dicens, quod sibi angelus Domini in specie hominis de extremis finibus mundi mire et tamen incerte sanctitatis reliquias attulisset, et exinde potuisset omnia, quaecumque poposceret, a Deo impetrare. Et tunc demum per illam simulationem, sicut apostolus Paulus predixit, « penetravit multorum domos et captivas duxit post se mulierculas oneratas peccatis, quae ducebantur variis desideriis », et multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir apostolice sanctitatis et signa et prodigia multa fecisset. Deinde conduxit episcopos indoctos, qui se contra precepta canonum absolute ordinarunt. Tum demum in tantam superbiam elatus est, ut se aequiperaret apostolis Christi. Et dedignabatur in alicuius honore apostolorum vel martyrum ecclesiam consecrare. Et interrogavit, quid voluissent homines visitando limina sanctorum apostolorum. Postea in proprio honore suo dedicavit oratoria vel, ut verius dicam, sordidavit. Fecit cruciculas et oratoriola in campis et ad fontes vel ubique sibi visum fuit et iussit ibi publicas orationes celebrare, donec multitudines populorum spretis ceteris episcopis et dimissis antiquis ecclesiis, in talibus locis conventus celebrabant dicentes : « Merita sancti Aldeberti adiuvabunt nos ». Ungulas suas et capillos dedit ad honorificandum et portandum cum reliquiis sancti Petri principis apostolorum. Tum demum, quod maximum scelus et blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Venienti enim populo et prostrato ante pedes eius et cupienti confiteri peccata sua dixit : « Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulta vestra. Non est opus confiteri, sed dimissa sunt vobis peccata vestra preterita. Securi et absoluti revertimini ad domos vestras cum pace ». Et omnia, quaecumque sanctum evangelium ypochritas fecisse testatur, suo habitu et incessu et moribus imitatus est.

Alter autem hereticus, qui dicitur Clemens, contra catholicam contendit Ecclesiam, canones ecclesiarum Christi abnegat et refutat, tractatus et intellectus sanctorum patrum Hieronimi, Augustini, Gregorii recussat. Synodalia iura spernens, proprio sensu adfirmat se — post duos filios sibi in adulterio natos sub nomine episcopi — esse posse legis Chri-

stiane episcopum. Iudaismum inducens iustum esse iudicat Christiano, ut, si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat uxorem. Qui contra fidem sanctorum patrum contendit dicens, quod Christus filius Dei, descendens ad inferos, omnes, quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos et incredulos, laudatores Dei simul et cultores idulorum. Et multa alia horribilia de predistinatione Dei, contraria fidei catholicae, adfirmat. Quapropter de hoc quoque heretico precor, ut per litteras vestras mandare curetis duci Carlomanno, ut mittatur in custodiam, ut semina satane latius non seminet, ne forsitan una ovis morbida totum gregem polluat. *Valere sanctitatem vestram et prosperis profectibus gaudere in longitudinem dierum optamus* » [1]. ...

(MGH Epist. sel. I, 108 ss.).

**213.** *Epist.* 108. Domino excellentissimo et pre ceteris pontificibus preferendo et amando et apostolatus privilegio predito Stephano [2] pape Bonifatius exiguus episcopus discipulus Romanae ecclesie optabilem in Christo caritatis salutem. Sanctitatis vestrae clementiam intimis ac visceratis obnixe flagito precibus, ut familiaritatem et unitatem sancte sedis apostolice ab almitatis vestrae clementia impetrare et habere merear et in discipulatu pietatis vestrae sedi apostolice serviendo servus vester fidelis ac devotus permanere possim eodem modo, quo ante sub tribus precessoribus vestris apostolice sedi serviebam, venerabilis memoriae duobus Gregoriis et Zacharia, qui me semper hortatione et auctoritate litterarum suarum muniebant et adiuvabant. Quod et pietatem vestram agere deprecor, ut preceptum paternitatis vestrae eo melius perficere et implere possim. Nam si quid in ista legatione Romana, qua per XXX et sex annos fungebar, utilitatis ecclesiae prefate peregi, adhuc implere et augere desidero. Si autem minus perite aliquid aut iniuste a me factum vel dictum repperitur, iudicio Romane ecclesie prumpta voluntate et humilitate emendare me velle spondeo. Interea deprecor, ut pietas domini mei non indignetur, quia tam tarde missum meum et litteras ad

---

[1] Sequuntur gesta sessionis II et III eiusdem synodi; Aldebertus et Clemens ab universo concilio damnantur. Subscribunt Zacharias papa, episcopi et omnes presbiteri titulorum urbis.

[2] Stephanus II (752-757).

presentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit, quia preoccupatus fui in restauratione ecclesiarum, quas pagani (1) incenderunt; qui per titulos et cellas nostras plus quam XXX ecclesias vastarunt et incenderunt. Et haec fuit occasio tarditatis litterarum et appellationis paternitatis vestrae, et non aliqua neglegentiae incuria (2).

(MGH Epist. sel. I, 233 s.).

**214.** *Epist.* 109. Venerando ac diligendo domino apostolatus privilegio predito Stephano pape Bonifatius exiguus legatus vel missus Germanicus catholice et apostolice Romane aecclesiae optabilem in Christo caritatis salutem. Nam tempore Sergii apostolicae sedis pontificis venit ad limina sanctorum apostolorum presbiter quidam mirae abstinentiae et sanctitatis generis Saxonum nomine Uuilbrord (3) et alio nomine Clemens vocatus; quem prefatus papa episcopum ordinavit et ad praedicandam paganam gentem Fresorum transmisit in litoribus oceani occidui. Qui per L annos predicans prefatam gentem Fresorum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana et dilubra destruxit et ecclesias construxit et sedem episcopalem et ecclesiam in honore sancti Salvatoris constituens in loco et castello, quod dicitur Traiectum. Et in illa sede et ecclesia sancti Salvatoris quam construxit, predicans usque ad debilem senectutem permansit. Et sibi corepiscopum ad ministerium implendum substituit; et finitis longeve vite diebus in pace migravit ad Dominum. Princeps autem Francorum Carlmannus commendavit mihi sedem illam ad constituendum et ordinandum episcopum. Quod et feci. Nunc autem Colonensis episcopus illam sedem prefati episcopi Clementis a Sergio papa ordinati sibi usurpat et ad se pertinere dicit propter fundamenta cuiusdam destructe a paganis ecclesiolae, quam Uuilbrordus derutam usque ad solum in castello Traiecto repperit et eam proprio labore a fundamento construxit et in honore sancti Martini consecravit. Et refert, quod ab antiquo rege Francorum Dagobercto (4) castellum Traiectum cum destructa ecclesia ad Colonensem parrochiam donatum in ea conditione fuis-

---

(1) Saxones scil.

(2) Scripta a. 752.

(3) Vide supra n. LII, 197 et 197-*a*.

(4) Dagobertus I (623-639).

set, ut episcopus Colonensis gentem Fresorum ad fidem Christi converteret et eorum predicator esset. Quod et ipse non fecit. Non predicavit, non convertit Fresos ad fidem Christi, sed pagana permansit gens Fresorum, usque quod venerandus pontifex Romane sedis Sergius supradictum servum Dei Uuilbrordum episcopum ad predicandum supradicte genti transmisit; qui illam gentem ut prefatus sum, ad fidem Christi convertit. Et modo vult Colonensis episcopus sedem supradicti predicatoris Uuilbrordi sibi contrahere, ut non sit episcopalis sedis subiecta Romano pontifici predicans gentem Fresorum. Cui respondebam, ut credidi, quod maius et fortius fieri debeat preceptum apostolice sedis et ordinatio Sergii pape, et legatio venerandi predicatoris Uuilbrordi, ut et fiat sedis episcopalis subiecta Romano pontifici predicans gentem Fresorum, quia magna pars illorum adhuc pagana est, quam destructe ecclesiole fundamenta deruta et a paganis conculcata et per neglegentiam episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit. Sed modo paternitatis vestrae iudicio mihi intimare dignemini. Et si hoc iustum sit responsum et vobis placeat, quod illi Colonensi episcopo reddidi, vestra auctoritate roborate, ut preceptum Sergii papae et sedis illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos, si vobis placet, adiuvare si de scrinio ecclesiae vestrae exemplare iubetis et mihi transmittere, quicquid prefato episcopo Uuilbrordo ordinato sanctus Sergius preciperet et conscriberet, ut ex auctoritate sanctitatis vestrae contradicentes convincere et superare valeam. Si autem aliter iustius sanctitatis vestrae videatur, consilium paternitatis vestrae insinuare mihi dignemini, ut sequar [1].

(MGH Epist. sel. I, 234 ss.).

**215.** *Epist.* 111. Reverentissimo fratri et in amore Christi karissimo Lullo coepiscopo [2] simulque cooperatoribus tuis episcopis et sacerdotibus Dei, quorum nomina in libro vite scripta teneantur, Cuthberhctus [3] servus servorum

---

[1] Ultima est s. Bonifatii epistula, data a. 753.

[2] S. Bonifatii discipulus in Nhutscellensi monasterio, postea, ab a. saltem 739 eius socius in missione Germanica; tandem post Bonifatii martyrium eius successor in Maguntina sede, optime de servandis et colligendis epistulis Bonifatianis meritus est. Obiit a. 786. Conf. BHL 5065-67.

[3] Cantuariae archiepiscopus (740-758).

Dei cum aliis consacerdotibus Christi et presbiteris seu abbatibus aeternae prosperitatis ac pacis in Domino salutem. Profitemur igitur, karissimi, sincerissima intentione coram Deo et electis angelis eius, quia, quandocumque vestram dilectionem pacis ac prosperitatis proventum et sanctae religionis in Christo profectum sacreque exortationis fructum de aliorum conversatione abundantius habere rumigerulis referentibus audimus quod inde satis gaudentes et pro vobis obnixius orantes laeti gratias agimus largitori bonorum omnium Deo. Quando autem aliqua religioni vestrae iniuria facta aut aliquod inrogatum narratur damnum, meror et tristitia nos cruciat, quia nimirum, sicut gaudio vestro in Christo congaudemus, ita et adversitate pro Christo contristati conpatimur. Non enim aliquando in memoria nostra obliterari possunt diversarum atque indefessarum tribulationum angores, quos ut viscera nostra vos ipsi cum Deo dilecto patre nostro beate memoriae Bonifatio martyre inter persecutores paganos et hereticos atque scismaticos seductores in tam periculosa ac ferocitate plena peregrinatione pro amore aeternae patriae longo tempore sustinebatis; et quia illo scilicet per agonem martyrii cum suis plurimis domesticis ad aeternam celestis patriae quietem gloriose feliciterque migrante vos, qui superstites talium estis, forsitan eo periculosius ac difficilius inter diversa temptamenta conversamini, quo tanto patre et doctore ad presens vos orbatos esse constat. ... Unde in generali synodo nostra, ubi et de ceteris omnibus, quae vestrae modo sanctitati paucis depromimus, plenius inter nos conferebamus, eius diem natalicii illiusque cohortis cum eo martyrizantis insinuantes statuimus annua frequentatione sollemniter celebrare: utpote quem specialiter nobis cum beato Gregorio et Augustino et patronum quaerimus et habere indubitanter credimus coram Christo Domino, quem in vita sua semper amavit et in morte, ut ipsius meruit gratia, magnifice clarificavit (1). ...

(MGH Epist. sel. I, 238 ss.).

**216.** *Epist.* 113. Carissimis filiis Denehardo, Eanberhto, Uuinberto, Sigeherio, Sigeualdo Lullus antistes in Domino salutem. Admonemus vos, ut rogetis omnes ibique Deo servientes tam servos Dei quam ancillas Christi in provincia Thy-

(1) Data mox post diem 5 Iunii a. 754.

ringorum universamque plebem, ut in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab inminenti pluviarum flagello liberemur, id est ut unam ebdomadam abstineant se ab omni carne et ab omni potu, in quo mel sit; II feria, IIII feria et VI feria ieiunetis usque ad vesperum; et unusquisque servorum Dei et sanctimonialium L psalmos cantet omni die in illa septimana. Et illas missas, quae pro tempestatibus fieri solent, celebrare vos presbiteri recordamini. Misimus vobis nomen domni Romani episcopi, pro quo unusquisque vestrum XXX missas cantet et illos psalmos et ieiunium iuxta constitutionem nostram (1), similiter pro duobus laicis nomine Megenfrith et Hraban X missas unusquisque vestrum cantet. *Valete in Deo semper.* (MGH Epist. sel. I, 245).

**217.** *Epist.* 118. Pippinus gratia Dei rex Francorum vir inluster domino sancto patri Lullo episcopo. Cognitum scimus sanctitati vestrae, qualem pietatem et misericordiam Deus fecit presenti anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris, post tribulationem autem magnam atque mirabilem consolationem sive habundantiam fructus terre, quae modo habemus. Et ob hoc atque pro alias causas nostras opus est nobis illi gratias agere, quia dignatus est servis suis consolare per eius misericordiam. Sic nobis videtur, ut absque ieiunio indicto unusquisque episcopus in sua parrochia letanias faciat, non cum ieiunio nisi tantum in laude Dei, qui talem nobis habundantiam dedit; et faciat unusquisque homo sua elimosina et pauperes pascat. Et sic providere faciatis et ordinare de verbo nostro, ut unusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. *Valete in Christo* (2). (MGH Epist. sel. I, 254).

## LV. SYNODUS APUD CLOVESHOE (a. 747).

S. Bonifatii zelus non solum in Germaniae et Franciae ecclesiam sed etiam in propriam patriam Angliam se extendebat. A. 746 cum septem episcopis Germaniae in synodo congregatis gravissimam epistulam ad

(1) Conf. infra n. 227 pactum Attiniacense a. 762.
(2) A. 765.

Aethelbaldum Merciorum regem (1) misit (ep. 73), qua eius luxuriam et violentiam in monasteria reprehendit; pari modo in epistula ad Cuthbertum Cantuariae archiepiscopum vitia, quae in ecclesiam Angliae irrepserant, carpit (ep. 78). Eodem anno Zacharias Papa episcopos Angliae severis litteris reprehendit. Synodus mense Septembri a. 747 apud Cloveshoe adunata *canones 30* ad emendandam vitam ecclesiasticorum et laicorum sancivit (A. W. HADDAN et W. STUBBS, Councils and ecclesiastical documents relating to Great Britain and Ireland, III, Oxford 1871, p. 362 ss.; MANSI, XII, 395-408).

**218.** *Synodus Cuthberti Archiepiscopi.* Regnante in perpetuum Domino nostro Ihesu Christo, qui cuncta Patris imperio, ac pariter sancti Spiritus gratia vivificante disponit: haec quae subter habentur synodalia gesta Septembri mensis initio, prope loca quae vocantur Clobeshoas peracta sunt. Praesentibus his Deo dilectis praesulibus ecclesiarum Christi: hoc est honorabili archiepiscopo Cuthberto, et venerabili Hrofensis ecclesiae antistite Dunno, atque reverentissimis episcopis Merciorum Totta et Huita ac Podda; sed et probatissimis praesulibus Occidentalium, Hunferdo et Hereuualdo, venerabilibusque sacerdotibus, Heardulfo Orientalium Anglorum, atque Ecgulfo Orientalium Saxonum, et Milredo Huicciorum; sed et honorabilibus quoque episcopis Aluuiho Lindissae provinciae, atque Sicga Australium Saxonum, anno Dominicae incarnationis DCCXLVII, indictione XV, anno autem regni Aedilbaldi regis Merciorum, qui tunc aderat cum suis principibus ac ducibus, XXXII. Cum igitur ex diversis Britanniae provinciis sacri ordinis praefati praesules, cum plurimis sacerdotibus Domini, et minoribus quoque ecclesiastici gradus dignitatibus, ad locum synodalem cum praedicto venerabili archiepiscopo Cudberto convenerunt. ... Tum etenim post devotam ad invicem salutationem, inprimis a praesidente praefato metropolitano scripta toto orbe venerandi pontificis domni apostolici papae Zachariae (2), in duabus kartis in medium

(1) 716-757. A. 749 « pro expiatione delictorum suorum » privilegio monasteriis et ecclesiis concessit, « ut... a publicis vectigalibus et ab omnibus operibus oneribusque... absoluti maneant », exceptis solum « instructionibus pontium vel necessariis defensionibus arcium contra hostes ». Conf. HADDAN et STUBBS III, 386 s.; alias Aethelbaldi chartas habes in I. M. KEMBLE, *Codex diplomaticus Aevi Saxonici* I, London 1839, p. 75 ss.

(2) Zachariae epistula periit.

prolata sunt, et cum magna diligentia, iuxta quod ipse apostolica sua auctoritate praecepit, et manifeste recitata et in nostra quoque lingua apertius interpretata sunt. ...

Tertio sanxerunt loco : Ut singulis annis unusquisque episcopus parochiam suam pertransiendo, et circumeundo, speculandoque visitare non praesideat, populumque diversae conditionis ac sexus per competentia ad se convocet loca, aperteque doceat, utpote eos qui raro audiunt verbum Dei prohibens et inter caetera peccamina paganas observationes, id est, divinos, sortilegos, auguria, auspicia, fylacteria, incantationes, sive omnes spurcitias impiorum, gentiliumque errata.

Quinto disputatum est loco : Ut episcopi monasteria, si tamen fas est ea ita nominare, quae utique quamvis temporibus istis propter vim tyrannicae quondam avaritiae, ad religionis Christianae statum nullatenus immutari possint, id est, quae a saecularibus, non divinae scilicet legis ordinatione, sed humanae adinventionis praesumptione, utcunque tenentur (1); tamen pro salute animarum in eisdem commorantium, adire debeant, sit necesse; et ut inter caetera exortamenta praevideant, ne sine sacerdotis ministerio aliquod illorum deinceps debilitatum periclitetur, iuvantibus ad hoc eorum possessoribus.

Septimo decreverunt condicto : Ut episcopi, et abbates atque abbatissae om[ni nis]u studeant et diligenti cura provideant, ut per familias suas lectionis studium indesinenter in plurimorum pectoribus versetur, et ad lucrum animarum laudemque Regis aeterni multorum vocibus innotescat; nam dictu dolendum est, quod his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde sacrae scientiae rapiantur amore; et vix aliquid elaborare in discendo voluerint : quin potius a iuvenile aetate vanitatibus diversis, et inanis gloriae cupiditatibus occupantur, atque praesentis vitae instabilitatem plus quam sacrarum Scripturarum assiduitatem vagabunda mente sequuntur. Proinde coherceantur et exerceantur in scholis pueri ad dilectionem sacrae scientiae, ut per hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam Ecclesiae Dei utilitatem, nec sint rectores terrenae tam avidi operationis, ut domus Dei desolatione spiritalis ornaturae vilescat.

Decimo docuerunt decreto : Ut presbyteri omne sui gradus officium legitimo ritu per omnia discant exhibere nos-

(1) Conf. Bedae epistulam ad Egbertum supra pag. 217 s.

se, deinde ut symbolum fidei ac Dominicam orationem, sed et sacrosancta quoque verba quae in missae celebratione, et officio baptismi, solenniter dicuntur, interpretari atque exponere posse propria lingua qui nesciant, discant; necnon et ipsa sacramenta quae in missa ac baptismate, vel in aliis ecclesiasticis officiis conficiuntur, quid spiritaliter significent, et discere studeant; ne vel in ipsis intercessionibus quibus pro populi delictis Deum exorare noscuntur, vel ministerii sui officiis, inveniantur quasi muti et ignari, si non intelligant, nec verborum suorum sensum sacramenta quibus per eos alii ad aeternam proficiunt salutem.

Tertio decimo definitur decreto : Ut uno eodemque modo Dominicae dispensationis in carne sacrosanctae festivitates, in omnibus ad eas rite competentibus rebus, id est in baptismi officio, in missarum celebratione, in cantilenae modo celebrantur, iuxta exemplar videlicet quod scriptum de Romana habemus ecclesia. Itemque ut per gyrum totius anni natalitia Sanctorum uno eodemque die, iuxta martyrologium eiusdem Romanae ecclesiae, cum sua sibi convenienti psalmodia seu cantilena venerentur.

Quinto decimo definierunt capitulo : Ut septem canonicae orationum diei et noctis horae diligenti cura cum psalmodia et cantilena sibimet convenienti observantur, et ut eandem monasterialis psalmodiae parilitatem ubique sectentur, nihilque quod communis usus non admittit, praesumant cantare aut legere, sed tantum quod ex sacrarum Scripturarum auctoritate discendit, et quod Romanae ecclesiae consuetudo permittit, cantent vel legant; quatenus unanimes uno ore laudent Deum. Sed et hoc quoque condixerunt, ut non solum pro se ecclesiastici sive monasteriales, sed etiam pro regibus, et totius populi christiani incolumitate divinae pietatis clementiam exorare, per competentes orationum reminiscant horas.

Vicesimo secundo decretum est capitulo : Ut monasteriales quique, sive ecclesiastici, ammoneantur sacrosanctae communioni corporis et sanguinis Domini dignos se indesinenter praeparare : et ut ipsi rectores diligenti circumspectione considerent, ne aliquis de subditis tam negligenter tamque perdite vivat, et culpis exigentibus, nec altaris participatione sociatur, nec sua curet confiteri et emendare vitia, quod si aliquis talis inveniatur, acrius corripitur.

Vicesimo tertio adiunctum est loco: quod laici pueri similiter hortandi sint, qui nec dum videlicet lascivientis aetatis corruptela sint vitiati, ut saepius communicent, nec non et profectioris quoque aetatis seu celibes, seu etiam coniugati qui peccare desinunt, ad hoc ipsum ammonendi sint, quatenus frequentius communicent (1), ne salutaris cibi potusque inopia deficiant, dicente Domino, « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis manentem ».

(Haddan-Stubbs III, 362 ss.).

## LVI. STEPHANUS II PAPA (752-757).

Quae tempore Gregorii III (2) inceperant relationes inter principes Francorum et Romanum Pontificem a Langobardis vexatum, a Stephano II pontifice per foedus illud celeberrimum inter Pippinum regem et Papam firmatae sunt. Auctor *Vitae* Stephani in LP ampla narratione exponit gesta Stephani II in itinere a. 753/4 in Franciam suscepto. *Epistulae Stephani,* quae supersunt (3), fere omnes ad Pippinum regem datae sunt (4).

**219.** *Vita Stephani.* ... Cumque a Langobardis, ut praelatum est, antiqua Romana urbs et castra universa distringerentur, ita etiam ut et Ciccanense (5) castellum, quod colonorum sanctae Dei ecclesiae existebat, usurparet, illico a regia urbe coniunxit sepefatus Iohannis imperialis silentiarius cum missis ipsius sanctissimi pontificis, deferens secum et quem deportaverant iniqui Langobardorum regis (6) missum, simul

---

(1) Conf. supra pag. 218.

(2) Iam a. 739 Karoli Martelli auxilium contra Langobardos imploraverat, missis legatis et muneribus. Conf. JL 2249-50, Böhmer, *Reg. Imp.* I, p. 19.

(3) Servatae sunt in Codice Carolino, de quo vide infra n. LXIV.

(4) De quatuor privilegiis Fulrado abbati s. Dionysii prope Parisios (JL 2330-34; ML 89, 1013-1018) a Stephano concessis conf. A. Hessel, *Les plus anciennes bulles de St. Denis* in Le Moyen Age 5, 1901, p. 371 ss. et L. Levillain, *Etudes sur l'abbaye de St. Denis à l'époque Merovingienne* in BECH 87, 1926, p. 20 ss., 245 ss.

(5) Ceccano.

(6) Aistulfus 749-757.

et iussionem imperialem in qua inerat insertum ad Langobardorum regem eundem sanctissimum papam esse properaturum, ob recipiendum Ravennantium urbem et civitates ei pertinentes. Pro quo et de praesenti direxit ad eundem blasphemum regem suum missum pro sua et qui cum eo ituri erant indemnitate; ipsoque reverso, extemplo et missi iamfati Pippini regis Francorum coniunxerunt, id est Rodigangus (1) episcopus et Autcharius dux quatenus praedictum sanctissimum papam, iuxta quod petendo miserat, ad suum Francie regem deducerent; quem iam paratum invenerant ad praedictum Langobardorum regem properandum, pro recolligendis universis dominicis perditis ovibus. Tunc consulens hisdem beatissimus papa omnipotentis Dei nostri misericordiam, egressus est ab hac Romana urbe ad beatum Petrum apostolum, XIIII die octobrii mensis, indictionis VII (2); secuti que sunt eum plures Romanorum et ceterarum civitatum populi flentes ululantesque, nequaquam eum penitus ambulare sinebant. Qui videlicet sanctissimus vir sese in Dei virtute et protectione sanctae Dei Genetricis et beatorum principum apostolorum conferens, constanter pro salute omnium, licet infirmitate corporis defectus, laboriosum arreptus est iter confortans atque commendans cunctam Dominicam plebem bono pastori domino nostro beato apostolorum principi Petro. Et adsumens secum ex huius sanctae ecclesiae quosdam sacerdotes, proceres etiam et ceteros clericorum ordinis, necnon et ex militie obtimatibus, Christo praevio, coeptum profectus est iter, magnam illi caeli serenitatem Dominus in ipso itinere tribuens. Igitur coniungente eo fere quadragensimum miliarium Langobardorum finium in una noctium, signum in caelo magnum apparuit, quasi globus igneus ad partem australem declinans, a Galliae partibus in Langobardorum partes. Itaque unus ex eisdem Francorum missis, scilicet Autcharius dux, quantotius praecedens, Ticino eum prestolatus est. Cum vero adpropinquasset iamfatus beatissimus papa civitatem Papiam, direxit ad eum sepefatus Aistulfus nequissimus rex missos suos obtestans eum nulla penitus ratione audere verbum illi dicere petendi Ravennantium civitatem et exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis reipublicae locis quae ipse vel eius praedecessores Langobardo-

(1) S. Chrodegangus, Mettensis episcopus; conf. infra n. LVIII.

(2) a. 753.

rum reges invaserant. Ille vero ita ei misit in responsis, asserens quod per nullius trepidationis terrorem silere huiuscemodi petendi causam. Coniungente vero eo Papiam in civitatem et praedicto nefando regi praesentato, plura illi tribuit munera et nimis eum obsecratus est atque lacrimis profusis eum petiit ut dominicas quas abstulerat redderet oves et propria propriis restitueret. Sed nullo modo apud eum impetrare valuit. Nam et imperialis missus et ille simili modo petiit et imperiales litteras illi tribuit et nihil obtinere potuit. Praedicti vero Francorum missi inminebant fortiter apud eundem Aistulfum ut praefatum sanctissimum papam Franciam pergere relaxaret. Ad haec convocans iamdictum beatissimum virum, interrogavit si eius Franciam properandi esset voluntas. Quod videlicet ille nequaquam siluit, sed suam illi propalavit voluntatem; unde ut leo dentibus fremebat. Pro quo et diversis vicibus suos satellites ad eum clam misit ut eum quoquo modo a tali intentu declinaret. Alio vero die, praesente Rodigango sanctissimo episcopo, interrogavit eundem beatissimum papam iamfatus Langobardorum rex si velle haberet Franciam ambulandi. Et ita affatus est: « Quod si tua est voluntas me relaxandi, mea omnino est ambulandi ». Tunc absolutus est ab eo. Et adsumens ex huius sanctae Dei ecclesiae sacerdotibus et clero, id est Georgium episcopum Hostense, Wilcharium episcopum Numentano, Leonem, Philippum, Georgium et Stephanum presbiteros, Theophylactum archidiaconum, Pardum et Gemmulum diaconos, Ambrosium primicerium, Bonifacium secundicerium, Leonem et Christoforum regionarios, seu et ceteros, XV die novembris mensis praedicte VII indictionis, a civitate Papia movens suum Franciam profectus est iter. Et post eius absolutionem adhuc nitebatur suprascriptus malignus Langobardorum rex a praedicto itinere eum deviare; quod minime ipsum sanctissimum virum latuit. Unde et cum nimia celeritate, Deo praevio, ad Francorum coniunxit clusas. Quas ingressus cum his qui cum eo erant, confestim laudes omnipotenti Deo reddidit; et coeptum gradiens iter, ad venerabile monasterium sancti Christi martyris Mauricii [1], in quo et constitutus erat pariter se cum Francorum rege conveniri, annuente Domino, sospes hisdem beatissimus pontifex cum omnibus qui cum eo erant advenit.

---

[1] Agaunum.

In quo et aliquantis demorantes diebus, coniunxerunt in praedicto venerabili monasterio Fulradus abbas (1) et Rotardus dux directi a sepefato Pippino excellentissimo Francorum rege, petentes eundem sanctissimum pontificem ad suum progredi regem. Quem et cum magno honore cum omnibus qui cum eo erant ad eum deduxerunt.

Audiens vero hisdem rex eiusdem beatissimi pontificis adventum, nimis festinanter in eius advenit occursum, una cum coniuge, filiis etiam et primatibus. Pro quo et fere ad centum milia filium suum nomine Karolum in occursum ipsius quoangelici papae direxit, cum aliquibus ex suis obtimatibus. Ipseque in palatio suo, in loco qui vocatur Ponticone (2), ad fere trium milium spatium, descendens de equo suo, cum magna humilitate terrae prostratus, una cum sua coniuge, filiis et optimatibus, eundem sanctissimum papam suscepit; cui et vice stratoris usque in aliquantum locum iuxta eius sellarem properavit. Tunc praedictus almificus vir cum omnibus suis extensa voce gloriam et incessabiles laudes omnipotenti Deo referens, cum hymnis et canticis spiritalibus usque ad praefatum palatium pariter cum iamdicto rege omnes profecti sunt, sexta ianuarii mensis die, in Apparitionis domini Dei et salvatoris nostri Iesu Christi sacratissima solemnitate. Ibique intus oratorium pariter consedentes, mox ibidem beatissimus papa praefatum christianissimum regem lacrimabiliter deprecatus est, ut per pacis foedera causam beati Petri et reipublice Romanorum disponeret. Qui de praesenti iureiurando eundem beatissimum papam satisfecit omnibus eius mandatis et ammonitionibus sese totis nisibus oboedire, et ut illi placitum fuerit exarchatum Ravennae et reipublice iura seu loca reddere modis omnibus. Sed quia tempus inminebat hyemalis eundem sanctissimum papam cum suis omnibus in Parisio apud venerabilem monasterium beati Dionisii ad exhibernandum pergere rogavit. Quo peracto et eo in eodem venerabile monasterio cum iamfato christianissimo Pippino coniungente, Domino annuente, post aliquantos dies hisdem christianissimus Pippinus rex ab eodem sanctissimo papa, Christi gratia, cum duobus filiis suis reges uncti sunt

(1) S. Dionysii prope Parisios.

(2) Ponthion, prope Vitry s. Marne.

Francorum (1). Et beatissimus papa prae nimio labore itineris atque temporis inequalitate fortiter infirmavit, ut etiam omnes tam sui quamque etiam et Francorum ibidem existentium homines eum desperarent. Sed domini Dei nostri ineffabilis clementia qui etiam non deserit sperantes in se, salvum cupiens hominem christianissimum, dum eum mane mortuum invenire sperabant, subito alio die sanus repertus est. Pippinus vero iamfatus rex cum admonitione gratia et oratione ipsius venerabilis pontificis absolutus, in loco qui Carisiacus (2) appellatur pergens ibique congregans cunctos proceres regiae suae potestatis et eos tanti patris sancta ammonitione imbuens, statuit cum eis que semel Christo favente una cum eodem beatissimo papa decreverat perficere. Interea nefandissimus Aistulfus Carolomannum, fratrem benignissimi Pippini regis, a monasterio beati Benedicti, in quo devote per evolutum temporis spatium monachice degebat, diabolicis eum suasionibus suadens, Franciae provinciam ad obiciendum atque adversandum causae redemptionis sancte Dei ecclesiae reipublice Romanorum direxit. Dumque illuc coniunxisset, nitebatur omnino et vehementius decertabat sanctae Dei ecclesiae causas subvertere, iuxta quod a praefato nec dicendo Aistulfo tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minime valuit sui germani christianissimi Pippini regis Francorum in hoc firmissimum cor inclinare; potius autem conperta nequissimi Aistulfi versutia tota se virtute isdem excellentissimus Pippinus Francorum rex professus est decertari pro causa sanctae Dei ecclesiae, sicut pridem iamfato beatissimo sponderat pontifici. Tunc pari consilio hisdem sanctissimus papa cum denominato Francorum rege consilio inito, iuxta

---

(1) « Postea per manus eiusdemque Stephani pontificis die uno in beatorum praedictorum martirum Dionisii, Rustici et Eleutherii aecclesia, ubi et venerabilis vir Folradus archipresbiter et abbas esse cognoscitur, in regem et patricium una cum predictis filiis Carolo et Carlomanno in nomine sanctae Trinitatis unctus et benedictus est ». Sic « Clausula de unctione Pippini » in cod. Bruxellensi 7666/71 (MGH SS RR Merov. 1, 464 s.; LP ed. Duchesne, p. 458). Quam nuper spuriam esse contendit M. Buchner, *Die clausula de unctione Pippini eine Fälschung aus d. J. 880*, Paderborn 1926; conf. L. Levillain, *De l'authenticité de la Cl. d. u. P.* in BECH, 88, 1927, p. 20 ss.

(2) Kiersy s. Oise.

id quod praefatus Carolomannus Deo se devoverat monachicam degere vitam, in monasterio eum illuc Franciam collocaverunt, ubi et post aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit. ... (LP ed. Duchesne I, 444 ss.).

## LVII. CONCILIA PIPPINI TEMPORE CELEBRATA

Restauratio disciplinae ecclesiasticae in regno Francorum, quam saec. VIII in. miserrime depravatam s. Bonifatii epistulae ostendunt (1), initia sumpsit a synodorum repristinatione. Quae s. Bonifatio instigante, Karlmannus pro terris Austrasiae per synodos a. 742 et 743 (2) fecit, Pippinus pro Neustria peregit in synodo Suessionensi a. 744, et continuavit etiam postquam in regem electus est a. 751, ut testantur *capitularia* promulgata in synodis Vernensi, Vermeriensi et Compendiensi, et Pippini capitulare Aquitanicum a. 768. Eodem tempore etiam in Bavaria synodi celebratae sunt, ut concilium Baiuvaricum tempore s. Bonifatii celebratum, inter aa. 740 et 750; et concilium Ascheimense a. 756 (?). Editi sunt canones conciliorum in MGH Concilia II 1-73 et capitularia Pippini, ib. Capitularia I, 24-42. (Conf. MANSI, XII).

**220.** *Concilium Suessionense.* In Dei nomine Trinitatis. Anno septingentesimo quadragesimo quarto ab incarnatione Christi sub die VI Nonas Martii et luna XIIII in anno II Childerici regis Francorum (3) ego Pippinus, dux et princeps Francorum. Dum plures non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine una cum consensu episcoporum sive sacerdotum vel servorum Dei consilio seu comitibus et obtimatibus Francorum conloqui apud Suessionis civitas synodum vel concilio facere decrevimus; quod ita in Dei nominee et fecimus. ...

*Can. 2.* Propterea nos una cum consensu episcoporum sive sacerdotum seu servorum Dei et optimatum meorum consilio decrevimus, ut annis singulis synodo renovare debeamus, ut qualiter populus Christianus ad salutem animarum pervenire possit, et ut heresis amplius in populo non resurgat, sicut invenimus in Adlaberto (4) heresim, quem pu-

---

(1) Supra n. 208.
(2) Supra n. 209, 210.
(3) 744, Mart. 2.
(4) Supra n. 212.

bliciter una voce condempnaverunt XXIII episcopi et alii multi sacerdotis cum consensu principis et populi; ita condempnaverunt ipsum Adlabertum, ut amplius populus per falsus sacerdotes deceptus non pereat.

*Can. 3.* Idcirco constituimus per consilio sacerdotum et optimatum meorum et ordinavimus per civitates legitimus episcopus et idcirco constituemus super eos archiepiscopus Abel et Ardobertum (1), ut ad ipsius vel iudicia eorum de omne necessitate ecclesiastica recurrerent tam episcopi quam alius populus. Ut ordo monachorum vel ancillarum Dei secundum regula sancta stabiles permaneant; et de rebus ecclesiasticis subtraditis monachi vel ancillas Dei consolentur, usque ad illorum necessitate satisfaciant; et quod superaverit, census levetur, et abbati legitimi ostem (2) non faciant, nisi tantum hominis eorum transmittant. ...

*Can. 5.* Et statuemus, ut supervenientes episcopus vel presbyteris de aliis regionibus non suscipiantur in ministerio ecclesiae, nisi prius fuerint probati ab episcopo, cuius parrochia est.

*Can. 6.* Et omnino decrevimus, ut unusquisque episcopus in sua parrochia sollicitudinem habeat, ut populus Christianus paganus non fiant, et per omnes civitatis legitimus forus et mensuras faciat secundum habundantia temporis. (MGH Concil. II 1, 33 ss.).

**221.** *Concilium Baiuwaricum* (3). Quia igitur dilectissimi nobis, propter honorem domini nostri Iesu Christi ad istam sanctam solemnitatem convenistis, oportunum nobis videtur, ut ea, quae sancti patres et fratres nostri ecclesiastici viri in eorum statuerunt concilio observandum ob varias necessitates, quibus premimur, ut cum Dei adiutorio et miseratione quisquis ista observare voluerit a Domino indulgentiam adipisci meruerit.

*Can. 1.* Ut ammoneamur plebs sancta, ut omni studio adsumant sibi usum communioni se iungere sanctorum

---

(1) Episcopi Remensis et Sennonensis.

(2) Conf. E. Lesne, *Histoire de la propriété ecclésiastique en France*, II 2, Lille 1926, p. 456 ss.; conf. II 1, p. 72.

(3) Conf. inter epistulas s. Bonifatii ep. 45, supra n. 206, et 50, supra n. 208.

episcoporum ceterorumque sacerdotum, ut quando apud eos sancta synodus, id est convenientia, tractande salutis ipsorum seu et eorum, quibus praesunt, quibus baptisma exhibent, quorum confessionem ante Deum suscipiunt et quibus paenitentiae medicamenta ingerant, quorum aelymosinis et oblationibus vivunt, quando pro eis iniunt consilia, qualiter salvari possent animas eorum, ut et laici student ibidem ad idem sanctum concilium venire et humiliter se commendare in sacrosanctas orationes eorum, et ut una sit concordia sacerdotum et subiectorum laicorum et quorum una est fides in Deum, una sit et caritas et devotio, et ut ipsi ibidem quaerentes inveniant salutem animae suae, et sanctis sacerdotibus pro illorum solertia merces accrescat aeterna, et ut invicem caritatis vinculo conexi sciant se Christiani pro sacerdotibus devotos fore debere necnon et intercessores pro omni populo christiano, sicut et sacerdotes quamvis eminentiori gradu ceteros excellant fidelissimi atque solertissimi prospectores Christianae plebis et protectores in orationibus suis fieri debent.

*Can. 2.* Ut a presbiteris ammoneatur plebs Christiana, ut sanctitatem vitae, quam in baptismo adsumit, studeat omnimodis conservare, ut abstineant se a fornicationis malo, pro quo maximae istas patimur tribulationes et praessuras, quae novae nobis et insolite superveniunt; et ut paenitentiam veram doceantur facere de omnibus peccatis suis et non erubescant confiteri Deo peccata sua in ecclesia sancta coram sacerdotibus, qui testes adstant inter nos et Deum, et a quibus documenta et medicamenta salutis nostrae accipere debeamus, quia « qui abscondit scelera sua non dirigitur in viam salutis ». Melius est enim hic in praesenti erubescere in conspectu unius hominis quam in futuro iudicio coram cunctis gentibus. Unde nos dilectissimi, monet Apostolus dicens : « Confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini ». Et ne tardent converti se ad Dominum ipsorum, quia nescit homo diem exitus sui, ut nullus absque viatiquo et absque confessione vitam istam excedat, quia maximum periculum est, ut longum illud iter, ubi ad aeternam migramus sive ad mortem sive ad vitam absque viatico faciamus.

*Can. 6.* Ut sanctum sacrificium sumere non tardent, sed ante aliquantos se dies ad hoc praeparare conentur, abstinentes a fornicatione necnon et licentia coniugali ut dignos se exhibeant per paenitentiam et confessionem ipsius domini no-

stri Iesu Christi corpus et sanguinem percipere et non sicut pro dolor! a multis solet fieri, ut aliquando spatium anni pertransit, quo non percipit suae sacramenta salutis qui numquam unam septimanam progredi debuit. At tamen ita vos ammonemus ut infra tertiam et quartam dominicam a vobis non neglegatur, cum etiam et Greci et Romani seu et Franci omni dominico communicent.

(MGH Concil. II, 51 ss.).

**222.** Incipit synodus Verno palatio (1) facta. Sufficerant quidem priscorum patrum regulae, sanctae aecclesiae catholicae rectissimae normae ad mortalium correctionem prolatae, si earum sanctissima iura perseverassent inlesa. Sed quia emergentibus causis quibusdam non congruis temporaque inquieta supervenientes contigit, nonnulla ex hac re neglegentia faciente fuisse intermissa, ideoque gloriosissimus atque relegiosus inluster vir, Francorum rex Pippinus, universos paene Galliarum episcopos adgregari fecit ad concilium Vernus palatio publico, recuperare aliquantisper cupiens instituta canonica. Et quia facultas modo non suppetit ad integrum, tamen aliqua ex parte vult esse correctum quod aecclesiae Dei valde cognoscit esse contrarium. Et si tempora serena spatiaque tranquilla divinitus fuerint ei conlata, cupit ad plenum secundum sanctorum canones, plenius opitulante divina gratia, melius, perfectius integreque inantea conservare. Et cum ita factum fuerit, cessent haec quae necessitate cogente ex sacris canonibus remissius sunt excerpta, maneant praefata iura canonica firmissima integra atque intemerata. Tamen interim quod melius possumus, haec inconvulsa atque inviolata esse cupimus. Ipsarum enim rerum, quae pro nostra emendatione commune sunt prolata, per distincta capitula subter tenuntur inserta. Dat. V. Idus Iulii, anno quarto regnante domno nostro Pippino gloriosissimo rege (2).

*Cap. 1.* Ut episcopi debeant esse per singulas civitates.

*Cap. 2.* Episcopos quos in vicem metropolitanorum constituimus, ut ceteri episcopi ipsis in omnibus

---

(1) Ver prope Senlis.

(2) 11 Iul. 755.

oboediant secundum canonicam institutionem, interim quod secundum canonicam constitutionem hoc plenius emendamus.

*Cap. 3.* Ut unusquisque episcoporum potestatem habeat in sua parrochia, tam de clero quam de regularibus vel secularibus, ad corregendum et emendandum secundum ordinem canonicam spiritale, ut sic vivant qualiter Deo placere possint.

*Cap. 4.* Ut bis in anno sinodus fiat. Prima sinodus mense primo, quod est Martias Kalendas, ubi domnus rex iusserit, eius praesentia. Secunda sinodus Kalendas Octubris, aut ad Suessionis vel aliubi ubi ad Martias Kalendas inter ipsos episcopos convenit; et illi episcopi ibidem conveniant, quos modo vicem metropolitanorum constituimus, et alii episcopi vel abbates seu presbiteri, quos ipsi metropolitani aput se venire iusserint, ibidem in ipsa secunda sinodo convenire faciant.

*Cap. 13.* De episcopis vagantibus qui parrochias non habent, nec scimus ordinationem eorum qualiter fuit, placuit iuxta instituta sanctorum patrum, ut in alterius parrochia ministrare nec ullam ordinationem facere non debeant sine iussione episcopi cuius parrochia est. Et si hoc facere praesumpserit, ab officio suspendatur interim quod ad sinodum exinde venerit, et ibidem secundum canonicam institutionem accipiat sententiam; nisi tantum pro itineris causa. Et si ullus clericus aut laicus talem episcopum aut presbyterum defensaverit sine comeato episcopi cuius parrochia est, ercommunicetur usque ad emendationem.

*Cap. 15.* Ut omnes homines laici publicas nuptias faciant, tam nobiles quam innobiles.

*Cap. 19.* De emunitates. Ut omnes emunitates per universas ecclesias conservata sint.

*Cap. 20.* In illo alio sinodo nobis perdonastis, ut illa monasteria, ubi regulariter monachi vel monachas vixerunt, ut hoc quod eis de illas res demittebatis unde vivere potuissent, ut exinde, si regales erant, ad domnum regem fecissent rationes abba vel abbatissa [1]; et si episcopales, ad illum episcopum. Similiter et de illos vicos.

---

(1) Conf. E. LESNE, *Histoire de la propriété ecclésiastique en France*, II 2, Lille 1926, p. 3 ss., p. 17 ss.; conf. II 1, p. 51 s.

*Cap. 22.* De peregrinis qui propter Deum vadunt, ut eis tolloneos non tollant; et de illos alios tolloneos quod vos antea perdonastis [1], ut sic fiat, ut, ubi legitime non debent esse, donati non sint.

*Cap. 23.* Ut comites vel iudices ad eorum placita primitus orfanorum vel viduarum seu ecclesiarum causas audiant et definiant in aelimosina domno rege, et postea alias causas per iustitia rationabiliter iudicent.

(MGH Capitularia 1, 32 ss.).

**223.** *Concilium Ascheimense* (756). Domino gloriosissimo duce nostro Tassiloni [2] maxime congregatio iura synodali per presentes eulogias in Christo salutem dirigitur. ...

*Can. 1.* Praecipimus enim, ut omnes tam sacerdotes quam monachi et omnis cleros ecclesiastice iure non tantum in missarum celebritatione, sed etiam in omnibus cursalis oribus tam pro animam scellentiae vestrae quam pro vitam et regni inlesione et fidelium vestrorum die noctuque preces Deo fundere debeant. Et si aliter quis inventus fuerit, deponatur.

*Can. 2.* Ut ecclesias a priscorum antecessorum vestrorum aut vestris temporibus fundatas sine fraude permanere inlesas debeant, ubi oculi Domini malos et bonos contemplantur. Unde et veritas per Paulum dicitur: « Si quis autem templum Dei violaverit » et reliqua.

*Can. 3.* De potestate episcoporum, qui claves polique ligandi atque solvendi deveuntur et curam pastoralem exerceunt in pleve, unde et sine dubio rationem reddituri sunt, ut ecclesiasticis rebus dominentur atque spensando provideant. Unde synodus Nicenensis ait, ut omnes res ecclesiasticas in potestate episcoporum sint.

---

[1] Conf. Pippini Capitulare a. 754 vel 755 (MGH Capitular. 1, 32): *Cap. 4.* De theloneis vero sic ordinamus, et nullus de victualia et carralia, quod absque negotio est, theloneum praehendat; ... Et de peregrinos similiter constituimus, qui propter Deum ad Romam vel alicubi vadunt, ut ipsos per nullam occasionem ad pontes vel ad exclusas aut navigio non deteneatis. ...

[2] Ultimus ducum stirpis Agilulfingorum (749-788); fundavit monasteria India (Innichen, a. 769), et Cremifanum (Kremsmünster a. 777). Conf. de utroque A. Brackmann, *Germania Pontificia* 1, 1911, p. 148 s. et 210 s.

*Can. 14.* De missis vestris per circuitu diocenum, ut ibi quendam sacerdotem cum his mittere dignimini, ut ne innocens fraude deceptus calumnii restuetur et vobis in culpa commutata pecunia recurrat, pro quos in aetate positum sub iure sensu redditurum rationem te reddere fatemus aut, si recte te geris, sine hesitatione remuneraturum in die iudicii esse credimus atque testamur.

*Can. 15.* De iudicio puplico et clamore pauperorum per singulas sabbatis fiendi aut per dies Kalendarum, ut in auribus clementiae vestrae acta praenuntient diversa. De quibus diebus te epulaturum fatearis, si hoc agere coneris, testare audemus. Et in his diebus semper sacerdus adesse debeat, ut sit sententia vestra Dei sale condita, ut ne iudices terreni propter praemias causas torquantur et innocens obprimantur aut nocentes iustificentur. Valete in Christo. (MGH Concil. 2, 56 ss.).

**224.** Incipit decretum quod factum fuit ad Compendium palatium publicum (1).

*Cap. 9.* Homo Francus accepit beneficium (2) de seniore suo, et duxit secum suum vassallum, et postea fuit ibi mortuus ipse senior et dimisit ibi ipsum vassallum; et post hoc accepit alius homo ipsum beneficium, et pro hoc ut melius potuisset habere illum vassallum, dedit ei mulierem de ipso beneficio, et habuit ipsam aliquo tempore; et, dimissa ipsa, reversus est ad parentes senioris sui mortui, et accepit ibi uxorem, et modo habet eam. Definitum est, quod illa quam postea accepit, ipsam habeat.
(MGH Capitularia 1, 37 ss.).

**225.** In nomine Domini incipit decretum quod factum fuit ad Vermeriam (3) palatium temporibus domni Pippini regis (4).

---

(1) Compiègne, a. 757.

(2) Conf. C. v. SCHWERIN, *Deutsche Rechtsgeschichte*, 2 ed., Leipzig 1915, p. 87 et 91; FUSTEL DE COULANGES, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France: Les origines du système féodal*, Paris 1890, p. 152 ss.

(3) Verberie, prope Senlis.

(4) Inter aa. 758 et 768.

*Cap. 1.* In tertio genuclum separantur, et post penitentiam actam, si ita voluerint, licentiam habent aliis se coniungere. In quarta autem coniunctione si inventi fuerint, eos non separamus, sed poenitentiam eis iudicamus. Attamen si factum non fuerit, nullam facultatem coniungendi in quarta generatione damus.

*Cap. 4.* Ut, quolibet modo femina velum acceperit, in hoc permaneat, nisi se invitam aut reclamantem velaverit aliquis; tamen praedicandum est, ut cum velo suo permaneat, si voluerit. Quod si presbyter eam invitam reclamantemque velaverit, gradum suum pro hac causa perdat. Quod si contigerit, ut mulier sine convenientia viri sui se velare praesumat in potestate viri eius erit, aut in hoc permaneat aut non.

*Cap. 5.* Si qua mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consiliavit, et ipse vir ipsius hominem se defendendo occiderit et hoc probare potest, ille vir potest ipsam uxorem dimittere et, si voluerit, aliam accipiat.

*Cap. 6.* Si quis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, si ipsa femina postea fuerit inservita, si redimi non potest, si ita voluerit, liceat ei aliam accipere. Similiter et mulier ingenua, si servum accipiat pro ingenuo, et postea pro qualicumque causa inservitus fuerit — nisi pro inopia fame cogente se vendiderit, et ipsa hoc consenserit, et de precio viri sui a fame liberata fuerit — si voluerit, potest eum dimittere et, si se continere non potest, alium ducere. Similiter et de muliere, si se vendiderit, et vir eius ita consenserit, taliter potest stare. Si se separaverint, poenitentia tamen amborum necessaria est : nam qui de pretio paris sui de tali necessitate liberatus fuerit, in tali coniugio debent permanere et non separari.

(MGH Capitularia 1, 39 ss.).

**226.** *Pippini capitulare Aquitanicum* (a. 768). Incipiunt capitula quas bone memorie genitor Pipinus sinodaliter (instituit) et nos ab homnibus conservare volumus.

*Cap. 1.* Ut illas eclesias Dei qui deserti sunt restaurentur tam episcopi quam abates vel illi laici homines qui exinde benefitium habent [1].

---

[1] Conf. E. Lesne, *Histoire de la propriété ecclésiastique en France*, II 2, 1926, p. 313 ss.; II 1, p. 100 s.

*Cap. 2.* Ut illi episcopi, abbates, abbatissas sub ordine sancto vivant.

*Cap. 3.* Ut quicquid episcopi, abbates vel abbatissas vel reliqui sacerdotes de rebus ecclesiarum ad eorum opus habent, quieto ordine possideant, sicut in nostra sinodo iam constitutum fuit; et si quis exinde postea aliquid abtraxit, sub integritate reddat.

*Cap. 11.* Ut omnes laici et seculares qui res Ecclesiae tenent precarias [1] inde accipiant.

*Cap. 12.* Ut quicquid missi nostri cum illis seniqribus patriae ad nostrum profectum vel sanctae Ecclesiae melius consenserint, nullus contendere hoc praesumat.

(MGH Capitularia 1, 42 s.).

**227.** Nomina episcoporum seu abbatum, qui aput villam publicam Attiniacum [2] pro causa relegionis ac salute animarum congregati synodali conventu inter cetera salubriter sapienterque definita hoc quoque commoni cunctorum decreto statuerunt, ut unusquisque illorum, quorum nomina in hoc indiculo subter scripta reperiuntur, quando quislibet de hoc saeculo migraverit, centum psalteria et presbiteri eius speciales misas centum cantent. Ipse autem episcopus per se XXX misas impleat, nisi infirmitate aut aliquo inpedimento prohibeatur. Tunc roget alterum episcopum pro se cantare. Abbates vero, qui non sunt episcopi, rogent episcopos, ut vice illorum ipsas XXX misas expleant, et presbiteri eorum centum misas et monachi centum psalteria psallere meminerunt [3].

---

(1) Conf. ib. II 1, p. 95 ss. De «precaria»: FUSTEL DE COULANGES, *Histoire des Institutions politiques de l'ancienne France: Les origines du système féodal*, Paris 1890, p. 110 s.

(2) Attigny (a. 762).

(3) Iam s. Bonifatius Aldherio abbati commendabat animas fratrum «qui nobiscum laborabant in Domino ... quorum nomina gerulus harum litterarum demonstrabit» (ep. 38); et aa. 750/54 ab Optato Cassinensi abbate petit, ut «alternatim nomina defunctorum inter nos mittantur» (ep. 106). Ex hoc usu mutuae orationis duo genera fontium historiae orta sunt: *Libri confraternitatum* in quibus nomina eorum scribebantur, qui ab aliquo monasterio in confraternitatem mutuae orationis recipiebantur (conf. MGH, *Libri confraternitatum S. Galli, Augiensis, Fa-*

Hrodegangus episcopus civitas Mettis. Eddo episcopus civitas Stradburgo. Lullo episcopus civitas Maguntiaci. Lupus episcopus civitas Senonis. Baldeberhtus episcopus civitas Baselae. Uulframnus episcopus civitas Meldis [1]. Remedius vocatus episcopus civitas Rodoma. Maurinus episcopus civitas Eboracas. Genbaudus episcopus civitas Laudumo. Hildigangus episcopus civitas Suaseonis. Athalfridus episcopus civitas Novionis. Megingozus episcopus civitas Uuirziaburgo. Uuilliharius episcopus de monasterio sancti Maurici. Folcricus episcopus civitas Tungris [2]. Theodulfus episcopus de monasterio Laubicis [3]. Hiddo episcopus civitas Augustoduno. Yppolitus episcopus de monasterio Eogendi [4]. Iacob episcopus de monasterio Gamundias. Gaucilenus episcopus civitas Celmanis [5]. Iohannes episcopus civitas Constantia. Uuillibaldus episcopus de monasterio Achistadi [6]. Madalfeus episcopus civitas Uuirdunis. Harifeus episcopus civitas Bisentionis. Leodeningus episcopus civitas Baiogas. Eusebius episcopus civitas Toronis. Tello episcopus civitas Coeradiddo [7]. Mauriolus episcopus civitas Andecavis. Fulradus abbas de monasterio sancti Dionisio. Lantfridus abbas de sancto Germano. Iohannis abbas de sancto Flodoaldo [8]. Druhtgangus abbas de Gemedico [9]. Uuithlecus abbas de Funtanellas. Uuitmarus abbas de Centula [10]. Leodharius abbas de Corbeia. Manase abbas de Flaviniaco. Asinarius abbas de Novalicio [11]. Uualdo abbas de sancto Iohanne [12]. Fabigaudus abbas de Busbrunno [13]. Godobertus abbas de Rasbacis [14]. Athalbertus abbas de Fabarias [15]. Uuidradus abbas de sancta Columba [16]. Ebarsindus abbas de Aldaha [17]. Geraus abbas de Niviella [18]. Ragingarius abbas de Utico [19].

(MGH Concil. 2, 72 s.).

---

*bariensis*) et *Rotuli mortuorum*, qui quotannis ad monasteria confraternitatis mittebantur (Conf. L. DELISLE, *Rouleaux des morts du IX^e au XV^e siècle*, Paris 1866). De catalogo nominum infra scriptorum conf. L. OELSNER, *Jahrbücher d. fränkischen Reiches unter K. Pippin*, Leipzig 1871, p. 357 s.

(1) Meaux; (2) Tongern; (3) Lobbes; (4) St. Claude (Iura); (5) Le Mans; (6) Eichstätt; (7) Chur; (8) leg. Chlodoaldo, St. Cloud; (9) Iumièges; (10) St. Riquier; (11) Novalese; (12) Moutier-St. Jean; (13) Wessobrunn; (14) Rebais; (15) Pfäffers; (16) St. Colombe; (17) Nieder-Altaich; (18) Nesle, prope Epernay; (19) St. Evroul; alia nomina civitatum vide supra nn. 29, 105.

# LVIII. S. CHRODEGANGUS

Ex Caroli Martelli referendario (1) a. 742 Mettensis (Metz) episcopus factus, inter episcopos regni Francorum zelo animarum et instaurandae disciplinae excellebat. Anno 748 Gorziense (Gorze) monasterium fundavit (2); a. 757 in synodo Compendiensi chartam donationis confirmavit, statuens « ut in ipso monasterio monachi secundum ordinem et regulam sancti patris nostri Benedicti... vivant, et, sicut ibi scriptum est, nihil penitus proprium habeant, sed sint illis communia omnia in omnibus » ; insuper constituit, ut « sit ipsum monasterium subiectum sub mundeburdio et defensione s. Stephani ecclesiae Mettensis », conferens episcopo Mettensi ius eligendi abbatem, si monachi aptam personam non inveniant. (MGH Concil. II 1, p. 60 ss.). Ex Gorzia a. 764 monachos in Laurissense (3) monasterium a Williswinda et Cancor comite fundatum, misit. A. 765 a Paulo I papa corpora ss. martyrum Gorgonii pro Gorzia, et Nazarii pro Laurissa obtinuit. A. 753 cum Autchar duce a Pippino Romam mittitur, ad deducendum in Franciam Stephanum II papam, qui dum in Francia esset, pallium et archiepiscopi dignitatem ei tribuit. Obiit s. Chrodegangus a. 766. Magnum eius opus, quod in canonicam cleri saecularis vitam singularem exercuit influxum, est eius *Regula canonicorum*, qua clerum ad vitam communem induxit. Textum genuinum s. Chrodegangi ex codice Leidensi Vossiano lat. 94 notis tironianis saec. IX exarato W. SCHMITZ primus edidit. (S. Chrodegangi regula Canonicorum, Hannover 1889) (4).

---

(1) Eius subscriptio in Karoli Martelli diplomate pro monasterio s. Dionysii a. 741: « Chrothgangus iussus hanc epistulam donationis recognovi » (MGH Diplom. ed. Pertz I, p. 102; conf. H. BRESSLAU, *Handbuch der Urkundenlehre für Deutschland und Italien*, I, 2 ed. 1912, p. 370).

(2) ML 89, 1119-1122 textum initio et fine depravatum chartae fundationis exhibet.

(3) Laurissense vel Laureshamense vel s. Nazarii monasterium (Lorsch) iam saec. IX magnam ob insignem bibliothecam suam famam obtinuit. Conf. W. M. LINDSAY, *The early Lorsch scriptorium*, in Palaeographia Latina III, 1924, 1 ss. Codices olim Laurissenses multi hodie inter Codices Palatinos Bibliothecae Vaticanae servantur.

(4) Quae in ML 89, 1097-1120 et 1057-1098 habentur editiones regulae Chrodegangi, recensiones posteriores et interpolatae sunt (Conf. NA 27, 1901, p. 646 s.).

228. *Regula canonicorum. Prologus.* Temporibus piissimi ac serenissimi regis Pippini, Chrodogangus servus servorum Dei, Metensis urbis episcopus. Si trecentorum decem et octo, reliquorumque sanctorum Patrum, canonum auctoritas perduraret, et clerus atque episcopus secundum eorum rectitudinis normam viverent, superfluum videretur a nobis exiguis minimisque, super hac re tam ordinate disposita aliquid retractari, et quasi quidem novi aliquid dici; sed dum pastorum subditorumque negligentia et his temporibus nimium crevit, quid aliud agendum nobis est, qui in tam gravi discrimine venimus, nisi ut, quantum possumus, si non quantum debemus, ad rectitudinis lineam, Deo inspirante, clerum nostrum reducamus. Igitur quamvis indignus adeptam huius sedis pontificalem cathedram, cumque officii mei pastoralis curam invigilare coepissem, et in tantam negligentiam, clerum plebemque devenisse conspicerem, coepi moestus conqueri, quid agere deberem; sed divino fultus auxilio, fratrumque spiritualium consolatione adiutus volui necessitate compulsus, parvum decretulum facere, per quod se clerus ab illicitis coerceat, vitiosa deponat, mala diu longeque usurpata derelinquat; ut dum mens ab assuetis vitiis vacuatur, facilius quae bona optimaque sunt inserantur. Scripturis enim sacris nitentes, decernimus ut omnes sint unanimes officiis divinis lectionibusque sacris assidui, atque ad oboedientiam episcopi sui praepositique, ut ordo canonicus deposcit, parati, charitate connexi, zelo bono ferventissimi, amore coniuncti, a litibus, vel scandalis, seu odio, semoti. Pastor eorum quilibet fuerit, habeat, ut et vitia reprimat, et ea radicitus, ut oriri coeperint, ut praevalet, amputare festinet; et quod usibus humanis, iuxta formam subter dispositam, necessarium fuerit, eis praebere audeat. Ut cum pastor pastorum iudexque vivorum et mortuorum Christus in ultimo tremendoque die in sede maiestatis suae disceptaturus cum omnibus gentibus, et omnis clerus eum revelata facie conspexerit, etsi non cum summis pastoribus et gregibus sibi commissis pro dispensatis talentis multiplicatisque spiritualibus lucris audire merebimur : « Euge, serve bone et fidelis », vel saltem hoc concedatur, ut delictorum venia ad integrum tribuatur. Quia manifestum est quibus peccatorum venia ad integrum tribuitur, regni introitus non negatur; quia nec infelix potest iudicari, cui contigerit qualemcunque partem in paradiso habere. Sed illis ibidem sors datur, qui, in quantum possunt, per vitae meritum, ad hoc, in huius temporis curriculo, dum licet, curere festinant. ... (Schmitz, p. 1 s.).

**229.** *Reg. Can.* cap. 2. De ordine congregatione canonicorum. Ordines suos canonici ita conservent, ut ordinati sunt in gradibus suis secundum legitimam vel sanctam institutionem Romanae ecclesiae in omnibus omnino locis, id est in ecclesia vel ubicunque simul convenerint et ratio prestat, excepto his quos episcopus in alciora gradu constituerint vel degradaverint certis ex causis; reliqui omnes, ut diximus, ita ut ordinati sunt ordines suos custodiant. Iuniores igitur priores suos honorent; priores minores suos in Deo diligant. In ipsa autem appellatione nominum secundum constitucionem sanctae ecclesie sedis apostolice vocet eum nomen suum prius addito et ministerii sui gradum qualiscumque fuerit. Ubicumque autem se obviaverit clericus, iunior inclinatus a priore benedictionem petat, et si sedentem invenerit, transeunte maiore, minor surgat et det ei locum sedendi. Nec presumat iunior consedere nisi ei precipiat senior suus, ut fiat quod scriptum est : « honore invicem prevenientes ». Pueri parvi vel adulescentes in oratione vel ad mensas cum disciplina ordines suos custodiant, foras autem, ubi et ubi, custodiam habeant et disciplinam. (Schmitz, p. 3 s.).

**230.** *Reg. can.* cap. 9. De opere manuum cotidiana. Ociositas inimica est anime. Propterea decernimus ut ad iussionem episcopi vel arcidiaconi seu primicerii vel qui ab ipsis ordinantur clerus de capitulo ad opera, ubi eis iniungitur, exeant et cum bono animo absque murmuracione obedientiam suam expleant, et quando commune operatione necesse facere, postea unusquisque quod opus habet faciat. (Schmitz, p. 8).

**231.** *Reg. can.* cap. 14. De confessionibus. Ortans nos Scriptura dicens : « Revela Domino viam tuam et spera in eum »; et iterum dicit : « Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius »; et item profeta ait : « Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitias meas non abscondi »; et iterum : « Dixi, pronuntiabo adversum me iniustitias meas Domino et tu remisisti inpietatem peccati mei »; et item : « Confitemini alterutrum peccata vestra ut deleantur »; et alibi : « Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem ea confessus fuerit, salvabit animam suam a morte ». Et Dominus in Evangelio dicit : « Agite poenitentiam; adpropinquabit enim regnum caelorum ». Necesse est ut dum-

modo suadente diabolo multa contra voluntatem Domini vel contra Dei praeceptum commisimus, ut per veram confessionem et veram emendationem, sicut Scriptura docet, emendare debeamus. Sancti Patres, qui perfecti fuerunt, ita constituerunt, ut de praesente cum aliqua cogitatio mala in corde servorum Dei, suadente diabolo, evenerit, statim per humilem confessionem suo priori confiteri debet; nos modus [1] desidiosi et fragiles, quamvis per totum eorum vestigia non sequamur, necesse est ut aliqua parte, iuxta quod Deus possibilitatem [2], eorum vestigia inmitemur, ut per veram confessionem regnum Dei habere mereamur. Ita constituimus ut a nobis vel binas vices clerus noster confessiones suas suum episcopum pura faciat, his temporibus: una vice initio quadragensime ante Pasca; illa alia vice a medio mense Augusto usque Kalendas Novembris. Inter his diebus cum episcopus licentiam habuerit, et cui necesse fuerit, alio tempore suam confessionem ad episcopum vel alium sacerdotem, cui episcopus decreverit facere, quandocumque voluerit et opus habet, faciat. Et cui peccata non inpediunt de clero, omnibus diebus Dominicis et festivitatibus preclaris, debent corpus et sanguinem Domini nostri Hiesu Christi accipere. ... Et si ullus de clero, quod absit, quando suam confessionem suum episcopum facit, ut sic repletus sit spiritu diabolico, quod ausus sit de sua peccata aliquid suum episcopum celare et vadit quasi per alios sacerdotes suas confessiones donando et vult suum episcopum abscondere scelera sua, quia timet ut promoveat eum episcopus de gradu, et, si adhuc in gradu non est, non accedat ad gradum vel ad corpus Domini promoveat eum, aut illa vicia debet persequere; si episcopus hoc per qualibet ingenio investigare potuerit et adprobatum ei fuerit, corporale disciplina vel carcere paciatur, vel aliud quod episcopum visum fuerit iuxta modum qulpe, ut ceterum metum habeant et in tale scelus non cadant, quia nimis inprobus est qui ante Dei oculos peccat et homini confiteri erubescit, ubi, Deo miserante, de ipsa peccata debet accipere consilium sanitatis. (Schmitz, p. 9 ss.).

---

(1) leg. modo.

(2) Deest in codice: « dederit ».

**232.** *Reg. can.* cap. 32. De aelimosinis. De elimosinis accipiendis ita constituimus, ut si aliquis uno sacerdoti pro missa sua vel confessione aut infirmitate seu pro quolibet caro suo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit hoc sacerdos a tribuente accipiat et exinde quod voluerit faciat (1). Si autem ad omnes sacerdotes sub tali conditione seu pro quolibet modus aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes sacerdotes quam et omnes canonicos veniat, et omnes hanc eleemosynam communem habeant. Similiter et illas eleemosynas quae in commune ad omnem clerum veniunt, omnes in commune habeant, et psalmodia vel missas pro ipsis eleemosynis, ut episcopus instituerit, faciant. Ideo autem mensuram sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus, quia nimis grave pondus existimavimus eis esse, si tam ingencia onera peccantium solis illis sacerdotibus contigerit portare, quia facilius Dei misericordiam plures inpetrent pro peccatoribus, quam unus quamvis studiosus, et unusquisque de propria conscientia debet metuere : quanto magis de alienis peccatis non debet sibi supra vires sarcinam peccatorum comulare. His eleemosynis archidiaconus aut primicerius recipiant et in necessitatibus fratrum, ut eis opus fuerit et episcopus iudicaverit, ipsas expendant, et si aliquid exinde super fuerit, in vestiario fratrum recondant. (Schmitz, p. 23).

**233.** *Reg. can.* cap. 33. De matriculariis (2), ut lectionem divinam audiant, veniant in statuta ecclesia in domo. Dum de corrigenda vita clericorum canonicorum rebus pernecessariis, ut nobis iuxta mediocritatem nostram et kapacitatem sensus per Dei adiutorium visum fuit, discriberimus, devenimus ad matricolarios tam domi quam et suborbanis, quia non secundum institutionem antique Ecclesie eorum esse

---

(1) Conf. tamen cap. 31 huius regulae: «De eo, quod qui in hoc canonum specialem ordinem huius congregationis se sociare vult, de rebus quas possidet, ad ecclesiam b. Pauli apostoli sollemnem donationem per presentem faciat, reservato tamen tempore vitae suae usufructuario ordine». (Schmitz, p. 20 ss.).

(2) De matriculariis, id est pauperibus in matricula alicuius ecclesiae, quae de ipsis curam habebat, inscriptis, conf. E. Lesne, *Histoire de la proprieté ecclésiastique en France* I, 1910, p. 380 ss.

conversatio, sed sub magno quodam periculo et neglegentiam et, ut ita dixerim, absque praedicatione et confessione erant in quadam securitate positi, neque ad domum, in stacionem publicam ad audiendum verbum Dei veniebant, neque in reliquis stacionibus, sed erant omnes sedentes unusquisque in loca sua. Propterea una cum consensu fratrum spiritualium constituimus ut bis in mense per totum annum de quattuordecim in quattuordecim dies in sabbato omnes matricolarii, tam qui in domo sunt, quam illi per ceteras ecclesias infra civitate vel vicis matricolas habent, ad conventum statutum omnes in ecclesia in domo veniant, mane prima, exspectantes in ordinibus suis, usque dum signum pulsaverit in ore tercie. Tunc veniens episcopus, si in aliis utilitatibus occupatus non fuerit et iubere legere lectionem de tractatibus vel humilias sanctorum Patrum congruas, quae aedificet audientes et doceat eos viam salutis, qualiter ad vitam aeternam, Deo auxiliante, perveniant. Dicta tercia si episcopus non venerit, tunc presbyter custos ecclesie sancti illi in vice illius iuxta kapacitatem suam et legat et doceat eis viam salutis, et videat omnino presbyter, ut ora constituta, si episcopus ibidem non venerit, non pretereat et hoc adimpleat quod hic scriptum est. Et in ipso presbytero confessiones suas bis in anno faciant ipsi matricularii, una vice in Quadragesimo, alia a missa sancti Remedii usque in transitum sancti Martini. Et si, suadente diabolo, aliqua vicia aut scandala inter eos orta fuerint, ut necesse sit confessionem suam dare qui hoc perpetravit, in proximo conventu, ubi lectionem audiunt, finita lecione, faciat confessionem suam puriter ipso presbytero. Et si ipse non vult confiteri peccatum suum et hoc celaverit, et si per alium inventum fuerit, ille qui delictum abscondit, a presbytero, qui eis verbum Dei adnuntiat, secundum modum culpe aut excommunicetur aut corporali vindictae subdatur. Et per singulas matriculas sit primicerius matriculorum de ipsis qui super eos curiose agit. Et si aliquis ex ipsis celare voluerit scelera sua et primicerius ipsorum hoc investigare potuerit, nullatenus abscondat presbytero, qui eis lectionem legit. Et si fecerit, similiter ille qui hoc comiserit, ab ipso presbytero iudicandus est. Et si hoc ipse presbyter per se emendare non potuerit, innotescat archidiacono aut primicerio, ut ipsi hoc corrigant racionabiliter secundum modum culpe; et si opus fuerit, in notitia episcopi veniat, ut ipse hoc emendet. Et, ut

diximus, omnes omnino matricularii statutis diebus ad lectionem veniant et necessitatibus, tam anime quam corpori, ipso presbytero patefaciant; et ipse hoc aut per se emendet aut priores suos innotescat. Et si aliquis de matriculariis remanserit, qui non venerit ad lectionem, nisi infirmitate cogente, corripiatur semel et secundo; et si non emendaverit, excommunicetur. Et si amplius hoc ex contemptu fecerit, eiciatur de matricula, et alius qui verbum Dei vult audire mittatur in loco ipsius. (Schmitz, p. 24 s.).

## LIX. PAULUS DIACONUS

Post Cassiodorum primus in Italia historiae scriptor ex gente Langobardorum ortus est, Paulus, Warnefridi et Theudelinde filius. In aula Ratchis regis (744-749) educatus, Flavianum grammaticum latinarum et graecarum litterarum magistrum habuit. Monasticam vitam in Clivatensi (Civate) monasterio professus, *expositionem super regulam s. Benedicti* scripsit (Bibliotheca Cassinensis IV: Florilegium Cassinense, 1-173). A. 744 Adelpergae, Arichis ducis Beneventani uxori *Historiam Romanam* dicavit, qua Eutropii Breviarium historiae Romanae (a. 364) usque ad Iustiniani tempora produxit (FSI 51) (1). Circa a. 779 in Cassinense monasterium transiit. Inde ab obtinendam fratris libertatem qui ob seditionem factam a. 776 captivus in Franciam deductus est, elegiam supplicem Karolo M. misit. Mox (a. 782) ipse iter in Franciam suscepit, ubi a Karolo magno honore habitus praeter grammatica et poetica opera *Gesta episcoporum Mettensium* (MGH SS 2, 260-270; ML 95, 699-710) scripsit. Post reditum in Cassinense monasterium (c. a. 787) *Vitam s. Gregorii M.* (ed. H. Grisar in ZKTh XI 1887, 162-172) scripsit; epistulas Gregorii collegit et Adalhardo Corbeiensi abbati misit. Iubente Karolo M. in duobus voluminibus *homilias Patrum* collegit; hoc Pauli homiliarum Karolus omnibus imperii ecclesiis tradidit ad legendum in divini officii celebratione (2).

---

(1) Pauli opus Landulfus Sagax c. a. 1000 usque ad initium saec. IX continuavit (FSI 49-50; ML 95, 743-1144).

(2) « Quarum (homiliarum) omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina auctoritate constabilimus, vestraeque religioni in Christi ecclesiis tradimus ad legendum ». (MGH Capitul. 1, p. 80 s.). Textus homiliarii apud ML 95, 1159-1566 multum discrepat a genuinorum homiliarii Pauli codicum textu; conf. F. Wiegand, *Das Homiliarum Karls d. Grossen*, Leipzig 1897.

Maximi momenti opus Pauli est eius *Historia Langobardorum* (MGH SS RR Langob. 7-187; ML 95, 119-672), praeter LP unicus fere fons historiae Italiae saec. VII et VIII in. *Carmina* Pauli complura servata sunt, inter quae epitaphia Hildegardis Karoli M. uxoris eiusque sororum et filiarum que in Mettensi s. Arnulfi sacello sepultae erant (ed. K. NEFF, Die Gedichte des Paulus Diaconus in Quellen u. Untersuchungen zur lateinischen Philologie des Mittelalters III, 4, München 1908; MGH Poetae latini aevi Carolini 1, 27-86; ML 95, 1591-1604).

**234.** *Gesta episcoporum Mettensium.* ... Iam hinc vir egregius et omnibus praeconiis efferendus, Chrodegangus antistes eligitur, ex pago Hasbaniensi oriundus, patre Sigramno, matre Landrada, Francorum ex genere primae nobilitatis progenitus. Hic in palatio maioris Karoli (1) ab ipso enutritus, eiusdemque referendarius exstitit, ac demum Pippini regis temporibus pontificale decus promeruit. Fuit autem omnino clarissimus omnique nobilitate coruscus, forma decorus, eloquio facundissimus, tam patrio quamque etiam Latino sermone imbutus, servorum Dei nutritor, orfanorum viduarumque non solum altor sed et clementissimus tutor. Cumque esset in omnibus locuples, a Pippino rege omnique Francorum caetu singulariter electus, Romam directus est, Stephanumque venerabilem papam, ut cunctorum vota anhelabant, ad Gallias evocavit. Hic clerum adunavit, et ad instar coenobii intra claustrorum septa conversari fecit, normamque eis instituit, qualiter in ecclesia militare deberent; quibus annonas vitaeque subsidia sufficienter largitus est, ut perituris vacare negotiis non indigentes, divinis solummodo officiis excubarent. Ipsumque clerum abundanter lege divina Romanaque imbutum cantilena, morem atque ordinem Romanae Ecclesiae servare praecepit, quod usque ad id tempus in Mettensi Ecclesia factum minime fuit. Hic fabricare iussit una cum adiutorio Pippini regis rebam (2) sancti Stephani protomartyris, et altare ipsius atque cancellos, presbyterium arcusque per girum. Similiter et in ecclesia beati Petri maiori presbyterium fieri iussit. Construxit etiam ambonem auro argentoque decoratum, et arcus per girum throni ante ipsum altare. Aedificavit praeterea monasterium in parrochia beati

(1) Karoli Martelli.

(2) Ciborium.

Stephani in pago Mosellensi, in honore beatissimi Petri apostoli, et ditavit illud opibus magnis, monachosque ibi constituit atque sub regula sancti patris Benedicti in una karitate coniunxit. Construxit etiam alterum monasterium quod Gorzia vocitatur, ubi pari modo non modicam multitudinem adunavit monachorum. Expetiit denique a Paulo Romano pontifice tria corpora sanctorum martyrum, id est, beati Gorgonii, quod in Gorzia requiescit, et beati Naboris, quod in Hilariaco (1) monasterio conditum est, et beati Nazarii, quod ultra fluvium Rhenum in monasterio quod vocatur Lorishaim, aedificata in honore ipsium martyris miri decoris basilica, collocavit. Hoc siquidem praedium Chilliswindis quondam, religiosa femina, et Cancro eius filius, eidem Chrodegango antistiti ad partem beati Stephani tradiderant. Fuit siquidem beatus iste vir in eleemosynis largus, in charitate purissimus, susceptor hospitum atque peregrinorum; sed quoniam longum est bona quae gessit ex ordine retexere, satis sit haec pauca praelibasse de plurimis. Hic consecravit episcopos quam plurimos per diversas civitates, presbiteros nihilominus aut diaconos, ceterosque ecclesiasticos ordines, sicut moris est Romanae ecclesiae, in diebus sabbatorum quaternis temporibus anni. Rexit ecclesiam Mettensem annis viginti tribus, mensibus V, diebus V. Obiit pridie Nonas Martias in diebus Pippini regis. Requiescit in Gorzia monasterio, quod ipse a fundamentis exstruxit. ... (MGH SS 2, 267 s.).

**235.** *Histor. Langob.* IV, 42. Igitur Arioald postquam super Langobardos duodecim annis regnum tenuit, ab hac luce subtractus est; Langobardorum regnum Rothari (2) genere Arodus suscepit. Fuit autem viribus fortis et iustitiae tramitem sequens, sed tamen fidei christianae non rectam lineam tenens, Arrianae hereseos perfidia maculatus est. Siquidem Arriani minorem Patri Filium, Spiritum quoque sanctum minorem Patri et Filio ad suam perniciem dicunt; nos autem catholici Patrem et Filium et Spiritum sanctum in tribus personis unum et verum Deum aequali potentia eademque gloria confitemur. Huius temporibus pene per omnes civitates regni eius duo episcopi erant, unus catholicus, et alter Arrianus. In civitate quoque Ti-

(1) St. Avold.

(2) aa. 636-652.

cinensi usque nunc ostenditur, ubi Arrianus episcopus aput basilica sancti Eusebii residens baptisterium habuit, cum tamen ecclesiae catholicae alius episcopus resideret. Qui tamen Arrianus episcopus, qui in eadem civitate fuit, Anastasius nomine, ad fidem catholicam conversus, Christi postea ecclesiam rexit. Hic Rothari rex Langobardorum leges, quas sola memoria et usu retinebant, scriptorum serie composuit, codicemque ipsum edictum appellari praecepit [1]. Erat autem iam ex quo Langobardi in Italiam venerant annus septuagesimus septimus, sicut idem Rex in sui edicti testatus est prologo. ... (MGH SS RR Langob., 134).

**236.** *Hist. Langob.* VI, 27. Hac denique aetate Gisulfus Beneventanorum ductor Suram Romanorum civitatem, Hirpinum atque Arcim pari modo oppida cepit. Qui Gisulfus tempore Iohannis papae [2] cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia et depraedationes faciens, multos captivorum cepit et usque in locum qui Horrea dicitur castrametatus est nullusque ei resistere potuit. Ad hunc pontifex missis sacerdotibus cum apostolicis donariis, universos captivos de eorum manibus redimit ipsumque ducem cum suo exercitu ad propria repedare fecit.
(MGH SS RR Langob., 174).

**237.** *Hist. Langob.* VI, 28. Hoc tempore Aripertus rex Langobardorum [3] donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quae quondam ad ius pertinuerat apostolicae sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerat ablata, restituit et hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit [4]. His etiam diebus, duo reges Saxonum ad vestigia apostolorum Romam venientes, sub velocitate, ut obtabant, defuncti sunt. (MGH SS RR Langob. 174).

**238.** *Hist. Langob.* IV, 29. Tunc quoque venit Benedictus archiepiscopus Mediolanensis Romam et causam egit pro ecclesia Ticinensi [5]; sed victus est, eo quod

---

(1) Conf. infra n. LX.

(2) Iohannes VI, 701-705; conf. LP ed. Duchesne, I, p. 383.

(3) aa. 701-712.

(4) Conf. LP ed. Duchesne I, p. 385 (Vita Iohannis VII, 705-707).

(5) Conf. LP ib. p. 391 s. (Vita Constantini, 708-715).

a priscis temporibus Ticinenses episcopi a Romana fuerant ecclesia consecrati. Fuit autem hisdem venerabilis Benedictus archiepiscopus (1) vir egregiae sanctitatis, de quo per universam Italiam bonae opinionis fama flagravit.

(MGH SS RR Langob. 174 s.).

**239.** *Hist. Langob.* VI, 40. Circa haec tempora Petronax, civis Brexianae urbis, divino amore conpunctus, Romam venit hortatuque tunc Gregorii apostolicae sedis papae hunc Cassinum castrum petiit, atque ad sacrum corpus beati Benedicti patris perveniens, ibi cum aliquibus simplicibus viris, iam ante residentibus habitare coepit. Qui eundem venerabilem virum Petronacem sibi seniorem statuerunt. Hic non post multum tempus, cooperante divina misericordia et suffragantibus meritis beati Benedicti patris, iamque evolutis fere centum et decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum destitutus erat (2), multorum ibi monachorum, nobilium et mediocrium, ad se concurrentium pater effectus, sub sanctae regulae iugum et beati Benedicti institutione, reparatis habitaculis, vivere coepit atque hoc sanctum coenobium in statum quo nunc cernitur erexit (3). Huic venerabili viro Petronaci in sequenti tempore sacerdotum praecipuus et Deo dilectus pontifex Zacharias plura adiutoria contulit, libros scilicet sanctae Sripturae, et alia quaeque quae ad utilitatem monasterii pertinent; insuper et regulam, quam beatus pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit (4); paterna pietate concessit. Monasterium vero beati Vincentii martyris, quod iuxta Vulturni fluminis fontem situm est, et nunc magna congregatione refulget, a tribus nobilibus fratribus, hoc est Tato Taso et Paldo, iam tunc aedificatum,

---

(1) Conf. F. Savio, *Gli antichi Vescovi d'Italia* I, *La Lombardia*, Firenze 1913, p. 286 ss.

(2) Montis Cassini destructionem per Langobardos a. 581 factam Paulus narrat Hist. Langob. IV 17.

(3) Conf. I. Chapman, *La restauration du Mont Cassin par l'abbé Pétronax* in: RB XXI, 1904, p. 74 ss.

(4) Conf. L. Traube, *Textgeschichte der Regula s. Benedicti* in: Abhandlungen der histor. Klasse der kgl. bayerischen Akademie der Wissenschaften XXI, 1898, p. 601 ss. et H. Plenkers, *Untersuchungen zur Uberlieferung der ältesten latein. Mönchsregeln*, München 1906. pag. 29 ss.

sicut viri eruditissimi Autperti eiusdem monasterii abbatis in volumine (1), quod de hac re conposuit, scripta significant. ...
(MGH SS RR Langob. 178 s.).

**240.** *Hist. Langob.* VI, 58. Tunc rex Liutprandus (2) Beneventum perveniens, Gisulfum, suum nepotem, iterum in loco proprio ducem constituit. Rebusque ita compositis, ad suum palatium remeavit. Hic gloriosissimus rex multas in Christi honore per singula loca ubi degere solebat basilicas construxit. Hic monasterium beati Petri, quod foras muros Ticinensis civitatis situm est et Coelum Aureum appellatur (3), instituit. In summa quoque Bardonis alpe monasterium quod Bercetum dicitur aedificavit. In Olonna (4) nihilominus suo proastio miro opere in honorem sancti Anastasii martyris Christo domicilium statuit, in quo et monasterium fecit. Pari etiam modo multa per loca singula divina templa instituit. Intra suum quoque palatium oraculum Domini Salvatoris aedificavit, et quod nulli alii reges habuerant, sacerdotes et clericos instituit, qui ei cotidie divina officia decantarent. Huius regis temporibus fuit in loco cui Forum nomen est, iuxta fluvium Tanarum, vir mirae sanctitatis Baodolinus nomine, qui multis miraculis, Christi gratia suffragante, refulsit. ... At vero Liutprand, postquam triginta et uno annis semptemque mensibus regnum optenuit, iam aetate maturus, huius vitae cursum explevit; corpusque eius in basilica beati Adriani martyris, ubi et eius genitor requiescit, sepultum est. Fuit autem vir multae sapientiae, consilio sagax, pius admodum et pacis amator; belli praepotens, delinquentibus clemens, castus, pudicus, orator pervigil, elemosinis largus, litterarum quidem ignarus, sed philosophis aequandus, nutritor gentis, legum augmentator. ...
(MGH SS RR Langob. 185 ss.).

---

(1) ed. MGH SS RR Langob. 547-555.
(2) aa. 712-744.
(3) Conf. P. F. KEHR, *Italia Pontificia* VI 1, p. 191 ss.
(4) Conf. ibid. V, p. 434 (Bercetum); VI, p. 224 ss. (Olonna).

## LX. LEGES LANGOBARDORUM

Inter fontes historiae Ecclesiae in Italia recensendae sunt etiam leges Langobardorum, quas a. 643 Rothari rex primus collegit (*Edictus Rothari* [1]; Grimoald a. 668, Liutprand aa. 713-735, Ratchis a. 746, Aistulf aa. 750 et 754 novis legibus additis collectionem auxerunt. Everso Langobardorum regno, Edictus Rothari cum additamentis eius successorum nequaquam vim legis amiserunt; immo Papiae florentissima iuris Langobardici et Romani schola usque ad s. XII exstitit [2]. Edictum aliasque Langobardorum leges ed. F. BLUHME, MGH ed. Pertz, Leges 4, Hannover 1868.

**241.** *Ed. Rothari.* 376. Nullus presumat haldiam [3] alienam aut ancillam quasi strigam, quem dicunt mascam, occidere: quod christianis mentibus nullatenus credendum est, nec possibilem, ut mulier hominem uiuum intrinsecus possit comedere. Si quis de cetero talem inlecitam et nefanda rem penetrare presumpserit, si haldiam occiderit, conponat pro statum eius solidos LX, et insuper addat pro culpa solidos C, medietatem regi et medietatem cuius haldia fuerit. Si autem ancilla fuerit, conponat pro statum eius. ... (MGH ed. Pertz, Leges 4, p. 87).

**242.** *Leg. Liutprandi* 30. I. Incipit de anno XI [4]: Quoniam quidem superius in hoc edicti corpore, ea quae nobis et nostris iudicibus uel ceteris Langobardis congrua paruerunt, in IV uoluminibus adiungere curauimus, et nunc, si aliquid pro gentis nostrae saluatione adhuc adicere possumus, credemus pro his Dei misericordia adipisci, et retributionem aeternam ab ipso Domino Iesu Christo nihilominus promereri. Ergo in Dei omnipotentis nomine ego qui supra Liutprand excellentissimus gentis Langobardorum rex anno regni mei Deo protegente XI, diae kal. mart., indictione VI, hoc iterum in V uolumine adiungere curauimus; id est kapitulo I: De his feminis, quae uelamen sancte religionis su-

---

(1) Cf. supra n. 235.

(2) Conf. G. MENGOZZI, *Ricerche sull'attività della scuola di Pavia nell'alto medio evo*, Pavia 1925.

(3) Libertam.

(4) a. 723.

scipiunt, aut quae a parentibus suis Deo uouintur, aut ipsae se elegunt, religionis habitu aut uestem monastiga induere uedentur, quamquam a sacerdote consegrate non sint, sic nobis iustum paruit esse pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseuerent, nec sit excusatio mali hominibus dicendo: « quod sacrate non sunt, ideo si copolantur culpa non habent ». Sed, ut supra premisemus, quae talem signum super se, id est uelamen et ueste sancte Dei Genetrices Mariae, quocumque genio in se suscipiunt, et postea ad saecularem uitam uel habitu transire nullatinus presumat. Quia considerare deuit omnes cristianus, quod si quiscumque saeculares parentem nostram saecularem disponsat, cum solo anolo eam subarrat et suam facit, et si postea alter eam oxorem ducit, culpauiles inuenitur solidos sexcentos: quantu magis deuit causa Dei et sanctae Mariae amplior esse, ut quae ipsum uelamen uel habitu in se suscipiunt, in eodem deueant perseuerare. Si quae uero femina contra hoc, quod nostra instituit excellentia, egerit aut maritum se copolauerit, perdat omnem substantiam suam, et deueniat ipsa substantia ad potestatem palatii; de persona autem eiusdem femine, quae talem malum comiserit, iudecit rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo aut qualiter secundum Deum melius preuiderit. ...

(MGH ed. Pertz, Leges 4, p. 121).

**243.** *Leg. Liutprandi* 84, I. Incipit de anno XV (1): Si quis timoris Dei immemor ad ariolus aut ariolas pro aruspiciis aut qualibuscumque responsis ab ipsis accipiendis ambolauerit, conponat in sagro palatio medietatem pretii sui, sicut adpretiatus fuerit tamquam si eum aliquis occisissit (2), et insuper agat penitentiam secundum canonum instituta. Simili modo et qui ad arbore quam rustici sanctiuum uocant, atque ad fontanas adorauerit, aut sagrilegium uel incantationis fecerit, similiter mediaetatem pretii sui conponat in sagro palatio. Et si quicumque, sciens ariolum aut ariolam, non eos manefestauerit, aut illos celauerit, qui ad ipsos uadent, et non manefestauerit,

(1) a. 727.

(2) Quod pretium vocabatur *wergild*.

supra scriptae poene subiaceat. Qui autem seruum suum aut ancillam ad ipsos ariolus aut ariolas transmiserit ad aliqua responsa ab eis recipienda, et prouatum fuerit, suprascripta poenam conponat. Si uero seruus aut ancilla sine uolontate dominorum suorum, et tantum ex sua auctoritatem ad ariolum aut ariola ambolauerit, similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum uenundare eos deueat foris prouincia. Et si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptae poenae subiaceat. (MGH, ed. Pertz, Leges 4, p. 141 s.).

**244.** *Leg. Aistulf.* 17, VIII. Relatum est nobis, quod nunc usque talis fuissit, consuitudo, ut monasteria uel reliqua loca uenerabilia, que in defensione sacri palatii (1) esse noscuntur, conpositione dubla exegessent ab hominibus, qui in ipsa uenerabilia loca conponere deuebant, sicut curtis regia exegere uidetur. Nunc autem statuimus ut monasteria, baselica uel exenodochia que ad palatii defensione esse uidentur, si conpositionem exegere debuerint, non exegant sicut de causa regia dublum, nisi sicut alia uenerabilia loca exegunt, que ad palatio non perteneunt. (MGH ed. Pertz, Leges 4, p. 202).

**245.** *Capitula Aregis principis Beneventani* 4. (2). Nonnula flagitiorum ueteres iurisperiti dum fieri posse non crederent, decernere praecauentes, posteritati erronea relinquere uestigia. Ad nunc creuescentibus malis, et fieri posse creduntur, et quod dictum nephas est, facta uidentur. Actenus religiosorum homicidia, eo quodpote aut inerme genus aut in omnibus uenerandum haberetur, nullius conpositionis experta lex iudicali calculo claruit. Et si quondam forsitan contigisset, aut sub ostentu legalis neglegentiae uel oblitae rationis obmittebatur, aut certe censorum opinatione, aut illud, ut cuique libitum erant, decernebatur. Ideo sicut omnibus simul aequissime placuit, sanccimus, id est precepimus, ut si quis deinceps occiderit monachum uel presbyterum aut diaconem primatum tenentem, componat so-

(1) Conf. K. Voigt, *Die königlichen Eigenklöster im Langobardenreich*, Gotha 1909, p. 68 ss. et Regesta diplomatum regum Langobardorum in NA III, 1878, p. 229 ss.

(2) Post a. 774.

lidi CC uel supra, ut principi patriae placuerit, usque trecentos. De caeteris uero personis inferioris gradus quae in palatio deseruiunt, ducentorum solidorum compositio praeueniat. De reliquis autem ecclesiasticis, qui extra palatium deagunt, CL sicut de laicis, qui exercitalibus militant armis. (MGH ed. Pertz, Leges 4, p. 208).

## LXI. SYNODI ROMANAE SAEC. VIII.

Synodorum Romanarum saec. VIII, quibus in historia praesertim cultus sacrarum imaginum singulare competit momentum, nulla exstat collectio integra. In MGH Concilia II edita sunt acta vel actorum fragmenta et canones synodorum aa. 743, 745, 761, 769, 798; ineuntis saec. VIII synodi conquirendae sunt in antiquioribus collectionibus (v. g. Mansi, vol. XII). Quibus addas epistulam Hadriani I de cultu ss. imaginum ad Karolum M. (a. 791, MGH EPP 5, p. 5-57) in qua plurima ex praedecessorum suorum saec. VIII synodis laudat (conf. MGH Concil. 2, p. 88 ss.) et acta synodi Gregorii III a. 732 in antiqua basilica Vaticana 4 tabulis marmoreis insculpta, de precibus et missis in oratorio a se intra basilicam constructo dicendis (LP ed. Duchesne I, 442; conf. NA XVI, 1891, p. 244).

**246.** *Synod. Rom.* a. 743. ... III capitulo, ut episcopus, presbiter et diaconus saecularia indumenta minime utantur nisi, ut condecet, tunica sacerdotale, sed neque, dum ambulaverint in civitate aut in via aut in plateis sine operimento praesumat ambulare, praeter si in itinere longo ambulaverit; ...

IIII capitulo, ut iuxta sanctorum patrum et canonum statuta omnes episcopi, qui huius apostolicae sedis ordinationi subiaceant, qui propinquo sunt, annue Idus Magii mensis sanctorum principum apostolorum Petri et Pauli liminibus praesententur, omni occasione seposita ; qui vero de longinquo, iuxta cyrographum suum impleat. Nam qui huius constitutionis contemptor existerit, praeter si aegritudinem validam fuerit detentus, sciat se canonibus subiacere.

VIIII capitulo, ut nullus Kalendas Ianuarias et bromas ritu paganorum colere praesumat. Si quis Kalendas Ianuarias et bromas colere praesumpserit aut mensas cum dapibus in domibus praeparare et per vicos

et per plateas cantationes et choros ducere (1) quod maxima iniquitas est coram Deo, anathema sit. ...
(MGH Concil. 2, p. 11 ss.).

**247.** *Synod. Rom.* a. 769, *mense Aprili.* ... Esterno die (2) prolata est sententia quemadmodum Constantinus apostolicae sedis invasor sub paenitentiae correptione subsistere debeat.

Item infra. Oportebat ut haec sacrosancta domina nostra Romana aecclesia, iuxta quod a beato Petro et eius successoribus institutum est, rite ordinaretur et in apostolatus culmen unus de cardinalibus presbiteris aut diaconibus (3) consecraretur.

Item. Sed et hoc sub anathematis interdictionibus decernimus, ut nulli umquam laicorum sive ex manu armata vel ex aliis ordinibus presumant inveniri in electione pontificis, set a cunctis sacerdotibus atque proceribus aecclesiae et cuncto clero ipsa pontificalis electio proveniat. Et postquam pontifex electus fuerit et in patriarchium deductus, tunc optimates militiae vel cunctus exercitus et cives honesti atque universa generalitas populi huius Romanae urbis ad salutandum eum sicut omnium dominum properare debent. Et ita more solito decretum facientes et in eo cuncti pariter concordantes subscribere debent. Hoc itaque et in aliis aecclesiis sub divini iudicii obtestatione et anathematis indictione decernimus observandum. De castris autem Tusciae vel Campaniae vel de aliis locis nullus Romam audeat ingredi nec a quopiam invitentur aut infra civitatem introducantur. Sed nec quisquam ex servis tam cleri quamque militiae in eadem electione inveniatur nec ullus paenitus cum armis aut fustibus.

---

(1) Conf. s. Bonifatii epist. 50, supra n. 208.

(2) Id est in sessione I et II (cuius gesta non sunt servata). Quae sequuntur ad sess. III et IV pertinent. Servata sunt in coll. can. Cardinalis Deusdedit l. II 161-163.

(3) Praeter cardinales presbyteros et diacones sub Stephano III eodem anno 769 mentio occurrit « septem episcoporum cardinalium hebdomadariorum qui in ecclesia Salvatoris observant ». (Vita Stephani III, LP ed. Duchesne I, 478, et p. 484; conf. KEHR, *Italia Pontificia* I, p. 6).

Actio IV (1). Si ad sanctorum consortium venire optamus, profecto hic omnia in honore sanctorum sive reliquias non solum corporum, set et vestimentorum sive basilicas nominibus eorum memoratas seu etiam imagines et vultus illorum in quolibet loco depictos caeleberrimo honore venerari debemus.

Item. Crucem pro crucifixo in ea Christo adoramus et amplectimur fideliter. Item. Si quis sanctas imagines domini nostri Ihesu Christi et eius Genitricis atque omnium sanctorum secundum sanctorum patrum statuta venerari noluerit, anathema sit. ...

(MGH Concil. 2, p. 86 ss.).

## LXII. HADRIANUS I PAPA (772-795).

Eius Vita coaeva in LP inter maximi momenti fontes illius aevi adnumeranda est. Praeter ea quae de Langobardorum regni eversione et Karoli M. itinere Romano a. 774 refert, egregie Hadriani opera in restaurandis et ornandis urbis basilicis, monasteriis, aquaeductibus aliisque aedificiis enarrat. Hadriani epistulae ad Karolum M. servatae sunt in Codice Karolino (infra n. LXIV). Inter istas maioris momenti sunt epistulae 3 (95-97 Codicis Karolini) missae ad episcopos Hispaniae aa. 785-791 (MGH EPP 3, 567-648). Alia Hadriani epistula ad episcopos Hispaniae adversus Adoptianismi haeresim (aa. 793/4) legitur inter acta synodi Francofurtensis a. 794 (MGH Concil. II, 122-130). Epistula tandem quam Hadrianus acceptis Libris Karolinis in defensionem Concilii Niceni II (a. 787) ad Karolum M. dedit (a. 791), inter preacipuos fontes historiae cultus ss. imaginum recensenda est (MGH EPP 5, 6-57), simulac epistolae eius duae a. 785 in Orientem missae (ML 96, 1215-1242) (2). Hadriani insuper memoriam servaverunt duo egregia documenta ecclesiastica, quae ab eo Karolo M. tradita, ad disciplinam et liturgiam Romanam ubique instituendam plurimum contulerunt: Codex scil. canonum Dionysio-Hadrianeus (ML 67, 135-346) a papa Karolo a. 774 Romae donatus (3), et Sacramentarium q. v. Gregorianum (4) (ed. H. Lietzmann in *Liturgiegeschichtliche Quellen*, 3, Münster

(1) Singularis momenti est praesentia in hac synodo 12 episcoporum ex regno Francorum, quorum nomina in gestis I sessionis indicantur (MGH ib., p. 75). Conf. infr. p. 476.

(2) De epistulis Constantini VI imperatoris ad Hadrianum aa. 784 conf. F. Dölger, *Corpus der griech. Urkunden des Mittelalters und der neueren Zeit*, I, Regesten von 565-1025, München 1924, nn. 341-343.

(3) Conf. F. Maassen, *Geschichte der Quellen des Kanon. Rechts*, Graz 1870, p. 444 ss. et 965 ss.

(4) De quo conf. recentissima P. Kuniberti Mohlberg O. S. B. opera:

1921). Hadrianus primus papa est, cuius epistulae exemplar autographum (originale) superest (1).

**248.** *LP. Vita Hadriani.* ... Et dum per sex mensuum spatium ipse Francorum rex Papiam demoraretur in obsessione ipsius civitatis, magnum desiderium habens ad limina apostolorum properandum, considerans quod et sacratissima paschalis festivitas adpropinquasset, tunc abstollens secum diversos episcopos, abbates etiam et iudices, duces nempe et grafiones cum plurimis exercitibus, hic Romam per Tusciae partes properavit. Ita enim festinenter adveniens ut in ipso sabbato sancto (2) se liminibus praesentaret apostolicis. Cuius adventum audiens antedictus beatissimus Adrianus papa quod sic repente ipse Francorum advenisset rex, in magno stupore et extasi deductus, direxit in eius occursum universos iudices ad fere XXX milia ab hac Romana urbe; in loco qui vocatur Nobas: ibi eum cum bandora susceperunt. Et dum adpropinquasset fere unius miliario a Romana urbe, direxit universas scolas militiae una cum patronis simulque et pueris qui ad didicendas litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum adque olivarum, laudesque illi omnes canentes, cum adclamationum earundem laudium vocibus ipsum Francorum susceperunt regem; obviam illi eius sanctitas dirigens venerandas cruces, id est signa, sicut mos est exarchum aut patricium suscipiendum, eum cum ingenti honore suscipi fecit. Ipse vero a Deo institutus benignissimus Carolus magnus Francorum rex et patricius Romanorum, qua hora easdem sacratissimas cruces ac signa sibi obviam advenisse conspexit, descendens de eo quo sedebat equo, ita cum suis iudicibus ad beatum Petrum pedestris properare studuit. Quod quidem antedictus almificus pontifex diluculo surgens in eodem sabbato sancto cum universo clero et populo Romano ad beatum Petrum properavit ad suscipiendum eundem

---

*Die älteste erreichbare Gestalt des Liber Sacramentorum anni circuli der röm. Kirche* in Liturgiegeschichtliche Quellen XI/XII, Münster 1927, et *Il Messale Glagolitico di Kiew (sec. IX) ed il suo prototipo Romano del sec. VI/VII.* (PARA, Memorie vol. II, Roma 1928).

(1) Conf. P. Kehr, *Die ältesten Papsturkunden Spaniens*, p. 6 (ABA 1926, 2).

(2) Die 2 april. a. 774.

Francorum regem, et in gradibus ipsius apostolicae aulae eum cum suo clero prestolavit. Coniungente vero eodem excellentissimo ac benignissimo Carulo rege, omnes grados singillatim eiusdem sacratissimae beati Petri aecclesiae deosculatus est et ita usque ad praenominatum pervenit pontificem, ubi in atrio super grados, iuxta fores aecclesiae adsistebat. Eoque suscepto, mutuo se amplectentes, tenuit isdem christianissimus Carulus rex dexteram manum antedicti pontificis et ita in eandem venerandam aulam beati Petri principis apostolorum ingressi sunt, laudem Deo et eius excellentiae decantantes universus clerus et cuncti religiosi Dei famuli, extensa voce adclamantes : « Benedictus qui venit in nomine Domini » et cetera. Sicque cum eodem pontifice ipse Francorum rex simulque et omnes episcopi, abbates et iudices et universi Franci qui cum eo advenerant, ad confessionem beati Petri adpropinquantes seseque proni ibidem prosternentes, Deo nostro omnipotenti et eidem apostolorum principi propria reddiderunt vota, glorificantes divinam potentiam in eo quod talem eis per interventionum suffragia eiusdem principis apostolorum concedere iussit victoriam. Expleta vera eadem oratione, obnixe deprecatus est isdem Francorum rex antedictum almificum pontificem illi licentia tribui Romam ingrediendi sua orationum vota per diversas Dei ecclesias persolvenda. Et descendentes pariter ad corpus beati Petri tam ipse sanctissimus papa quamque antefatus excellentissimus Francorum rex cum iudicibus Romanorum et Francorum, seseque mutuo per sacramentum munientes, ingressus est continuo Romam cum eodem pontifice ipse Francorum rex cum suis iudicibus et populo. In eodem sabbato sancto in basilica Salvatoris iuxta Lateranis pariter ingressi, ibidem ipse excellentissimus rex cum omnibus suis quousque sacrosancti baptismatis sacramentum antedictus ter beatissimus pontifex caelebravit, et ita postmodum ad beatum Petrum ipse benignissimus reppedavit rex. Alio vero die, inluciscente dominico sancto, in ipsa sacratissima paschali festivitate, direxit diluculo ipse sanctissimus praesul cunctos iudices et universa obsequia militiae ad eundem regem et cum magno honore eum suscipientes, in ecclesia sanctae Dei genetricis ad Praesepe properavit cum omnibus qui cum eo advenerant Franci, eique missarum sollemnia caelebrata, perrexit cum prenominato pontifice in Lateranense patriarchium, illicque ad mensam apostolicam pariter aepulati sunt. Alio vero die, se-

cunda feria, simili modo in ecclesia beati Petri, more solito ipse conspicuus pater et egregius pontifex missarum sollemnia caelebrans, Deo omnipotenti et praefato Carulo, excellentissimo regi Francorum et patricio Romanorum, laudes [1] reddere fecit. Tertia feria vero die, iuxta ut mos est, in ecclesia beati Pauli apostoli missas eidem regi fecit. At vero quarta feria, egressus praenominatus pontifex cum suis iudicibus tam cleri quamque militiae in ecclesia beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est atque ammonuit et paterno affectu adhortare studuit ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae genitor Pippinus quondam rex et ipse praecellentissimus Carolus cum suo germano Carulomanno atque omnibus iudicibus Francorum fecerant beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domno Stephano iuniori papae, quando Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiae provinciae et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Cumque ipsam promissionem, quae Francia in loco qui vocatur Carisiaco facta est [2], sibi relegi fecisset, conplacuerunt illi et eius iudicibus omnia quae ibidem erant adnexa. Et propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carolus Francorum rex adscribi iussit per Etherium, religiosum ac prudentissimum capellanum et notarium suum [3]; ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro easque praefato pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donationem continere monstratur, id est: a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio; et exinde in Mantua atque Monte Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennantium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istria: necnon et cunctum ducatum Spolitinum seu Beneventanum. Factaque eadem donatione et propria sua manu eam ipse

---

(1) Vide infra n. 249.

(2) Conf. supra p. 266.

(3) Hitherius Karoli cancellariam rexit aa. 769-777; a. 775 abbas s. Martini Turonensis.

christianissimus Francorum rex eam conroborans universos episcopos, abbates, duces etiam et grafiones in ea adscribi fecit; quam prius super altare beati Petri et postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex quamque eius iudices, beato Petro et eius vicario sanctissimo Adriano papae sub terribile sacramento sese omnia conservaturos qui in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt. Apparem vero ipsius donationis eundem Etherium adscribi faciens ipse christianissimus Francorum rex, intus super corpus beati Petri, subtus evangelia quae ibidem osculantur, pro firmissima cautela et aeterna nominis sui ac regni Francorum memoria propriis suis manibus posuit. Aliaque eiusdem donationis exempla per scrinium huius sanctae nostrae Romanae ecclesiae adscriptam eius excellentia secum deportavit. ... (LP ed. Duchesne I, 496 ss.).

**249.** *Litania Karolina* [1].

Adriano summo pontifice
et universale papae vita!
Redemptor mundi, tu lo iuva!
Sancte Petre, tu lo iuva!
(*vel alius sanctos quales volueris*)
Exaudi Christe!

Karolo excellentissimo et a Deo coronato,
magno et pacifico rege Francorum et Langobardorum
ac patricio Romanorum, vita et victoria!
Salvatur mundi, tu lo iuva!
Sancte Iohannis, tu lo iuva!
(*vel alius sanctus quales volueris*)
Exaudi Christe! ... [2].

Fastradane [3] regina salus et vita!
(*alias virgines Christi qualis volueris*).
Exaudi Christe!

Omnibus iudicibus vel cuncto exercitui Francorum
vita et victoria!

---

[1] « Laudes », quas Hadrianus « missarum sollemnia caelebrans » Karolo « reddere fecit », (supra pag. 297) similes fuisse existimo « litaniae », quam ex codice Montispessulano (Montpellier) 409 edidit O. Holder-Egger in *Einhardi Vita Karoli M.*, ed. 6ª (MGH SSUS Hannover 1911) p. 46 ss.

[2] In codice citato hic adduntur laudes filiorum et uxoris Karoli M.

[3] Fastradam Karolus uxorem duxit a. 783.

Sancte Remegii, tu lo iuva!
Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Kyrie eleison, Christe eleison!
(Einhardi Vita Karoli M., ed. cit., p. 46 ss.).

**250.** Domino excellentissimo filio nostroque spiritali conpatri Carolo regi Francorum et Longobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa (1). ... Nos veo adhuc pro eadem synodo nullum responsum usque actenus eidem imperatori reddidimus, metuentes, ne ad eorum reverterentur errorem. Dudum quippe, quando eos pro sacris imaginibus erectione adortavimus, simili modo et de diocesi tam archiepiscoporum, quam et episcoporum sanctae catholice et apostolice Romane ecclesiae, quae tunc cum patrimoniis nostris abstulerunt, (2) quando sacras imagines deposuerunt, commonentes, restituere eidem sanctae catholicae et apostolicae Romane ecclesiae quaesivimus (3), et nec responsum qualibet exinde dederunt. Et in hoc nimis palam ostenditur, quia ex uno capitulo ab errore reversi sunt, ex aliis duobus in eodem permanent errore. Si enim ubique christianorum ecclesiae canonice intactas suas possident dioceses, quanto, amplius sancta catholica et apostolica Romana ecclesia, que est caput omnium Dei ecclesiarum, sua diocesi, videlicet archiepiscoporum et episcoporum, immo et patrimonia pro luminariorum concinnatione atque alimoniis pauperum inrefragabili iure et tenere et possidere modis omnibus debetur! Unde si vestra annuerit a Deo protecta regalis excellentia, eodem adortamur imperatore, pro sacris imaginibus in pristino statu erectione gratiam agentes et de diocesi sanctae nostre Romane ecclesie tam archiepi-

---

(1) Celeberrimae illius epistulae (de qua vide supra p. 294) ultimum caput damus. Utrum et quid Hadrianus tandem Constantinopolim scripserit, latet. Conf. infr. n. 356.

(2) A. 731 Leo III Imp. Calabriam, Siciliam, Illyricum Byzantinae sedis iurisdictioni subiecit, simulque $3\,^1/_2$ talenta auri quae ex patrimoniis Romanae ecclesiae quotannis Romam mittebantur, fisco mancipavit. Conf. DÖLGER, *Corpus griech. Urkk*, I, nn. 300-301.

(3) Nihil hac de re legitur in textu epistularum Hadriani in ML 96, 1215-1242. Solum in Collectione Brittannica (conf. supra n. VIII) inventa est pars epistulae Hadriani ad Tarasium qua restitutionem patrimoniorum petit (JL, n. 2449).

scoporum, quam episcoporum seu de patrimoniis iterum increpantes commonemus, ut, si noluerit ea sanctae nostrae Romane ecclesiae restituere, hereticum eum pro huismodi erroris perseverantia esse decernimus. Plus enim cupimus salutem animarum et recte fidei stabilitatem conservare, quam huius ambitum mundi possidere. ...

(MGH EPP 5, p. 57).

**251** *Georgii, Ostiensis episcopi, relatio ad Hadrianum I.* Synodus, que facta est in Anglorum Saxonia temporibus ter beatissimi et coangelici domini Hadriani summi pontificis et universalis pape regnante gloriosissimo Karolo excellentissimo rege Francorum et Langobardorum seu Patricio Romanorum, anno regni ipsius XVIII, missis a sede apostolica Georgio, Ostiensi episcopo, et Theophylacto, venerabili episcopo sancte Tudertine ecclesie, regnante Domino nostro Iesu Christo in perpetuum, anno incarnationis eiusdem Domini nostri DCCLXXXVI, Ind. X. (1).

Inspirante divina clementia, o pastor egregie, summe, sancte, gloriose, decus, alme pontifex Hadriane, misisti nobis epistolas (2) per Theophylactum, venerabilem episcopum sancte ecclesie Tudertine, continentes saluberrima statuta et omni sancte Ecclesie necessaria, nostram simul parvitatem paterna pietate admonentes, quemadmodum trans mare in gentem Anglorum peragrare debuissemus, ut si qua zizania messem optimo semine satam, quam beatus Gregorius papa per os sancti Agustini seminavit, inritasset, funditus eradicare quod noxium et fructum saluberrimum stabilire summo conamine studuissemus. ... Suscepti primum ab archiepiscopo Iaenberhto, sancte Dorovernensis ecclesie (3), que alio vocabulo Cantia vocitatur, ubi sanctus Agustinus in corpore requiescit, inibi namque resedentes admonuimus ea quae necessaria erant. Inde peragrantes pervenimus ad aulam Offe (4) regis Merchiorum. At ille cum ingenti gaudio ob reverentiam beati Petri et vestri apostolatus et ho-

---

(1) Conf. JL nn. 2455-56.

(2) Hadriani epistulae perierunt.

(3) XII Cantuariae archiepiscopus (766-791?).

(4) 757-796. De eo et eius consilio Hadrianum ope Karoli M. deponendi scribit Hadrianus Karolo in epistula Cod. Carol. n. 92 (MGH EPP 3, p. 629 s.).

nore suscepit tam nos quam sacros apices a summa sede delatos. Tunc convenerunt in unum concilium Offa rex Merchiorum et Chuniulfus, (1) rex Uuestsaxonorum, cui etiam tradidimus vestra syntagmata sancta. Ac illi continuo promiserunt se de his viciis corrigendos. Tunc inito consilio cum praedictis regibus, pontificibus et senioribus terrae perpendentes, quod angulus ille longe lateque protenditur, permisimus Theophylactum, venerabilem episcopum, regem Merchiorum et Britannie partes adire. Ego autem adsumpto mecum adiutore, quem filius vester excellentissimus, rex Carolus, ob reverentiam apostolatus vestri nobiscum misit, virum probatae fidei, Uuigbodum abbatem atque presbiterum, perrexi in regionem Nordanhymbrorum ad Aelfualdum regem et archiepiscopum sanctae ecclesiae Eboracae civitatis Eanbaldum (2). Sed quia paefatus rex longe in borealibus commorabatur, misit iam dictus archiepiscopus missos suos ad regem, qui continuo cum omni gaudio statuit diem concilii, ad quem convenerunt omnes principes regionis tam ecclesiastici quam seculares. Sed audientibus nobis relatum est, quod reliqua vicia non minima ibi necessaria erant ad corrigendum, quia ut scitis, a tempore sancti Agustini pontificis sacerdos Romanus nullus illuc missus est nisi nos. Scripsimus namque capitulare de singulis rebus et per ordinem cuncta disserentes auribus illorum protulimus. Qui cum omni humilitatis subiectione et clara voluntate tam admonitionem vestram quam parvitatem nostram amplexantes spoponderunt se in omnibus oboedire. Tunc nos epistolas vestras eis tradidimus perlegendas, contestantes eos tam in se quam in subditis sacrata decreta custodire. Haec namque sunt capitula, quae illis protulimus conservanda :

I. Primo omnium admonentes, ut sancta et inviolata fides Niceni concilii ab omnibus, qui sacro cultui mancipantur, fideliter ac firmiter teneatur et omni anno in synodalibus conventis (3) ab episcopis singularum ecclesiarum presbiteri, qui populum erudire debent, de ipsa fide diligentissime examinentur ita, ut apostolicam fidem et universalium sex synodorum per Spiritum sanctum probatam, sicut tradita est nobis a sancta Romana ecclesia, confiteantur, teneant et praedicent et, si op-

(1) Cynewulf, c. 755-786.

(2) Eanbaldus I, 780-796.

(3) Quorum duo quotannis fieri tertio cap. praescribit.

portunum evenerit, pro ea mori non pertimescant et quoscunque sancta universalia concilia susceperunt, suscipiant, et quos illa damnaverunt, eos ore et corde reiciant et condempnent.

II. Secundo capitulo docuimus, ut baptismus secundum canonica statuta exerceatur et non alio tempore, nisi pro magna necessitate, et ut omnes generaliter symbolum et orationem dominicam sciant. ...

IIII. Quartus sermo, ut episcopi diligenti cura prevideant, quo omnes canonici sui canonice vivant et monachi seu monachae regulariter conversentur, tam in cibis quam in vestibus seu peculiare, ut discretio sit inter canonicum et monachum vel secularem et illo habitu vivant, quo orientales monachi degunt et canonici exemplo orientalium et non tinctis Indie coloribus aut veste preciosa, sed episcopi, abbates et abbatissae subiectis sibi in omnibus exemplum bonum prebeant. ... Qua de re suademus, ut synodalia edicta universalium sex conciliorum cum decretis pontificum Romanorum sepius lectitentur, observentur et iuxta eorum exemplar Ecclesiae status corrigatur, ut nec quid novi ab aliquibus introduci permittatur, ne sit scisma in Ecclesia Dei.

VII. Septimo capitulo, ut omnes ecclesiae publice canonicis horis cursum suum cum reverentia habeant.

VIII. Octavo statuto, ut privilegia antiqua a sancta Romana sede delata ecclesiis omnimodis conserventur. ...

XII. Duodecimo sermone sanximus, ut in ordinatione regum [1] nullus permittat pravorum praevalere assensum, sed legitime reges a sacerdotibus et senioribus populi eligantur, et non de adulterio vel incaestu procreati. ...

XIIII. Fraus, violentia et rapina vetatur et ne iniusta vel maiora tributa ecclesiis Dei imponantur, quam lex Romana et antiqua consuetudo priorum imperatorum, regum et principum habeat, omninoque qui sanctae Romanae ecclesiae et beato Petro principi apostolorum com-

---

[1] De regibus agit et cap. XI, quo reges et principes admonentur « ut obediant ex corde cum magna humilitate suis episcopis ».

municare cupit, ab hoc vitio violentiae immunem se servare studeat. ...

XVI. Decreto abdicitur filiis meretricum legitima hereditas. Adulterinos namque filios ac sanctimonialium auctoritate apostolica spurios et adulteros iudicamus.

XVIIII. Annexuimus, ut unusquisque fidelis christianus a catholicis viris exemplum accipiat; et si quid ex ritu paganorum remansit, avellatur, contemnatur, abiciatur. ... Equos etiam vestros turpi consuetudine detruncatis, nares finditis, aures copulatis verum etiam et surdas redditis, caudas amputatis; ... Audivimus etiam, quod dum inter vos litigium versatur, sortes more gentilium mittitis. Quod omnino sacrilegum istis temporibus reputatur. Equos etiam plerique in vobis comedunt, quod nullus christianorum in orientalibus facit. Quod etiam evitate. ...

XX. Omnibus generaliter intimavimus, ut iuxta propheticam vocem agere decertent, quae ait: « Nolite tardare converti ad Dominum nec differatis de die in diem »; ... ne ullum (quod absit) subitanea mors imparatum inveniat. Et iuxta iudicium sacerdotum et modum culpae Eucharistiam sumite et fructus dignos poenitentiae facite fructuosa namque poenitentia est admissa deflere et fleta in postmodum non admittere. Si quis autem (quod absit) sine poenitentia aut confessione de hac luce discessit, pro eo minime orandum est. ...

Haec namque decreta, beatissime papa Hadriane, in concilio publico coram rege Aelfuualdo et archiepiscopo Eanbaldo et omnibus episcopis et abbatibus regionis seu senatoribus, ducibus et populo terre proposuimus et illi, ut superius fati sumus, cum omni devotione mentis iuxta possibilitatem virium suarum adiuvante superna clementia se in omnibus custodire devoverunt, signo sancte crucis in vice nostra in manu nostra confirmaverunt, et postea stilo diligenti in charta huius pagine exaraverunt signum sancte crucis infigentes ita:

Ego Eanbaldus, gratia Dei archiepiscopus sancte Eboracensis ecclesie huius cartule pie et catholice taxationi signo sancte crucis subscripsi. Ego Aelfuualdus, Transhymbrane gentis rex, consentiens signo sancte crucis subscripsi. Ego Tilberthus, Agustadensis [1] ecclesie presul, gaudens signo

(1) Hexham.

sancte crucis subscripsi. Ego Hygbaldus, Lindisfarnensis ecclesie episcopus, oboediens signo sancte crucis subscripsi. Ego Aedilberthus, Candentis-case [1] episcopus, supplex signo sancte crucis subscripsi. Ego Alduulfus, Myiensis [2] ecclesie episcopus, devota voluntate (sub)scripsi. Ego Aethiluuinus episcopus per legatos subscripsi. ... [3].

His namque peractis et data benedictione perreximus adsumptis nobiscum viris inlustribus, legatis regis et archiepiscopi, Alquinum videlicet et Pyttel lectores. Qui una nobiscum pergentes et ipsa decreta secum deferentes in concilium Merchiorum, ubi gloriosus rex Offa cum senatoribus terre, una cum archeipiscopo Iaenbertho sancte ecclesie Dorovernensis et ceteris episcopis regionum convenerat. Et in conspectu concilii clara voce singula capitula perlecta sunt et tam latine quam theodisce; quo omnes intellegere potuissent, dilucide reserata sunt, qui omnes consona voce alacri animo gratias referentes apostolatus vestri admonitionibus promiserunt se divino adminiculante favore iuxta qualitatem virium promtissima voluntate in omnibus haec statuta custodire. Qui etiam, ut supra taxavimus, tam rex quam principes sui, archiepiscopus cum sociis suis in manu nostra in vice dominii vestri signum sancte crucis firmaverunt et rursum presentem chartulam sacrato signo roboraverunt:

Ego Ieanbrectus, archiepiscopus sancte Dorovernensis ecclesie, suppplex signo sancte crucis subscripsi. Ego Offa, rex Merchiorum, consentiens his statutis prompta voluntate signo crucis subscripsi. Hugibrethus, episcopus Lichitfeldense [4] eclesie, signo sacrate crucis subscripsi. Ceoluulfus, Lindensis Faronensis [5] episcopus, subscripsi. Unuuona, Legorensium [6] episcopus, subscripsi. ... [7].

(MGH EPP 4, 20 ss.).

---

(1) Candida Casa (Whithorn).

(2) Mayo.

(3) Sequuntur subscriptiones nobilium, abbatum aliorumque clericorum.

(4) Lichfield.

(5) Lindisfarne.

(6) Leicester.

(7) Sequuntur subscriptiones 9 episcoporum, quorum sedes non indicantur, 4 abbatum, 3 ducum, 1 comitis.

# LXIII. CONSTITUTUM q. d. CONSTANTINI

Famosissimi istius spurii documenti partem illam exhibemus, qua privilegia enumerantur, quae falsarius Constantinum Romano Pontifici concessisse finxit. De tempore et de loco originis Constituti diversae a diversis propositae sunt hypotheses (1), quae ad duas fere opiniones reducuntur, quarum una hominem Romanum styli curiae non ignarum ultimorum saec. VIII decenniorum pro auctore habet, dum altera Franciam patriam spurii nostri esse asserit. Huic opinioni certe favet traditio documenti manuscripta. Antiquissimus codex, qui constitutum servavit, est Formularum collectio abbatiae s. Dionysii Parisiensis saec. IX in. (MGH LL 5, p. 503). In Francia orta est collectio canonum Pseudo-Isidori, per quam spurium nostrum longe lateque divulgatum est, usque dum tandem in Gratiani Decretum (D. 96, c. 14) receptum est. Francia pariter patria est primi papae, quem Constitutum adhibuisse certe constat (2), Leonis scil. IX, qui in epistula a. 1053 ad Michaelem Caerularium textum spurii inseruit. Neque obstat hypothesi Francicae originis Constituti factum a P. Scheffer-Boichhorst iure merito notatum (3). Probavit enim vir egregius omnia fere verba singularia vel parum usitata Constituti in Pauli I papae (757-767) vel eius praedecessoris et successoris immediati epistulis tantum occurrere, unde hominem Pauli I familiarem auctorem spurii esse conclusit (4). Constat tamen inter viros ecclesiasticos regni Francorum et curiam Romanam frequentissimum intercessisse commercium, praesertim ex quo Pippinus rebus potitus est. Plurimi enim episcopi, abbates, monachi, praesertim ex praecipuis regni monasteriis, s. Martini Turonensis et s. Dionysii Parisiensis, Romam profecti sunt, missi a Pippino et Karolo M. ad negotia cum Romano Pontifice tractanda, inter quos eminent Fulradus et

---

(1) Quarum conspectum habes apud A. SCHÖNEGGER, *Die kirchenpolitische Bedeutung des Constitutum Constantini im frühern Mittelalter* in ZKTh XLI, 1918, p. 331 ss.

(2) Quae antea afferri solebat epistula Hadriani I (Cod. Carol. n. 60, MGH EPP 3, p. 587; infr. n. 260) ad probandum Constitutum iam a Hadriano adhibitum fuisse, aliud non probat, quam ipsum fabulam illam « Actus Silvestri » adhibuisse, quae de cetero fons praecipuus auctoris Constituti est. Conf. W. LEVISON, *Konstantinische Schenkung und Silvester Legende* in Miscellanea Ehrle II (Studi e Testi, 38), Roma 1924, p. 159 ss. et H. GRAUERT in HJGG IV, 1883, p. 540 ss.

(3) MIOG X, 1889, p. 302 ss.

(4) F. KAMPERS, *Roma aeterna und S. Dei Ecclesia rei publicae Romanorum* in HJGG XLIV, 1924, p. 240-249 ex istis terminis in epistulis Stephani II occurrentibus concludit Stephano notum iam fuisse constitutum.

Maginarius, s. Dionysii abbates. Non mirabimur ergo, stylum cancellariae Romanorum Pontificum saec. VIII medii, auctori spurii, etiamsi apud s. Dionysium Parisiis scripserit (1), familiarem fuisse. Quidquid vero sit de auctoris patria et aevo, probari nullatenus potest, Constitutum nostrum ullum in origines dominii temporalis Romanorum Pontificum influxum habuisse (2). Textum Constituti critice edidit K. ZEUMER, in Festgaben für R. v. Gneist, Berolini 1888.

252. *Constitutum Constantini*. In nomine sanctae et individuae trinitatis, Patris scilicet et Filii et Spiritus sancti. Imperator Caesar Flavius Constantinus in Christo Iesu, uno ex eadem sancta Trinitate salvatore domino Deo nostro, fidelis, mansuetus, maximus, beneficus, Alamannicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Brittannicus, Hunicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum Silvestrio, urbis Romae episcopo et pape, atque omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem saeculi sessuri sunt, pontificibus, nec non et omnibus reverentissimis et Deo amabilibus catholicis episcopis, eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis in universo orbe terrarum, nunc et in posteris cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia, a Deo patre omnipotente et Iesu Christo filio eius et Spiritu sancto cum omnibus vobis! ... (3).

Et dum hec predicante beato Silvestrio agnoscerem et beneficiis ipsius beati Petri integre me sanitati comperi restitutum, utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano, gloriae imperii nostri subiacenti, ut, sicut in terris vicarius Filii Dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices, principa-

---

(1) Cuius opinionis praecipuus defensor est H. GRAUERT in HJGG IV, 1883, p. 553 ss.

(2) Ignoramus, unde A. GAUDENZI (*Il Costituto di Costantino*, BISI XXXIX, 1919, p. 73) hauserit argumenta pro assertione: « Così la bufera iconoclasta potea esser passeggera, se il papa non avesse per mezzo del Costituto carpita a Pippino la cessione dell'Esarcato ».

(3) Sequuntur symbolum fidei et narratio baptismi Constantini ex « Actis Silvestri », quorum editionem habes in BONINI MOMBRITII *Sanctuario* (nova editio cura monachorum Solesmensium, Parisiis 1910, p. 508 ss.).

tus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostrae serenitatis mansuetudo habere videtur concessam, a nobis nostroque imperio obtineant; eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel eius vicarios firmos apud Deum adesse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare, et amplius quam nostrum imperium et terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem. Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat, tam super quattuor precipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolimitanam, quamque etiam super omnes universo orbe terrarum Dei ecclesias; et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et eius iudicio, quaeque ad cultum Dei vel fidei christianorum stabilitate procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, Salvator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere precepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustenens beate mortis sumpsit poculum suique magistri et domini imitator apparuit, et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est. Illic usque in finem quaerant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus, et ibi proni ac humiliati caelestis regis, Dei salvatoris nostri Jesu Christi famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio. ... Pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis dominis meis beatissimis Petro et Paulo et per eos etiam beato Silvestrio patri nostro, summo pontifici et universali urbis Romae papae, et omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de presenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum prefertur atque precellet palatiis; deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri simulque frigium nec non et superhumeralem, videlicet lorum, qui imperiale circumdare adsolet collum; verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam et omnia imperialia indumenta seu et dignitatem imperialium presedentium equitum, conferentes etiam

et imperialia sceptra, simulque et conta atque signa, banda etiam et diversa ornamenta imperialia et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostrae. Viris enim reverentissimis clericis diversis ordinibus eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae servientibus illud culmen, singularitatem, potentiam et precellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari; et sicut imperialis militia, ita et clerum sacrosanctae Romanae ecclesiae ornari decernimus; et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis, cubiculariorum nempe et ostiariorum atque omnium excubiorum ornatu, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus; et ut amplissime pontificalis decus prefulgeat, decernimus et hoc, ut clerici eiusdem sanctae Romanae ecclesiae mappulis ex lenteaminibus, id est candidissimo colore, eorum decorari equos et ita equitari, et sicut noster senatus calciamenta uti cum udonibus, id est candido linteamine inlustrari [1]; ut sicut celestia ita et terrena ad laudem Dei decorentur; pre omnibus autem licentiam tribuentes ipso sanctissimo patri nostro Silvestrio urbis Romae episcopo et papae, et omnibus qui post eum in successum et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi Dei nostri in eadem magna Dei catholica et apostolica ecclesia ex nostra synclitu, quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus presumentem superbe agere. Decrevimus itaque et hoc, ut isdem venerabilis pater noster Silvester summus pontifex vel omnes eius successores pontifices diadema, videlicet coronam, quam ex capiti nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare; ipse vero sanctissimus

---

[1] Conf. privilegium (spurium?) Stephani II Fulrado abb. S. Dionysii concessum a. 757 et in eodem Formulario s. Dionysii servatum ac ipsum Constitutum (MGH Formulae p. 500, n. 5, IL n. 2330): « ...ornatum apostolici vestimenti concedendum... praevidimus tuam... adornare religionem: udonis ac subtalaris calceamentum, et super sellam equitanti mappulum... ». Alia exempla apud H. GRAUERT, HJGG IV, 1883, p. 557 ss.

papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, frygium vero candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris posuimus, et tenentes frenum equi ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus; statuentes, eundem frygium omnes eius successores pontifices singulariter uti in processionibus ad imitationem imperii nostri. Unde ut non pontificalis apex vilescat sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut prelatum est, quamque Romae urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provintias, loca et civitates sepefato beatissimo pontifici, patri nostro Silvestrio universali papae, contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendam atque iure sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanendam. ...
(ed. K. Zeumer, p. 47-58).

## LXIV. CODEX CAROLINUS

Anno 791 Karolus M. epistulas Romanorum Pontificum ad principes Francorum: Karolum Martellum, Pippinum et Karolum M. datas, in unum corpus colligere iussit. Quae pretiosissima documentorum collectio (MGH EPP 3, 469-657; ML 98, 64-438) continet 2 Gregorii III epistulas (aa. 739-740); 1 Zachariae (a. 747); 8 Stephani II (aa. 753-757); 31 Pauli I (aa. 757-767); 5 Stephani III (aa. 769-771); 49 Hadriani I (aa. 774-791); accedunt duae epistulae Constantini II (a. 767). Summi momenti fons est haec epistularum collectio pro historia originum dominii temporalis Romanorum Pontificum; plurimae enim epistulae auxilium regum Francorum contra Langobardos implorant. Quo obtento et pacto apud Carisiacum a. 754 inito, promissionis executio pro singulis territoriis postulatur. Hadriani I epistulae omnes post Karoli iter Romanum a. 774 scriptae, egregie relationes inter regem et papam illustrant, nequotiaque inter ipsos tractata pandunt; pro rebus Italiae tum civilibus, tum ecclesiasticis aa. 774-791 fons non satis aestimandus. Attamen etiam res ecclesiasticae Franciae et Germaniae non parum per istam collectionem illustrantur, praesertim ex Zachariae papae epistula a. 747, et nonnullis Hadriani I epistulis.

**253.** *Cod. Carol. Praefatio.* Regnante in perpetuum Domino et Salvatore nostro Iesu Christo, anno incarnationis eiusdem Domini nostri DCCXCI. Carolus excellentisimus et a Deo electus rex Francorum et Langobardorum ac patricios Romanorum, anno felicissimo regni ipsius XXIII, divino nutu inspiratus, sicut ante omnes qui ante eum fuerunt sapientia et prudentia eminet, ita in hoc opere utilissimum suis operis instruxit ingenium, ut universas epistolas, que tempore bonae memoriae domni Caroli avi sui nec non et gloriosi genitoris sui Pippini suisque temporibus de summa sede apostolica beati Petri apostolorum principis seu etiam de imperio [1] ad eos directae esse noscuntur, eo quod nimia vetustatae et per incuriam iam ex parte diruta atque deleta conspexerat, denuo memoralibus membranis summo cum certamine renovare ac rescribere decrevit. Incipiens igitur, ut supra diximus, a principatu praefati principis Caroli avi sui [2], usque praesens tempus ita omnia exarans, ut nullum penitus testimonium sanctae Ecclaesiae profuturum suis deesse successoribus videatur, ut scriptum est : « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens » et cetera. (MGH EPP 3, 476).

**254.** *Cod. Carol. n. 3.* Domino excelentissimo atque christianissimo Pippino maiori domus seu dilectissimis nobis universis episcopis eclesiarum et religiosis abbatibus atque cunctis Deum timentibus principibus in regione Francorum constitutis, Zacharias episcopus sanctae Dei catholicae Romanae ecclesiae in Domino salutem : gratia vobis et pax a Deo patre omnipotente et Domino Iesu Christo, unico filio eius, et ab Spiritu sancto ministretur. Gaudio magno gaudemus in Domino, addiscentes per relationem sublimissimi et a Deo servati praedicti filii nostri Pippini vestram omnium bonam conversationem et quod in bonis et Deo placitis dispositionibus unanimes atque cooperatores estis; ita ut et eclesiae Dei et venerabilia loca per universam vestram provinciam sita adque earum praesules, sacerdotes et religiosi abbates, ut condecet, in sancto habitu et conversacione sacerdotali con-

---

(1) Epistulae imperatorum Byzantinorum ad reges Francorum in Codice Carolino deficiunt.

(2) Karoli Martelli.

versetis, vacantes orationibus, insistentes precibus ad implorandam divinam potentiam et caelitus victoriam tribuendam adversus paganas et infideles gentes propugnatoribus vestris. ... Principes et seculares homines atque bellatores convenit curam habere et sollicitudinem contra inimicorum astutiam et provintiae defensionem, praesulibus vero sacerdotibus adque Dei servis pertinet salutaribus consiliis et oracionibus vacare, ut, nobis orantibus et illis bellantibus, Deo presstante, provincia salva persistat, fiatque vobis in salutem laudem et mercedem perpetuam. Ex hoc quippe praesulatus vester apparebit in sanctitate, et principatus dilecti filii nostri Pippini adprobabitur per subiectorum potestatem et bonum dispositum. Itaque, ut flagitavit a nobis cum vestro consultu superius effatus filius noster Pippinus, ut de omnibus capitulis, quibus innotuit, responsum demus (1), in quantum Domino dante valemus, de unoquoque capitulo inferius conscriptum, iuxta quod a sanctis patribus traditum habemus et sacrorum canonum sanxit auctoritas, etiam et nos, quod Deo inspirante apostolica auctoritate decernere potuimus, mandavimus in responsis.

Primum capitulum, quomodo honorari debeat metropolitanus episcopus a chorepiscopis et parrochialibus presbiteris. In canone sanctorum apostolorum capitulo tricesimo quinto ... (2). Item in canone Antiocheni concilii capitulo nono. ... Item ex libro decretorum beati Leonis papae: capitulo tricesimo secundo. ... Nam et nos ab apostolica auctoritate subiungimus, ut episcopus

(1) Conf. Zachariae epistulam ad s. Bonifatium d. d. 5 Ian. a. 747 (MGH Epist. sel. 1, p. 160), in qua postquam se Pippino flagitante « in brevi eloquio conscripta apostolica documenta » direxisse narravit, addit: « Pro quibus, ut in sacerdotali collegio lectioni pandantur, et tuam fraternam sanctitatem inibi evocari dedimus in mandatis ». De hac synodo anni 747, cuius acta non sunt servata, conf. s. Bonifatii epistulam n. 78 (Epist. sel. 1, p. 163 s.) et Zachariae Papae epistulam ad episcopos regni Francorum (MGH Concil. 2, p. 48, JL 2287).

(2) Responsa Zachariae ad singulas quaestiones, praeter pauca aut ab ipso definita aut aliunde desumpta, omnia ex codice canonum Dionysii Exigui (ML 67, 139 ss.), quam iam saec. VI Romana ecclesia « usu celeberrimo complectitur », (Cassiodorus, Institut. div. litterar., cap. 23; conf. supra n. XXII) desumpta sunt.

iuxta dignitatem suam indumentis utatur; simili modo et presbiteri cardinales. Et si monachica vita velle habeant vivendi, plebi quidem sibi subiectae praeclariori veste induti debitum praedicationis persolvant et in secreto propositum sui servent cordis, ut, qui videt in abscondito, Deus, reddat illis in palam. ... Monachi vero lanea indumenta iuxta normam et regulam monachicae disciplinae atque traditionem sanctorum probabilium patrum sine intermissione utantur. ... Item ex canone Antioceni concilii; capitulo decimo de his qui vocantur chorepiscopi. ... Secundo capitulo de episcopis, presbiteris et diaconibus dampnatis, quod pristinum officium usurpare non debeant. Ex libro canonum sanctorum apostolorum; capitulo vicesimo nono. ... Tertium capitulum de presbiteris supervenientibus. Ex concilio Cartaginiense; capitulo undecimo. ... Quartum capitulum de presbiteris agrorum, quam obedienciam debent exhibere episcopis et presbiteris cardinalibus. Ex concilio Neocesariensi; capitulo XIII. ... Quintum capitulum de monachis, id est ancillis Dei; de quibus flagitatum est, si liceat, eas ad missarum solemnia aut sabbato sancto publicae lecciones legere et ad missas psallere aut alleluia vel responsorium. De his in libro decretorum beati Gelasii pape capitulo XXVI. ... Sextum capitulum de viduis, si possint in propriis habitaculis suis salvare animas. Item ex eodem libro; capitulo XXI. ... Septimum capitulum de laico pellente suam coniugem. Ex canone sanctorum apostolorum XLVIII. ... Octavum capitulum de presbiteris et diaconibus, qui se a ministerio eclesiastico subtraunt et seorsum collectas faciunt. Ex canone Antioceni concilii; capitulo V. ... Nonum capitulum de clericis et monachis non manentibus in suo proposito, quod interrogatum est. In canone Calcedonensi capitulo VII. ... Decimum capitulum de clericis, qui sunt in ptochiis, monasteriis atque martyriis. Ex canone Calcedonensis concilii; capitulo VIIII. ... Undecimum capitulum: qui clerici etiam ab uxoribus abstinere debeant. Ex concilio Affricano; capitulo XXXVII. .... Duodecimum capitulum de his, qui uxores aut qui viros dimittunt, ut sic maneant. Ex concilio supra scripto Africano; capitulo LXVIIII. ... Tertium decimum capitulum: inquisitum est, quod monachus, si clericus factus fuerit, quid agi debeat. Ex decreto beati Innocencii papae; capi-

tulo XVII. ... Quartum decimum capitulum: quod presbiteri aut diaconi, si in aliquo crimine prolapsi fuerint, non possint per manus impositiones penitentiae remedium consequi. In decreto beati Leonis pape capitulo XVI. ... Quintum decimum capitulum pro eo, quod interrogatum est de laicis, qui eclesias in suis proprietatibus construunt, quis ipsas debeat regere aut gubernare. A sanctis patribus ita statutum est et in praeceptis apostolicis (1) continetur: Iuxta petitoris imploratum, ut, si in quolibet fundo cuiuscumque iuris oratorium sive basilica fuerit constructa pro eius devotione in honorem cuiuscumque sancti, in cuius episcopi parrochia fuerit fundatum oratorium aut basilica, percepta primitus donatione legitima, id est praestantem tot, gestisque municipalibus allegatis, praedictum oratorium atque (2) missas publicas solemniter consecratis (3), ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisteria construantur nec presbiter constituatur cardinalis; sed, etsi missus (4) ibi forte maluerit (5), ab episcopo noverit presbiterum postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote nullatenus resistatur (6), nisi ab episcopo fuerit ordinatum. Sextum decimum capitulum de clericis qui proprias eclesias relinquunt, quid de eis agi debeat. Ex canone sanctorum apostolorum; capitulo XV. ... Septimum decimum capitulum item pro episcopis, qui alterius clericos susceperint, ut excommunicentur. In eodem canone capitulo XVI. ... Octavum decimum capitulum: qui clerici uxores sortiri debeant. In XXVII capitulo canonum sanctorum apostolorum. ... Nonum decimum capitulum: ut nullus (episcopus) presbiter aut diaconus sine commendaticiis suscipiatur epistolis. In eodem canone sanctorum apostolorum. ... Vicesimum capitulum de virginibus vaelatis, si deviaverint, quid de illis agendum sit. In libro decretorum beati Innocencii papae capitulo XVIIII. ... Vicesimum primum capitulum idem de non velatis virginibus, si deviaverint. In eodem libro XX

(1) I. e. Libri Diurni formul. XI (supra n. 93), quam iam Pelagius I adhibuit in epistula, quam servavit coll. can. card. Deusdedit (ed. Wolf von Glanvell, p. 323, cap. 178).

(2) Sic. ed.; leg. absque.

(3) Sic. ed.; leg. consecrabit (scil. episcopus).

(4) Sic. ed.; leg. missas.

(5) Addendum: fieri.

(6) Leg. ullatenus presumatur.

kapitulo. ... Vicesimum secundum capitulum de his, quae duobus fratribus nupserint vel qui duas sorores uxores acceperint. In concilio Neocesariense capitulo II continetur: Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiciatur usque ad mortem; verum tamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod, facta incolumis, huius coniunccionis vincla dissolvat, fructum poenitentiae consequatur. Quod si defecerit mulier aut vir in tallibus nubtiis, difficilis erit poenitentia in vita permanenti. Nos autem, gracia divina suffragante, iuxta praedecessorum et antecessorum pontificum decreta multo amplius confirmantes dicimus, ut, dum usquae sese generacio cognoverit, iuxta ritum et normam christianitatis et religionem Romanorum non copulentur coniugiis. Sed nec spiritalem cummatrem aut filiam, quod absit, quis ducat temerario ausu uxorem; est namque nefas et perneciosum peccatum coram Deo et angelis eius. In tantum enim grave est, ut nullus sanctorum patrum atque sacrarum sinodorum adsertiones vel etiam in imperialibus legibus quippiam iudicatum sit; sed, terribile Dei iudicium metuentes, siluerunt sententiam dare. Vicesimum tertium capitulum de his, qui homicidium sponte perpetraverunt. In vicesimo primo capitulo Anquirani concilii. ... Vicesimum quartum capitulum item de his, qui homicidium non sponte perpetraverunt. In eodem concilio capitulo XXII. ... Vicesimum quintum capitulum de his, qui adulteras habent uxores, vel si ipsi adulteri conprobantur. In concilio Anquirano capitulo XVIIII. ... Vicesimum sextum capitulum de monachis et virginibus propositum non servantibus. In libro decretorum beati Siricii papae capitulo VI... Vicesimum septimum capitulum de his, qui non coacte sed voluntate propria virginitatis propositum susceperunt, quod delinquant cum nupserint, etsi nondum fuerint consecrati. In libro decretorum beati Leonis papae capitulo XXVIII. ...

Haec itaque, carissimi nobis et dilectissimi, que superius annexa sunt — in quantum miserante Deo valuimus, inter cetera capitula deflorantes tam de sanctorum apostolorum quamque etiam et beatorum patrum sanctiones seu etiam et probabilium beatissimorum pontificum decreta, ut uniuscuiusque capituli sentencia continet, in brevi eloquio perstringentes — ad vestri praesulatus notitiam et praedicationem atque populis vobis a Deo creditis aedificacionem mandavimus ministranda atque perficienda, hor-

tantes vestram omnium prudentissimam sanctitatem et procerum dilectionem : omnimoda racione, non declinantes a dextris aut sinistris, sed viam regiam incedentes, stantissime observetis apostolica mandata. Etenim haec, amantissimi nobis, vobis dedimus in mandatis ut nec nos coram Deo de taciturnitate iudicemur nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere racionem, sicut scriptum est in dominico precepto : « Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent ». Itaque, nihil excusationis adhibentes, omnium racionabilium animarum salutem procuretis, ita currentes in agone, « ut non vituperetur ministerium vestrum », sed magis de palma victorie bravium accipietis, iuxta egregii apostoli dictum habentes, bonis actibus inherendo, repositam coronam iustitiae in siderea mansione, quam vobis reddat in illum diem iustus iudex, dominus Deus et salvator noster Iesus Christus, qui vivit in unitate cum Deo patre omnipotente et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen. (MGH EPP 3, 479 ss.).

**255.** *Cod. Carol.*, n. 6. Dominis excellentissimis filiis, Pippino regi et nostro spiritali compatri seu Carolo et Carolomanno, idem regibus et utrisque patritiis Romanorum, Stephanus papa. Dum regni vestri nomen inter ceteras gentes erga sinceram fidem beati Petri principis apostolorum lucidissime fulserit, valde studendum est, ut, unde gloriosiores ceteris gentibus in servitio beati Petri vos omnes christiani asserunt, inde omnipotenti Domino, « qui dat salutem regibus », pro defensione sanctae suae Ecclesiae perfectius placeatis, ut fidem, quam erga eundem principem apostolorum colitis, adiutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, praecellentissimi filii, amplius protelando nostram locutionem dilatare; sed, quia prae multis ab iniquo Haistolfo rege Longobardorum nobis ingestis tribulationibus cor nostrum nimio atteritur dolore et tedet spiritus noster, ideo a multorum sermonum prolixitate declinavimus et unum, quod est necessarium, excellentissimae christianitati vestrae innotescere studuimus. A Deo protecte nosterque spiritalis compater et vos, dulcissimi filii, pro mercede animarum vestrarum, quemammodum misericors Deus noster caelitus victorias vobis largiri dignatus est, iustitiam beati Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis et per donacionis paginam restituendum confirmavit bonitas vestra.

Nunc autem, sicuti primitus christianitati vestrae de malicia ipsius impii regis ediximus, ecce iam mendatium et iniqua perversitas atque eius periurium declaratum est. Antiquus quippe humani generis ostis, diabolus, eius perfidum invasit cor, et, que sub vinculo sacramenti adfirmata sunt, irrita facere visus est; nec unius enim palmi terrae spatium beato Petro sanctaeque Dei ecclesiae rei publice Romanorum reddere passus est. Tanto quippe a die illo, a quo ab invicem separati sumus, nos affligere et in magna ignominia sanctam Dei Ecclesiam habere conatus est, quanto non possunt hominum lingue aenarrare, quia etiam et ipsi lapides, si dici potest, tribulationem nostram magno ululatu flerent; et ita nos visus est affligere, ut denuo in nobis innovata fuisset infirmitas. Nimis namque lugeo, excellentissimi filii, cur, verba nostrae infelicitatis non audientes, mendatium plus quam veritatem credere voluistis, inludentes vos et inridentes. Unde et sine aeffectu iustitiae beati Petri ad proprium ovile et populum nobis commissum sumus reversi. Omnes denique christiani ita firmiter credebant, quod beatus Petrus princeps apostolorum nunc per vestrum fortissimum brachium suam percepisset iustitiam, dum tam maximum ac praefulgidum miraculum vestris felicissimis temporibus demonstravit talemque vobis immensam victoriam Dominus Deus et salvator Iesus Christus per intercessiones sui principis apostolorum pro defensione sancte sue Ecclesie largiri dignatus est; sed tamen, boni filii, credentes eidem iniquo regi, quod per vinculum sacramenti pollicitus est, propria vestra voluntate pro (1) donationis paginam beati Petri sanctaeque Dei Ecclesiae rei publice civitates et loca restituenda confirmastis. Sed ille, oblitus fidem christianam et Deum qui eum nasci praecepit, irrita, que per sacramentum firmata sunt, facere visus est. Quapropter « iniquitas eius in verticem illius descendit »; patefactus quippe est laqueus, quem effodit, et in eo pro suo mendatio et periurio incidit. Coniuro vos, filii excellentissimi et a Deo protecti, per dominum Deum nostrum et sanctam eius, gloriosam semperque virginem genetricem Mariam, dominam nostram, omnesque virtutes caelorum seu per beatum Petrum principem apostolorum, qui vos in reges unxit, ut doleat

(1) Leg. per

vobis pro sancta Dei Ecclesia, et iuxta donationem, quam eidem protectori vestro, domino nostro, beato Petro, offerre iussistis, omnia reddere et contradere sancte Dei Ecclesiae studeatis et nequaquam iam ipsius nequissimi regis vel eius iudicum seductuosa verba et illusionis mendatia credatis. Ecce enim patefactum est eius mendatium, ut nequaquam ulterius vires credendi habere possit; sed magis, cognito eius iniquo ingenio et iniqua voluntate, eius fraudantur insidie. Et quod semel beato Petro polliciti estis et per donationem vestram manu firmatam, pro mercede anime vestre beato Petro reddere et contradere festinate. Beatus denique Paulus apostolus ait: « Melius est non vovere, quam post votum non reddere ». Etenim nos omnes causas sanctae Dei Ecclesiae in vestro gremio commendavimus; et vos reddetis Deo et beato Petro rationem in die tremendi iuditii, quomodo decertaveritis pro causa eiusdem principis apostolorum et restituendis eius civitatibus et locis. Vobis denique multis iam devolutis temporibus hoc bonum opus reservatum est: ut per vos exaltetur Ecclesia et suam princeps apostolorum percipiat iustitiam. Nullus meruit de vestris parentibus tale praefulgidum munus, sed vos preelegit et prescivit Deus ante tempora aeterna, sicuti scriptum est: « Quos praescivit et praedistinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, illos et iustificavit ». Vocati estis, iustitiam ipsi principi apostolorum sub nimia festinatione facere studete, quia scriptum est: « Fides ex operibus iustificatur ». De omnibus vero tribulationibus nostris, quas passi sumus vel denuo patimur, Deo auxiliante Folradus [1] filius noster, vester consiliarius, et eius socii enarrent vobis. Et ita agite de causa beati Petri, ut et in hac vita victores favente Domino existatis et in futuro, intercedente ipso principe apostolorum beato Petro, gaudia possideatis aeterna. *Bene valete, excellentissimi filii* [2].

(MGH EPP 3, 488 ss.).

**256.** *Cod. Carol.* n. 10. Petrus vocatus apostolus a Iesu Christo, Dei vivi Filio, — qui, ante omnia secula cum Patre regnans in unitate Spiritus sancti, in ultimis temporibus pro

(1) Abbas s. Dionysii Parisiensis.

(2) Data est epistula a. 755.

nostra omnium salute incarnatus et homo factus nos suo redemit precioso sanguine per voluntatem paterne gloriae, quemadmodum per Sanctos suos destinavit Prophaetas in Scripturis sanctis, — et per me omnis Dei catholica et apostolica Romana eclesia, capud omnium eclesiarum Dei, ipsius Redemptoris nostri sanguine super firmam fundata petram, adque eiusdem almae eclesiae Stephanus presul, gracia, pax et virtus ad eruendam eandem sanctam Dei Eclesiam et eius Romanum populum mihi commissum de manibus persequentium [1] plenius ministretur a Domino Deo nostro vobis, viris excellentissimis Pippino, Carolo et Carlomanno, tribus regibus,adque sanctissimis episcopis, abbatibus, presbiteris vel cunctis religiosis monachis, verum etciam ducibus, comitibus et cunctis generalibus exercitibus et populo Franciae commorantibus. Ego Petrus apostolus, dum a Christo, Dei vivi filio, vocatus sum superne clemenciae arbitrio, illuminator ab eius potencia tocius mundi sum preordinatus. ... Quam ob rem omnes, qui meam audientes impleverint praedicacionem, profecto credant, sua in hoc mundo Dei precepcione relaxari peccata, et mundi adque sine macula in illam progredientur vitam; etenim, quia illuminacio Spiritus sancti in vestris refulsit praefulgidis cordibus vosque amatores effecti estis sanctae et unice Trinitatis per susceptum evvangelicae praedicacionis verbum, profecto in hac apostolica Dei Romana eclesia nobis commissa vestra future retribucionis spes tenetur adnexa. Ideoque ego, apostolus Dei Petrus, qui vos adoptivos habeo filios, ad defendendum, de manibus adversariorum hanc Romanam civitatem et populum mihi a Deo commissum seu, et domum, ubi secundum carnem requiesco, de contaminacione gencium eruendam verum tamen omnium dileccionem provocans adortor et liberandam Eclesiam Dei mihi a divina po-

---

[1] Scripta est epistula a. 756 m. Februario, dum Aistulfus Romam obsidione premeret. Effectus istius et aliarum duarum Stephani epistularum (Cod. Carol., n. 8 et 9) fuit Pippini expeditio in Italiam, qua Aistulfum victum ad tradendas sibi urbes s. Petro promissas constrinxit, novaque donationis charta confecta, s. Petro et Romanae ecclesiae tradidit. Fulradus, abbas s. Dionysii, a Pippino missus, claves singularum urbium Romam detulit. Conf. Vita Stephani II in LP ed. Duchesne, I, p. 453 ss.

tencia commendatam omnino pretestans admoneo pro eo, quod maximas afflicciones et oppressiones a pessima Langobardorum gente paciuntur. Nequaquam aliter teneatis, amantissimi, sed pro certo confidite : per memet ipsum tamquam in carne coram vobis vivus adsistens per hanc adortacionem validis constringimus atque obligamus adiuracionibus, quia secundum promissionem, quam ab eodem domino Deo et redemptori nostro accepimus, peculiares inter omnes gentes vos omnes Francorum populos habemus. Itaque pretestor et admoneo tamquam in enigmate et firma obligacione coniuro vos, christianissimos reges Pippinum Carolum et Carlomannum, adque omnes sacerdotes, episcopos, abbates, presbiteros vel universos religiosos monachos, vel cunctos iudices, idem duces, comites et cunctum Francorum regni populum et tamquam presentaliter in carne vivus adsistens coram vobis ego, apostolus Dei Petrus, ita firmiter credite vobis adhortacionis alloqui verba, quoniam, etsi carnaliter desum, spiritaliter autem a vobis non desim; quoniam scriptum est : « Qui suscipit profetam in nomine prophaetae, mercedem suscipit prophaetae ». Sed et domina nostra, Dei genitrix, semper Virgo Maria, nobiscum vos magnis obligacionibus adiurans pretestatur atque ammonet et iubet, simul etiam et throni adque dominaciones vel cunctus celestis miliciae exercitus nec non et martyres atque confessores Christi et omnes omnino Deo placentes. Et hi nobiscum adhortantes et coniurantes pretestantur, quatenus doleat vobis pro civitate ista Romana; nobis a domino Deo commissa et ovibus dominicis in ea commorantibus nec non et pro sancta Dei Ecclesia mihi a Domino commendata. Et defendite adque liberate eam sub nimia festinacione de manibus persequentium Langobardorum, ne, quod absit, corpus meum, quod pro domino Iesu Christo tormenta perpessum est, et domus mea, ubi per Dei precepcionem requiescit, ab eis contaminentur, et populus meus peculiaris lanietur amplius nec trucidentur ab ipsa Langobardorum gente, qui tanto flagitio periurii rei existunt et transgressores divinarum scripturarum probantur. Prestate ergo populo meo Romano, mihi a Deo commisso in hac vita, fratribus vestris, Domino cooperante, presidia totis vestris viribus, ut ego, Petrus vocatus Dei apostolus, in hac vita et in die futuri examinis vobis alterna impendens patrocinia — in regno Dei lucidissima ac preclara vobis pre-

parentur tabernacula — atque praemia aeterne retribucionis et infinita paradisi gaudia vobis pollicens ad vicem tribuam, dummodo meam Romanam civitatem et populum meum peculiarem, fratres vestros Romanos, de manibus iniquorum Langobardorum nimis velociter defenderitis. ...

(MGH EPP 3, 501 s.).

**257.** *Cod. Carol.* n. 13. Domino excellentissimo atque precellentissimo et a Deo instituto magno victori Pippino, regi Francorum et patritio Romanorum, omnis Senatus atque universa populi generalitas a Deo servatae Romanae urbis. ... At vero in ipsis vestris mellifluis apicibus nos salutari providentia vestra et ammonere studuit, firmos nos ac fideles debere permanere erga beatum Petrum principem apostolorum et sanctam Dei Ecclesiam et circa beatissimum et coangelicum spiritalem patrem vestrum, a Deo decretum domnum nostrum Paulum (1), summum pontificem et universalem papam. Pro quo omnino laetati sumus in tam vestra prudentissima ammonitione. ... Nos quidem, praecellentissime regum, firmi ac fideles servi sanctae Dei Ecclesiae et praelati ter beatissimi et coangelici spiritalis patris vestri, domni nostri Pauli, summi pontificis et universalis papae, consistimus, quia ipse noster est pater et optimus pastor et pro nostra salute decertare cotidiae non cessat, sicut et eius germanus, sanctae recordationis beatissimus domnus Stephanus papa, fovens nos et salubriter gubernans sicut revera rationales sibi a Deo commissas oves; dum nimirum et mitissimus et vere in omnibus misericors existit, imitator effectus beati Petri, cuius vices gerit, et dum eius vicarius consistit. Nos quidem, excellentissime ac christianissime domine rex, firmam fiduciam in huiuscemodi vestra habemus pollicitatione; sed obnixae deprecamur et tamquam praesentaliter vestris regalibus provoluti vestigiis petimus, etiam et per nos beatus Petrus vestram adgreditur excellentiam, ut iubeas, benignissime regum nosterque post Deum defensor, ita solite decertare ac disponere, ut perfecta sanctae Dei Ecclesiae exaltatio et fidei nostrae orthodoxae omniumque nostrum profligetur defensio,

(1) Paulus I, Stephani II frater (757-767).

petentes et hoc coram Deo vivo, qui vos in regem per suum apostolum beatum Petrum ungui praecepit ut dilatationem huius provintiae a vobis de manu gentium ereptae perficere iubeatis et in eo quod cepistis bono permaneatis opere, quatenus in magna securitatis quiaete degere valeamus. ... (MGH EPP 3, 509 s.).

258. *Cod. Carol.* n. 41. Domino excellentissimo filio et nostro spiritali compatri Pippino regi Francorum et patricio Romanorum Paulus papa. ... Unde susceptis in presenti a Deo protecte excellentiae vestrae syllabis, nempe relectis, protinus cuncta, quae ferebantur in illis, libenter adimplevimus. In eis siquidem conperimus exaratum, quod presentes Deo amabilis Remedii germani vestri [1] monachos Symeoni scole cantorum priori contradere deberemus ad instruendum eos psalmodii modulationem, quam ab eo adprehendere tempore, quo illic in vestris regiminibus extitit, nequiverunt; pro quo valde ipsum vestrum asseritis germanum tristem effectum, in eo quod non eius perfecte instruisset monachos. Et quidem, benignissime rex, satisfacimus christianitatem tuam, quod, nisi Georgius qui eidem scolae praefuit, de hac migrasset luce, nequaquam eundem Simeonem a vestri germani servitio abstolere niteremur. Sed defuncto praelato Georgio et in eius isdem Symeon, utpote sequens illius, accedens locum, ideo pro doctrina scolae eum ad nos accersivimus. Nam absit a nobis, ut quippiam, quod vobis vestrisque fidelibus onerosum existit, peragamus quoquomodo; potius autem, ut praelatum est, in vestrae caritatis dilectione firmi permanentes, libentissimae, in quantum virtus subpetit, voluntati vestrae obtemperandum decertamus. Propter quod et prefatos vestri germani monachos sepe dicto contradimus Simeoni eosque obtime collocantes sollerti industria eandem psalmodii modolationem instrui praecepimus et crebro in eadem, donec perfectae eruditi efficiantur, pro amplissima vestrae excellentiae atque nobilissima germani vestri dilectione, ecclesiasticae doctrinae cantilena [2] disposuimus efficaci cura permanendum. ... [3].

(MGH EPP 3, 553 s.).

---

(1) Rotomagensis episcopi.

(2) Sic. ed.; lege: doctrina cantilenae.

(3) Conf. infr. n. 276, c. 80.

**259.** *Cod. Carol.* n. 45. Dominis excellentissimis filiis, Carolo et Carlomanno regibus Francorum et patriciis Romanorum Stephanus (1) papa. ... Itaque nostrae perlatum est notioni, quod certae cum magno cordis dolore dicimus: eo quod Desiderius Langobardorum rex vestram persuadere dinoscitur excellentiam, suam filiam uni ex vestra fraternitate in conuvio copulari. Quod certe si ita est, haec propriae diabolica est immisio et non tam matrimonii coniunctio, sed consortium nequissimae adinventionis esse videtur, quoniam plures conperimus, sicut divinae Scripturae historia instruimur, per aliene nationis iniustam copulam a mandatis Dei deviare et in magno devolutos facinore. Quae est enim, praecellentissimi filii, magni reges, talis desipientia, ut penitus vel dici liceat, quod vestra praeclara Francorum gens, quae super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestrae potentiae proles perfidae, quod absit, ac foetentissimae Langobardorum genti polluatur, quae in numero gentium nequaquam conputatur, de cuius natione et leprosorum genus oriri certum est! Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc vel suspicari potest, ut tales nominatissimi reges tanto detestabili atque abhominabili contagio implicentur: « Quae enim societas luci ad tenebras? » aut « Quae pars fideli cum infidelae? ». Etenim, mitissimi et a Deo instituti benignissimi reges, iam Dei voluntate et consilio coniugio legitimo ex praeceptione genitoris vestri copulati estis, accipientes, sicut preclari et nobilissimi reges, de eadem vestra patria, scilicet ex ipsa nobilissima Francorum gentae, pulchrissimas coniuges. Et eorum vos oportet amori esse adnexos; et certae non vobis licet, eis dimissis, alias ducaere uxores vel extranaee nationis consanguinitate immisci (2). ...

(MGH EPP 3, 561).

**260.** *Cod. Carol.* n. 60. Domino excellentissimo filio, Carolo regi Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum Hadrianus Papa. ... Et hoc deprecamur vestram excellentiam, amantissime fili et preclare rex, pro Dei amo-

---

(1) Stephanus III, 768-772.

(2) Matrimonium Karoli, qui de caetero uxorem ante non duxerat, cum Desiderii filia, interventu Bertradae, Karoli matris, a. 770 celebratum est. Post annum eam repudiavit et Hildigardem uxorem duxit.

re et ipsius clavigeri regni caelorum, qui solium regni patris vestri vobis largiri dignatus est ut secundum promissionem, quam polliciti estis eidem Dei apostolo pro animae vestrae mercaede et stabilitate regni vestri, omnia nostris temporibus adimplere iubeatis, ut Ecclesia Dei omnipotentis, id est beati Petri apostoli, cui claves regni caelorum ab omnium opificae facinorum nexus solvendi simulque ligandi attributa est facultas, in omnibus amplius quam amplius sancta Dei Ecclesia exaltata permaneat et omnia secundum vestram pollicitationem adinpleantur; et tunc vobis in caelestibus arcibus adscribitur merces et bona oppinio in universo mundo. Et sicut temporibus beati Silvestri Romani pontificis a sanctae recordationis piissimo Constantino, magno imperatore, per eius largitatem sancta Dei catholica et apostolica Romana ecclesia elevata atque exaltata est et potestatem in his Hesperiae partibus largiri dignatus, ita et in his vestris felicissimis temporibus atque nostris sancta Dei Ecclesia, id est beati Petri apostoli, germinet atque exultet et amplius quam amplius exaltata permaneat, ut omnes gentes, quae hec audierint, edicere valeant: « Domine, salvum fac regem, et exaudi nos in die, in qua invocaverimus te »; quia ecce novus christianissimus Dei Constantinus imperator his temporibus surrexit, per quem omnia Deus sanctae suae Ecclesiae beati apostolorum principis Petri largiri dignatus est. Sed et cuncta alia, quae per diversos imperatores, patricios etiam et alios Deum timentes pro eorum anime mercedae et venia delictorum in partibus Tusciae, Spoletio seu Benevento atque Corsica simul et Savinensae patrimonio beato Petro apostolo sanctaeque Dei et apostolicae Romanae ecclesiae concessa sunt et per nefandam gentem Langobardorum per annorum spatia abstulta atque ablata sunt, vestris temporibus restituantur; unde et plures donationes in sacro nostro scrinio Lateranensae reconditas habemus. Tamen et pro satisfactione christianissimi regni vestri per iam fatos viros ad demonstrandum eas vobis direximus. Et pro hoc petimus eximiam praecellentiam vestram, ut in integro ipsa patrimonia beato Petro et nobis restituere iubeatis. Et dum omnia per vestrum congruum dispositum sancta Dei Ecclesia effectum susceperit, ipse princeps apostolorum beatus Petrus ante tribunal omnipotentis clementiam pro vestra sospitate atque longevitate et exaltatione a Deo confortati regni vestri deprecetur maiestatem. ...

(MGH EPP 3, 587).

**261.** *Cod. Carol.* n. 77. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri, Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. Vestre a Deo protecte regalis excellentiae suscipientes missos, scilicet Ittherium et Magenarium (1) religiosos abbates, sciscitati sunt nos interrogantes de Saxonibus, qui christiani fuerunt et ad paganissmum reversi sunt, qualem penitentiam eis sacerdotes iudicare debeant. Hoc predecessorum nostrorum, sanctorum pontificum, dudum decretum est: quod, qui resipiscentes et ruinas suas cogitantes redire maluerint, sub longa penitentiae satisfactione admittendi sunt; et iterum: penitentiae satisfactione purgentur, quae non tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda sunt. Et ideo, excellentissimae et a Deo protecte fili, oportet sacerdotes partibus illis pastorali circumdari sollertiam atque episcopalem induere vigilantiam et in eorum arbitrio indici poenitentiam, considerantes piaculum tam voluntatis quamque extra voluntatem coacti ad suum revertentes vomitum, et tunc canonica promere sententia, quatenus, si veraciter reversi in fide orthodoxa maluerint perseverari — promissuros se omnem adimpleri episcopalem praedicationem, indiculum orthodoxae fidei exarantes secundum olitanam patrum tradicionem, unum confitentes baptismum, sub iusiurandum pollicentes fidem christianitates servaturos —, in gremio suscipiantur orthodoxae fidei Ecclesiae, ut copiosa merces vobis adscribatur in caelis. *Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.* (MGH EPP 3, 609).

**262.** *Cod. Carol.* n. 85. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri, Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. Directus a vestra insigne regale precellentia, videlicet Ermenbertus religiosus presbiter, inter responsionis suae verba obtulit nobis commemoratorium, ut asserebat, vestre excellentiae exaratum, scilicet de electione episcoporum Ravennatis ecclesiae: quia, quando Sergius (2) archiepiscopus obiit,

(1) Hitherius, ab a. 775 s. Martini Turonensis abbas, Karoli cancellariae praeerat, Maginarius ab a. 784 abbas erat s. Dionysii.

(2) De singulis archiepiscopis Ravennae conf. Agnelli Librum Pontificalem ecclesiae Ravennatis (MGH SS RR Langobard. 265-391). Agnel-

in electione Leonis archiepiscopi fuerunt missi vestri, Hucbaldus vel pares sui. In hoc enim omnino valde vestram excellentiam meminere credimus, quia, quando predictus Sergius archiepiscopus obiit, per suam arrogantiam Michaelius presumtor invadere ausus fuit ecclesiam Ravennatem et, per auxilium Desiderii sevissimi regis ipsam enormiter invadens, ecclesiam diu detinebat, et a suo proprio rectore destituta atque viduata manebat. Tunc ad decessorem nostrum sanctae recordationis, domnum Stephanum papam predictus Hucbaldus a vestra directus regale excellentia pro ceteris causis ab eodem prelato domno Stephano papa per vestrum a Deo roboratum regale adminiculum Ravennam missus est, eundem prefatum Michaelium invasorem ex ipsa Ravennatis ecclesia expellendum et hic Roma tamquam transgressorem sacrorum canonum deferendum. Nam nos nullo modo meminimus: neque a predecessoribus nostris, sanctis pontificibus, neque a sanctae recordationis precellentissimi genitoris vestri, domni Pippini, magni regis, neque a vestra in triumphis regali victoria missum ad electionem Ravenne directum esse tam in electione Iohannis archiepiscopi quam in electione Gratiosi archiepiscopi eiusdem. Sed dum de hac luce contigisset migrari archiepiscopum civitatis Ravennantium, olitana tradicio clerus et pleps consistens sedis apostolice petebant inmutilata doctrina: quatenus, una concordia, una eademque voluntas unoque consilio conglobati, apostolicam suscipientes admonitionem, talem sibi eligerent pastorem, qui nec a sacris canonibus respueretur nec ullo extra capitulo possit obsistere; qui cum iocunditate, decreti omnium manibus subscriptione roboratum (1), ad nostrae apostolicae sedes occurrebant, proprium sibi antestitem consecrandum; sicut et nunc canonicae factum est. Sed his omnibus vestram suadentes regalem excellentiam quaesumus, ut linguas dolosas, quae adversus sanctam Romanam catholicam et apostolicam ecclesiam garrire simulant, procul dubio longe a vobis respuantur, et nullo modo labiis iniquis et dolosis credere iubeatis. ... (MGH EPP 3, 621 s.).

---

lus inter aa. 830 et 840 vitas pontificum Ravennatium ad instar LP Romani compilavit, fontem, qui etsi plurimas archaeologo pretiosissimas notitias contineat, a historico tamen non nisi magna cum cautela adhibendus est. Abundat enim fabulis et ineptis nugarum narrationibus.

(1) Conf. Libri Diurni formul. 3, supra n. 90.

**263.** *Cod. Carol.* n. 89. Domino excellentissimo filio nostroque spiritali compatri, Carolo regi Francorum et Langobardorum ac patricio Romanorum Hadrianus papa. ... De sacramentario vero a sancto disposito predecessori nostro, deifluo Gregorio papa: immixtum vobis emitteremus, iam pridem Paulus grammaticus (1) a nobis eum pro vobis petente secundum sanctae nostrae ecclesiae tradicionem, per Iohannem monachum atque abbatem civitatis Ravennantium vestrae regali emisimus excellentiae. Quatenus, obtantes pro vestra regali invictissima excellentia, eundem Dei apostolum vestrumque protectorem poscentes quaesumus, ut, semper ubique vos comitante, victores super omnes barbaras nationes efficiat et una cum domna spiritali filia nostra, excellentissima regina, vestraeque prosapiae nobilissima prole longiori in hoc regnantes mundo in vitam aeternam cum sanctis omnibus regnari sine fine eius interventionibus faciat. *Incolomem excellentiam vestram gratia superna custodiat.* (MGH EPP 3, 626).

## LXV. ALCUINUS

In Eboracensis ecclesiae schola, quae Egberti (2) et Aelberti (3) archiepiscoporum cura Bedae doctrinam fideliter servavit et auxit, educatus, Alcuinus ex s. Willibrordi stirpe ortus, diaconus Eboracensis ecclesiae c. a. 778 Aelberto in officio magistri scholae celeberrimae successit. Virum doctissimum Roma a. 781 in patriam redeuntem Karolus M. Parmae vidit et in Franciam vocavit. A Karolo abbatias s. Lupi Trecensis (Troyes) et Ferrariensem (Ferrières) accepit, quibus a. 796 celeberrimum s. Martini Turonense monasterium additum est; inter aa. 782 et 796 in schola palatina docuit; aa. 786 et 790-93 in patriam rediit, ab a. 796 Turonis vixit et docuit ibique a. 804 obiit. Magnum Alcuini meritum in eo est, quod eruditionem Anglosaxonum, tum theologicam, tum profanam in Karoli imperio divulgavit, tum libris, tum indefesso docendi labore. Karolo a consiliis fuit in rebus scholasticis eiusque influxus in capitularibus de cleri eruditione se manfestat. Ut fontes historiae ecclesiasticae primum locum inter Alcuini scripta obtinent eius *epistulae* c. 300 (MGH EPP 4, 1- 481; Bibliotheca rerum Germanicarum 6, 174-897; ML

(1) Paulus Diaconus, conf. supra n. LIX.
(2) Conf. supra n. 190.
(3) aa. 767-778.

100, 139-514); inter *carmina* (MGH Poetae lat. aevi Karolini 1, 169-351); ML 101, 723-812) *Versus de Sanctis Eboracensis Ecclesiae* (MGH Poet. Lat. 1, 169-206; ML 101, 812-846), fons magnae auctoritatis ad cognoscendam indolem et historiam scholae Eboracensis. Opera theologica et liturgica post Frobenium Forster (Ratisbonae 1772; ML 100, 101) nemo retractavit. Notandi imprimis ut fons historiae Adoptianismi *ll. 7 adversus Felicem Urgellitanum* (ML 101, 119 230); *liber adversus haeresim Felicis* (ib. 87-120); *ll. 4 adversus Elipandum Toletanum* (ib. 231-304) (1). Tractatum theologiae dogmaticae constituunt *ll. 3 de fide s Trinitatis* (ib. 13-58), a. 802 ad usum imperatoris scripti. Alcuinum auctorem esse *Librorum Carolinorum*, nuperrime H. Bastgen probavit (NA 36, 631 ss., 37, 15 ss. et 455 ss.), illosque ex codice autographo (Vat. lat. 7207) edidit (MGH Concil. 2, Supplementum). Qui libri, etsi auctore pessima versione latina actorum graecorum synodi Nicaenae II in errorem inducto, falsa nituntur suppositione synodum decrevisse imaginibus Sanctorum eundem tribuendum esse cultum ac ss. Trinitati, et acerrime in synodum invehente, fontem nihilominus pretiosissimum historiae cultus imaginum constituunt. Inter liturgica Alcuini opera eminet eius « editio critica » *sacramentarii Gregoriani* (2), cui diversas orationes et missas addidit (ed. H. A. Wilson in The Gregorian Sacramentary, H. Brandshaw Society, vol. 49, London 1915, p. 145 ss. (3). Praeter opera exegetica complura (ML 100, 515-1156), Alcuinus iubente Karolo M. c. a. 800 textus Vulgatae editionem emendatam curavit (4). Alcuini magistri artem et methodum praecipue manifestant opuscula de grammatica, rhetorica, dialectica (ML 101, 849-1002) (5). Eius

---

(1) Conf. Alcuini epistulas ad Elipandum et Felicem (MGH EPP 4, n. 5, 23, 166, 183) et eius epistulas 193, 207 et 208 ad Arnonem Salisburgensem, necnon concilia Francofurtense a. 794, Foroiuliense a. 796/7 et Aquisgranense a. 800 (MGH Concil. II, 110-171, 177-195, 220-225) et s. Paulini, Aquileiensis patriarchae (787-802) ll. 3 contra Felicem (ML 99, 343-468).

(2) Conf. supra n. 263.

(3) Conf. *Das Sacramentarium Gregorianum* ed. H. Lietzmann, Münster 1921, p. XVIII ss.

(4) Conf. H. Quentin, *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, Roma 1922, p. 266 ss.

(5) In aliquot codicibus saec. IX inter Alcuini opera servata est « Disputatio puerorum per interrogationes et responsiones » (ML 101, 1097-1144), quam saltem in Alcuini schola ortam esse existimo; ita auctor est etiam « catechismi » per interrogationes et responsiones dispositi.

eruditionis astronomicae specimen praebent epistulae ad Karolum M. de diversis quaestionibus astronomicis (epp. 126, 148, 149, 155, 170, 171) et *Libellus de saltu lunae* (ML 101, 981 ss.). Quodsi maxima Alcuinus per haec opera merita de eruditione inter clericos et laicos divulganda adeptus est, non minus de animarum salute meruit per opera ascetica, inter quae notanda: *Liber de virtutibus et vitiis* (ML 101, 613 ss.). in usum Widonis, comitis limitis Brittanniae scriptus, *Breviarium*, « qualiter homo laicus, qui adhuc in vita activa consistit, per dinnumeratas horas Deo supplicare debeat », Karolo M. dicatum, (ep. 304; conf. ML 101, 509-612), et *epistula ad scholares s. Martini Turonensis*, de frequenti confessione (ep. 131). Multae de caetero eius epistulae non sunt nisi exhortationes ad perfectionem christianam; notandae inprimis epistulae ad diversos episcopos (Arnonem v. g. Salisburgensem), quibus ad recte obeunda gravissimi muneris officia eos inducere conatur. Alcuini *Vitam* (Bibl. rer. Germ. VI, 3-33; ML 100, 89 ss.) ex Sigulfi discipuli eius narratione monachus quidam Ferrariensis ante a. 829 scripsit.

**264.** *Versus de Sanctis Eborac. eccl.* (*De Aelberto magistro scholae Eborac.* vv. 1426-1452).

Tunc pius et prudens doctor simul atque sacerdos,
Pontificique comes Ecgbert coniunctus adhaesit,
Cui quoque sanguineo fuerat iam iure propinquus:
A quo defensor clero decernitur omni,
Et simul Eborica praefertur in urbe magister,
Ille ubi diversis sitientia corda fluentis
Doctrinae et vario studiorum rore rigabat;
His dans grammaticae rationis gnaviter artes,
Illis rhetoricae infundens refluamina linguae,
Illos iuridica curavit cote polire,
Illos Aonio docuit concinnere cantu,
Castalida instituens alios resonare cicuta,
Et iuga Parnassi lyricis percurrere plantis.
Ast alios fecit praefatus nosse magister
Harmoniam coeli, solis lunaeque labores,
Quinque poli zonas, errantia sidera septem,
Astrorum leges, ortus simul atque recessus,
Aerios motus pelagi terraeque tremorem,
Naturas hominum, pecudum volucrumque ferarum,
Diversas numeri species variasque figuras,
Paschalique dedit sollemnia certa recursu,
Maxime Scripturae pandens mysteria sacrae.
Nam rudis et Veteris Legis patefecit abyssum.
Indolis egregiae iuvenes quoscunque videbat,

Hos sibi coniunxit, docuit, nutrivit, amavit;
Quapropter plures per sacra volumina doctor
Discipulos habuit, diversis artibus auctos.
(MGH PL 1, 201).

**265.** *Ib.* vv. 1535-1561 (*De Eboracensi bibliotheca*).
Illic invenies veterum vestigia patrum,
Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe,
Graecia vel quidquid transmisit clara Latinis,
Hebraicus vel quod populus bibit imbre superno,
Africa lucifluo vel quidquid lumine sparsit.
Quod pater Hieronymus, quod sensit Hilarius atque
Ambrosius praesul, simul Augustinus, et ipse
Sanctus Athanasius, quod Orosius edit avitus:
Quidquid Gregorius summus docet et Leo papa;
Basilius quidquid, Fulgentius atque coruscant.
Cassiodorus item, Chrysostomus atque Iohannes.
Quidquid et Althelmus docuit, quid Beda magister,
Quae Victorinus scripsere Boetius atque,
Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse
Acer Aristoteles, rhetor quoque Tullius ingens.
Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Iuvencus,
Alcimus et Clemens, Prosper, Paulinus, Arator,
Quid Fortunatus, vel quid Lactantius edunt.
Quae Maro Virgilius, Statius, Lucanus et auctor,
Artis grammaticae vel quid scripsere magistri:
Quid Probus atque Focas, Donatus Priscianusve,
Servius, Euticius, Pompeius, Comminianus.
Invenies alios perplures, lector, ibidem
Egregios studiis, arte et sermone magistros,
Plurima qui claro scripsere volumina sensu;
Nomina sed quorum praesenti in carmine scribi
Longius est visum, quam plectri postulet usus.
(MGH PL 1, 203 s.).

**266.** *Epist.* 6. Dilecto amico N. abbati salutem. Bono animo esto, frater, et in servitio Dei viriliter labora, in ieiunio, oratione et vigiliis sicut iam fecisti. Et saluta millies dilectissimum meum U i l h a e d episcopum (1). Multum me poenitet, quod recessi ab eo. Utinam videam eum,et sit cur-

(1) Bremensem (787-789; eius *Vita* in MGH SS 2, 378 ss.; ML 98, 1013 ss.).

sus vitae meae consummatus in peregrinatione. Tantum orate pro me, ut Dominus dirigat vias meas in sua misericordia. Mandate mihi per litteras, quomodo habeatis vel quid faciatis; et quomodo consentiant vobis Saxones in praedicatione; et si spes ulla sit de Danorum conversione; et si Wilti vel Vionudi (1), quos nuper adquisivit rex, fidem Christi accipiant; et quid illis in partibus agatur; et quid de Hunorum (2) hoste dominus rex acturus sit. ... (MGH EPP 4, 31).

**267.** *Epist.* 16. Domino dilectissimo Aethelredo regi et omnibus optimatibus eius humilis levita Alchvine salutem. ... Ecce trecentis et quinquaginta ferme annis, quod nos nostrique patres huius pulcherrime patrie incole fuimus, et numquam talis terror prius apparuit in Brittannia, veluti modo a pagana gente perpessi sumus, nec eiusmodi navigium fieri posse putabatur. Ecce ecclesia s. Cudberhti (3) sacerdotum Dei sanguine aspersa, omnibus spoliata ornamentis, locus cunctis in Brittannia venerabilior, paganis gentibus datur ad depredandum. Et ubi primum post discessum sancti Paulini ab Euboracia christiana religio in nostra gente sumpsit initium (4), ibi miserie et calamitatis coepit exordium. Quis hoc non timet? Quis hoc quasi captam patriam non plangit? Vineam electam vulpes depredarunt, hereditas Domini data est populo non suo. Et ubi laus Domini, ibi ludus gentium. Festivitas sancta versa est in luctum. ... (MGH EPP 4, 42 s.).

**268.** *Epist.* 110. Domino excellentissimo et in omni Christi honore devotissimo Carolo, regi Germaniae Galliae atque Italiae et sanctis verbi Dei praedicatoribus humilis sanctae matris Ecclesiae filiolus Albinus aeternae gloriae in Christo salutem. Gloria et laus Deo Patri et Domino nostro Iesu Christo, quia in gratia sancti Spiritus, per devotionem et mini-

(1) Nationes Slavicae ad ripas Albis (Elbe) fluminis, a. 789 a Karolo subactae.

(2) Avari.

(3) Lindisfarnensis, (conf. supra p. 200) cuius per Nortmannos vastatio a. 793 Alcuino occasio fuit ad scribendas epistulas complures ad reges, episcopos, monachos Angliae, quos ad morum emendationem et orationem exhortatur (Epp. 17-22) necnon ad carmen elegiacum *De clade Lindisfarnensi* (MGH Poet. lat. I, 229-235; ML 101, 805-810).

(4) Conf. supra n. 175.

sterium sanctae fidei et bonae voluntatis vestrae, christianitatis regnum atque agnitionem veri Dei dilatavit, et plurimos longe lateque populos ab erroribus impietatis in viam veritatis deduxit. Qualis erit tibi gloria o beatissime rex, in die aeternae retributionis, quando hi omnes, qui per tuam bonam sollicitudinem ab idololatriae cultura ad cognoscendum verum Deum conversi sunt, te ante tribunal Domini nostri Iesu Christi in beata sorte stantem sequentur et ex his omnibus perpetuae beatitudinis merces augetur. Ecce quanta devotione et benignitate pro dilatatione nominis Christi duritiam infelicis populi Saxonum per verae salutis consilium emollire laborasti. Sed quia electio necdum in illis divina fuisse videtur, remanent huc usque multi ex illis cum diabolo damnandi in sordibus consuetudinis pessime. Tuam tamen, o veritatis et salutis multorum amator, optimam voluntatem maiore gloria et laude Christo remunerare placuit. Gentes populosque Hunorum [1], antiqua feritate et fortitudine formidabiles, tuis suo honori militantibus subdidit sceptris; praevenienteque gratia colla diu superbissima sacrae fidei iugo devinxit et caecis ab antiquo tempore mentibus lumen veritatis infudit. Sed nunc praevideat sapientissima et Deo placabilis devotio vestra pios populo novello praedicatores; moribus honestos, scientia sacrae fidei edoctos et evangelicis praeceptis inbutos; sanctorum quoque apostolorum in praedicatione verbi Dei exemplis intentos. Qui lac — id est suavia praecepta — suis auditoribus in initio fidei ministrare solebant; ... His ita consideratis, vestra sanctissima pietas sapienti consilio praevideat: si melius sit, rudibus populis in principio fidei iugum inponere decimarum, ut plena fiat per singulas domus exactio illarum. An apostoli quoque, ab ipso Deo Christo edocti et ad praedicandum mundo missi, exactiones decimarum exegissent vel alicubi demandassent dari, considerandum est. Scimus, quia decimatio substantiae nostrae valde bona est, sed melius est illam amittere quam fidem perdere. Nos vero, in fide catholica nati nutriti et edocti, vix consentimus substantiam nostram pleniter decimare: quanto magis tenera fides et infantilis animus et avara mens illarum largitati non consentit. Roborata vero fide et confirmata consuetudine christianitatis, tunc quasi viris perfectis fortiora danda

---

[1] Avarorum, quos a. 796 Pippinus, Karoli filius, subegit.

sunt praecepta, quae solidata mens relegione christiana non abhorreat. Illud quoque maxima considerandum est diligentia, ut ordinate fiat praedicationis officium et baptismi sacramentum, ne nihil prosit sacri ablutio baptismi in corpore, si in anima ratione utenti catholicae fidei agnitio non praecesserit. ... Igitur ille ordo in docendo virum aetate perfectum, diligenter, ut arbitror, servandus est, quem beatus Augustinus ordinavit in libro, cui de catecizandis rudibus titulum praenotavit. Primo instruendus est homo de animae inmortalitate et de vita futura et de retributione bonorum malorumque et de aeternitate utriusque sortis. Postea: pro quibus peccatis et sceleribus poenas cum diabolo patiatur aeternas, et pro quibus bonis vel benefactis gloria cum Christo fruatur sempiterna. Deinde fides sanctae Trinitatis diligentissime docenda est, et adventus pro salute humani generis filii dei Domini nostri Iesu Christi in hunc mundum exponendus; et de mysterio passionis illius, et veritate resurrectionis et gloria ascensionis in caelos et futuro eius adventu ad iudicandas omnes gentes et de resurrectione corporum nostrum et de aeternitate poenarum in malos et praemiorum in bonos. mox — ut praediximus — mens novella firmanda est [1]. Et hac fide roboratus homo et praeparatus baptizandus est. Et sic tempore oportuno saepius evangelica praecepta danda sunt per sedulae praedicationis officium, donec adcrescat in virum perfectum et digna efficiatur Spiritui sancto habitatio et sit perfectus filius Dei in operibus misericordiae, sicut Pater noster caelestis perfectus est; qui vivit et regnat in trinitate perfecta et unitate benedicta, Deus et Dominus per omnia saecula saeculorum, Amen! Gratia domini nostri Iesu Christi sit vobiscum in aeternum.

(MGH EPP 4, 157 ss.).

**269.** *Epist.* 113. Dulcissimo fratri et sanctissimo praesuli Aquilae [2] Albinus salutem. Praesagum tibi nomen inposuere parentes; licet dispensationis Dei ignari, apud quem om-

---

[1] Secundum methodum ab Alcuino hic propositum dispositi sunt sermones ad paganos, quos ex cod. Monac. 14410 edidit I. M. Heer, *Ein Karolingischer Missionskatechismus*, Freiburg 1911, p. 77-88.

[2] Arn, Salisburgensis episcopus (785-821); ab a. 798 archiepiscopus (conf. infra n. 295); Alcuino amicissimus (conf. epp. 10, 59, 107, 112,

nia futura iam facta sunt. Qui te summa pietate caelestia ordinavit mysteria populis ministrare, et de alto supernae gratiae intuitu acutissimis spiritalium oculorum obtutibus fluctivagos de huius saeculi salo pisces ad vivificandum non ad mortificandum eruere, et sacro vitrei fontis lavacro abluere, et igne sancti Spiritus ad epulas aeterni regis assare; ut verus apostolicae vocationis auditor efficiaris; dicente Christo, dum in procellosis fluctibus binas duorum fratrum germanitates laborare aspexit: « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum », non a priori propriae artis officio conpescens, sed ut meliores retibus in dexteram missis pisces ad litus stabilissimae soliditatis perducerent. Hos tu, efficacissimus divini operis laborator, tota mentis intentione adsequi satage; ut Christus ipse per te de tuae puppe carinae populis praedicare dignetur et sit pius gubernator naviculae, ex qua te retia apostolicae praedicationis in pelagus profundissimae gentilitatis [1] expandere iussit. ... Bis docere dixit et semel baptizare. Primo omnium fidem catholicam docere praecepit; et post fidem acceptam in nomine sanctae Trinitatis baptizare iussit; deinde fide inbutum et sacro baptismate ablutum evangelicis instruere praeceptis mandavit. Hunc tu ordinem, sanctissime doctor, catezizandi in adultae aetatis viris ubique firmiter obtineas, fragiliori vero aetati pia mater Ecclesia concessit, ut, qui alieno in paterna praevaricatione ligatus est peccato, alterius in baptismi mysterio professione solutus sit. Etsi hoc non esset, quanti perirent infantes, ex quorum nunc numero caelestis cotidie aedificatur Hierusalem? Absque fide quid proficit baptisma? dicente apostolo: « Sine fide inpossibile est placere Deo ». ...

Idcirco misera Saxonum gens toties baptismi perdidit sacramentum, quia numquam habuit in corde fidei fundamentum. Sed et hoc sciendum est, quod fides — secundum quod sanctus Augustinus ait — ex voluntate fit, non ex necessitate. Quomodo potest homo cogi, ut credat quod non credit? Inpelli potest homo ad

---

113, 150, 156-159, 165, 167-169, 173, 179, 184-186, 193, 194, 207, 208, 218, 227, 239, 242, 243, 248, 252-254, 258-260, 264-268). Epistulae Alcuini plurimae per duos codices Arnonis iussu exaratos servatae sunt.

[1] Ex quo a. 796 Avari Francorum ditioni subiecti sunt, Arnoni cum Paulino Aquileiensi patriarchae (Conf. Alcuini epist. 99) praecipuae partes in eorum conversione obvenerunt.

baptismum, sed non ad fidem. Veluti isti heretici, qui adoptionem carnis in Christo confirmant, nullatenus ad catholicam fidem converti possunt; quia nullam habent voluntatem orthodoxae fidei professionem cum universali Ecclesia cognoscendi. Docendus est itaque homo rationalem habens intellegentiam et multimoda praedicatione adtrahendus, ut sacrae fidei veritatem agnoscat. Et maxime Dei omnipotentis pro eo deprecanda est clementia. Quia otiosa est lingua docentis, si gratia divina cor auditoris non inbuit. ...

Tria sunt in baptismatis sacramento visibilia, et tria invisibilia. Visibilia sunt sacerdos corpus et aqua. Invisibilia sunt vero spiritus anima et fides. Illa tria visibilia nihil proficiunt foris, si haec tria invisibilia non intus operantur. Sacerdos corpus aqua abluit, Spiritus sanctus animam fide iustificat. Et hoc est, quod apostolus ait: « Cooperatores enim Dei sumus ». Cooperatur homo Spiritui sancto in salute hominis; sed et ipse homo, qui baptizandus est, cooperari ambobus debet in salute sua, id est Spiritui sancto et sacerdoti humiliter corpus praestare ad sacri mysterium lavacri et animam voluntarie ad catholicae fidei susceptionem. Haec omnia doctori in initio fidei et sacramento baptismatis ad salutem accipientis diligenter consideranda sunt, et non desidiose tanti sacramenti mysterium exsequi. ...

(MGH EPP 4, 163 ss.).

**270.** *Epist.* 114. Dilectissimo in Christo filio Eanbaldo archiepiscopo [1] devotus per omnia pater Albinus salutem. ... Sit clerus in habitu honestatis et vultu constantiae; et in voce moderata cantantes, magis Deo placere nitentes quam hominibus. Exaltatio inmoderata vocis iactantis signum est; sed omnia in humilitate et honestate fiant. Et non dispiciant Romanos discere ordines; quatinus, caput aecclesiarum Christi secundum facultatem virium imitantes, benedictionem a beato Petro principe apostolorum, quem dominus noster Iesus Christus caput electi sibi gregis statuit, habere mereantur aeternam. Sicut apes sapientissima, omnia, quae honestatis sunt, discendo probate; et quae optima esse videntur eligendo retinete. Praevideat sancta sollertia tua magistros pueris, clero segregentur separatim mo-

(1) Eboracensi.

re illorum, qui libros legant, qui cantilene inserviant, qui scribendi studio deputentur. Habeas et singulis his ordinibus magistros suos, ne, vacantes otio, vagi discurrant per loca vel inanes exerceant ludos vel aliis mancipentur ineptiis. Haec omnia sollertissima, fili karissime, tua consideret providentia; quatinus in sede principali gentis nostrae totius bonitatis et eruditionis fons inveniatur, et ex eo sitiens viator vel aecclesiasticae discipline amator, quicquid desideret anima sua haurire valeat. Habetis me devotissimum in his omnibus, licet in peregrinis habitantem adiutorem.

Consideret quoque tua diligentissima in elemosinis pietas, ubi xenodochia, id est hospitalia, fieri iubeas, in quibus sit cotidiana pauperum et peregrinorum susceptio; et ex nostris substantiis habeant solatia. ...

(MGH EPP 4, 169).

**271.** *Epist.* 121. Domino piissimo et praestantissimo et omni honore dignissimo David (1) regi Flaccus Albinus verae beatitudinis aeternam in Christo salutem. ... Ego vero Flaccus vester secundum exhortationem et bonam voluntatem vestram aliis per tecta sancti Martini sanctarum mella Scripturarum ministrare satago; alios vetere antiquarum disciplinarum mero inaebriare studeo; alios grammaticae subtilitatis enutrire pomis incipiam; quosdam stellarum ordine ceu picto cuiuslibet magni domus culmine inluminare gestio; plurima plurimis factus, ut plurimos ad profectum sanctae Dei Ecclesiae, et ad decorem imperialis regni vestri erudiam; ne sit vacua Dei omnipotentis in me gratia nec vestrae bonitatis largitio inanis. Sed ex parte desunt mihi, servulo vestro, exquisitiores eruditionis scolasticae libelli quos habui in patria per bonam et devotissimam magistri mei industriam (2) vel etiam mei ipsius qualemcumque sudorem. Ideo haec vestrae excellentiae dico, ne forte vestro placeat totius sapientiae desiderantissimo consilio, ut aliquos ex pueris nostris remittam, qui excipiant inde nobis necessaria quaeque et revehant in Frantiam flores Brittanniae, ut non sit tantummodo in Euborica hortus conclusus, sed in Turonica emissiones paradisi cum pomorum fructibus, ut veniens Auster perflaret hortos Ligeri fluminis. ... (MGH EPP 4, 176 s.).

(1) Karolo M.

(2) Conf. supra n. 265.

**272.** *Epist.* 169. Aquile (1) per Alpes volanti, per campos currenti, per urbes ambulanti humilis Terrigena salutem. Paschalia paci vestrae carmina direxi, prout dictaverunt magi mihi. Vos videte, an placeat ad scribendum, vel proficiat ad legendum. Misi quoque fratribus litteras, rogans, ut in praesentia vestra legantur, et me commendes illorum orationibus, tuis quoque parrochianis, qui solent ad dedicationem sancti chrismatis venire. Illis quoque scripsissem tuae causa caritatis, si nimium non esset praesumptiosum. Tamen ammoneas eos de vitae castitate, de morum honestate, de orationum vigilantia, de predicationis instantia; et unusquisque subiectam sibi plebem bene in voluntate Dei eruditam habeat ecclesiamque bene directam. Et ut viduarum, orphanorum, et pauperum maxime curam habeant. Scolares quoque habeant, et diligenter discere eos faciant psalmos, et cantilenam ecclesiasticam, ut in singulis ecclesiis cursus agatur cotidiane laudis Dei. Unusquisque vero suum in Domino honorificet ministerium, ut non sit vituperatio in sacerdote Christi, sed laudatio in praedicatore veritatis. Et ut sanctum babtisma diligentissime exerceant, quia in nullo loco periculosius erratur, sicut nec fructuosius, si bene observatur. Hortenturque singuli ad confessionis puritatem, ad poenitentiae conpunctionem, quia hoc secundum est babtisma in Ecclesia, ut qui post primum in aliquo erraverit delicto, in hoc secundo corrigatur. Sit tibi Deus ubique adiutor, ut proficias in omni bono et multiplici dignus mecede habearis in conspectu domini Dei tui. ... (MGH EPP 4, 278).

**273.** *Epist.* 174. Domino pacifico David regi Flaccus Albinus salutem. ... Plurima vestrae venerandae dignitati praesens suaderem, si vel vobis oportunitas esset audiendi vel mihi eloquentia dicendi. Quia calamus caritatis cordis mei archana instigare saepius solet de vestrae excellentiae prosperitate tractare; et de stabilitate regni vobis a Deo dati; et de profectu sanctae Ecclesiae Christi. Quae multimoda inproborum perturbata est nequitia et scelestis pessimorum ausibus maculata, non in personis tantum ignobilibus, sed etiam in maximis et altissimis. Quod metuendum est valde. Nam tres personae in mundo altissime hucusque fuerunt: id

(1) Arnoni Salisburgensi archiepiscopo.

est apostolica sublimitas, quae beati Petri principis apostolorum sedem vicario munere regere solet; quid vero in eo actum sit, qui rector praefate sedis fuerat, mihi veneranda bonitas vestra innotescere curavit. Alia est imperialis dignitas et secundae Romae saecularis potentia; quam impie gubernator imperii illius depositus sit, non ab alienis sed a propriis et concivibus, ubique fama narrante crebrescit (1). Tertia est regalis dignitas, in qua vos domini nostri Iesu Christi dispensatio rectorem populi christiani disposuit, ceteris praefatis dignitatibus potentia excellentiorem, sapientia clariorem, regni dignitate sublimiorem. Ecce in te solo tota salus ecclesiarum Christi inclinata recumbit. Tu vindex scelerum, tu rector errantium, tu consolator maerentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romana in sede, ubi religio maxime pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerserunt? Ipsi, cordibus suis excaecati, excaecaverunt caput proprium (2). Nec ibi timor Dei, nec sapientia, nec caritas esse videtur; quid boni ibi esse poterit, ubi nihil horum trium invenitur? Si timor Dei esset in eis, non auderent; si sapientia, numquam voluissent; si caritas, nequaquam fecissent. Tempora sunt periculosa olim ab ipsa veritate praedicta, quia refrigescit caritas multorum. Nullatenus capitis cura obmittenda est; levius est pedes dolere quam caput. Conponatur pax cum populo nefando, si fieri potest. Relinquantur aliquantulum minae; ne obdurati fugiant, sed in spe retineantur, donec salubri consilio ad pacem revocentur. Tenendum est quod habetur, ne propter adquisitionem minoris, quod maius est, amittatur. Servetur ovile proprium, ne lupus rapax devastet illud. Ita in alienis sudetur, ut in propriis damnum non patiatur. Olim vestrae sanctissime pietati de exactione decimarum dixi: quia

(1) Constantinus VI imperator a. 797 depositus et excaecatus est.

(2) Sermo est de crimine in Leonis Papae III persona a. 799 commisso. De qua re pluras Alcuinus epistulas scripsit (epp. 173, 177, 178, 179, 181). Inter quas notanda ep. 179 ad Arnonem Salisburgensem, in qua inter alia haec leguntur: « Intellego quoque multos esse aemulatores eiusdem praedicti domni apostolici, deponere eum quaerentes subdola suggestione... sic consilio secreto suadentes, ut deponeret sine iuramento pontificatum... Quod omnino fieri non debet, nec ille ipse consentire se quolibet sacramento constringere aut sedem suam amittere. Responderem pro eo, si ex latere eius stetissem: « Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat ». Conf. infr. n. 294, 296.

forte melius est, vel aliquanto spatio ut remittatur publica necessitas, donec fides cordibus radicitus inolescat: si tamen illa patria Dei electione digna habetur. Qui foras recesserunt, optimi fuerunt christiani sicut in plurimis notum est. Et qui remanserunt patria, in faecibus malitiae permanserunt. Nam Babylon propter peccata populi daemoniorum deputata est habitatio, ut in prophetis legitur. ...
(MGH EPP 4, 287 ss.).

**274.** *Epist.* 250. Sanctissimis nobisque cum omni caritate colendis fratribus sancti Bonefatii, patris et protectoris nostri, humilis levita Alchvinus aeternae beatitudinis in Christo salutem. ... Misi cartulam missalem vobis, o sanctissimi presbiteri, ut habeatis singulis diebus, quibus preces Deo dirigere cuilibet placeat: quando in honorem sanctae Trinitatis, quando de amore sapientiae, quando de penitentiae lacrimis, quando de caritate perfecta, vel quando de suffragio angelico postulando, vel omnium sanctorum cuilibet postolare placet; vel etiam si quis pro peccatis suis, vel pro quolibet amico vivente, vel etiam pro amicis plurimis, vel etiam fratribus de hoc saeculo recedentibus facere velit orationes; vel quando specialiter beatae Mariae genetricis Dei virginis perpetuae deprecari velit intercessiones; vel etiam sanctissimi patris vestri Bonefacii cantare quis velit, et praesentiam illius piissimam advocare precibus. Haec omnia caritatis intuitu vobis dirigere curavimus; deprecantes humilitatem vestram benigne suscipere, quod plenissima caritate vobis dirigimus. Faciat quislibet de eis quodcumque placeat; et ne me reprehendat in caritatis officio. Unusquisque enim in suo sensu abundet, et semper faciat Deo placita et omnibus sanctis, quatenus cum illis perpetua visione domini nostri Iesu Christi frui digni inveniantur. ... (MGH EPP 4, 405 s.).

## LXVI. KAROLI M. CAPITULARIA

Quae iam sub Pippini regno inceperat legislatio regia de diversis materiis tum ecclesiasticis, tum profanis, Karolo regnante perfecta, fontem eximium constituit ad cognoscendam tum Karoli curam universalem de omnibus regni necessitatibus, spiritualibus et temporalibus, tum sta-

tum et conditiones Ecclesiae in Karoli imperio (1). Capitularia enim a rege cum episcopis et proceribus, ut plurimum in conventu generali quovis anno habito (2), constituta, aut missis regiis tanquam norma in exsequendo officii munere sequenda tradita, ostendunt quaenam fuerint necessitates curae animarum, usus et mores cleri et populi, religiosorum et laicorum defectus, quorum emendationi per capitularia providetur; ostendunt, quid Karolus egerit ad cleri instructionem magis ac magis perficiendam, ad scholas in monasteriis et cathedralibus ecclesiis instituendas. Karoli capitularia tum singula in collectionibus diversis tradita sunt (MGH Capitul. 1, 44-259); tum systematice disposita secundum materias ecclesiasticas et profanas simul cum Ludovici et Lotharii capitulariis in Ansegis, Fontanellensis abbatis *Capitulariorum collectione* (MGH ib. 382-446), a. 827 edita, collecta sunt.

**275.** *Capitulare primum* (c. a. 769). Karolus gratia Dei rex regnique Francorum rector et devotus sanctae Ecclesiae defensor atque adiutor in omnibus. Apostolicae sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, et maxime episcoporum ac reliquorum sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare, aut in exercitum et in hostem pergere omnino prohibemus. ...

*Cap. 7.* Statuimus, ut singulis annis unusquisque episcopus parrochiam suam sollicite circumeat, et populum confirmare et plebes docere et investigare et prohibere paganas observationes divinosque vel sortilegos aut auguria, phylacteria, incantationes vel omnes spurcitias gentilium studeat.

*Cap. 9.* Ut nemo accipiat ecclesiam infra parrochiam sine consensu episcopi sui, nec de una ad aliam transeat.

*Cap. 14.* Nullus sacerdos nisi in locis Deo dicatis, vel in itinere positus in tabernaculis et mensis lapideis ab episcopo consecratis, missas celebrare praesumat. Quod si praesumpserit, gradus sui periculo subiacebit.

---

(1) Conf. F. SCHUPFER, *Manuale di storia del diritto italiano. Le Fonti*, ediz. 4, Roma 1908, p. 155 ss.

(2) De singulorum loco et tempore conf. BÖHMER, *Regesta Imperii*, I, 2 edit., Innsbruck 1908.

*Cap. 15.* Sacerdotes, qui rite non sapiunt adimplere ministerium suum nec discere iuxta praeceptum episcoporum suorum pro viribus satagunt vel contemptores canonum existunt, ab officio proprio sunt submovendi, quousque haec pleniter emendata habeant.

*Cap. 16.* Quicunque autem a suo episcopo frequenter admonitus de sua scientia, ut discere curet, facere neglexerit, procul dubio et ab officio removeatur et ecclesiam quam tenet amittat, quia ignorantes legem Dei eam aliis annuntiare et praedicare non possunt. ...

(MGH Capitul. 1, 44 ss.).

**276.** *Admonitio Generalis* (a. 789). Regnante domino nostro Iesu Christo in perpetuum. Ego Karolus, gratia Dei eiusque misericordia donante rex et rector regni Francorum et devotus sanctae Eclesiae defensor humilisque adiutor, omnibus ecclesiasticae pietatis ordinibus seu saecularis potentiae dignitatibus in Christo domino, Deo aeterno, perpetuae pacis et beatitudinis salutem. Considerans pacifico piae mentis intuitu una cum sacerdotibus et consiliariis nostris abundantem in nos rostrumque populum Christi regis clementiam, et quam necessarium est non solum toto corde et ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in aeternum conservare dignetur: quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores ecclesiarum Christi et ductores gregis eius et clarissima mundi luminaria, ut vigili cura ed sedula ammonitione populum Dei ad pascua vitae aeternae ducere studeatis, et errantes oves bonorum exemplorum seu adhortationum humeris intra ecclesiasticae firmitatis muros reportare satagimini, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio ammonendi et adhortandi sunt immo conpellendi, ut firma fide et infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se conteneant: in quo opere et studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperare diligentiam. Quapropter et nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quae corrigenda essent. Sed et ali-

qua capitula ex canonicis institutionibus quae magis nobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quaeso, huius pietatis ammonitionem esse praesumtiosam iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscidere, recta cohartare studemus, sed magis benivolo caritatis animo suscipiat. ... Quapropter, ut praediximus, aliqua capitula notare iussimus, ut simul haec eadem vos ammonere studeatis, et quaecumque vobis alia necessaria esse scitis, ut et ista et illa aequali intentione praedicetis. Nec aliquid, quod vestrae sanctitati populo Dei utile videatur, omittite ut pio studio non ammoneatis, quatenus ut et vestra sollertia et subiectorum oboedientia aeterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur (1). ...

Sunt quoque aliqua capitula quae nobis utilia huic praecedenti ammonitione subiungere visa sunt:

*Cap. 61.* Omnibus. Primo omnium, ut fides catholica ab episcopis et presbyteris diligenter legatur et omni populo praedicetur, quia hoc primum praeceptum domini Dei omnipotentis in lege: « Audi, Israel, quia dominus Deus tuus Deus unus est ». Et ut ille diligatur ex toto corde et ex tota mente et ex tota anima et ex tota virtute nostra.

*Cap. 70.* Sacerdotibus. Ut episcopi diligenter discutiant per suas parrochias presbyteros, eorum fidem, baptisma et missarum celebrationes, ut et fidem rectam teneant et baptisma catholicum observent et missarum preces bene intellegant, et ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur et dominicam orationem ipsi intellegant et omnibus praedicent intellegendam, ut quisque sciat quid petat a Deo; et ut « Gloria Patri » cum omni honore apud omnes cantetur; et ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei communi voce « Sanctus, Sanctus, Sanctus » decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris et diaconibus ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei quam in armis.

*Cap. 75.* Omnibus. Et hoc nobis competens et venerabile videtur, ut hospites, peregrini et pauperes susceptiones regulares et canonicas per loca diversa habeant: quia ipse Dominus dicturus erit in re-

(1) Sequuntur capitula 60, quibus variorum canonum antiquorum (coll. Dionysio-Hadrianae) observatio inculcatur. Conf. supr. p. 294.

muneratione magni diei: « hospes eram, et suscepistis me »; et apostolus hospitalitatem laudans, dixit: « per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis ».

*Cap. 78.* Omnibus. Item et pseudografia et dubiae narrationes, vel quae omnino contra fidem catholicam sunt et epistola pessima et falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes et in errorem alios mittentes quod de celo cecidisset nec credantur nec legantur sed conburentur, ne in errorem per talia scripta populus mittatur. Sed soli canonici libri et catholici tractatus et sanctorum auctorum dicta legantur et tradantur.

*Cap. 80.* Omni clero. Ut cantum Romanum pleniter discant, et ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragatur, secundum quod beatae memoriae genitor noster Pippinus rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum [1] tulit ob unanimitatem apostolicae sedis et sanctae Dei Eclesiae pacificam concordiam.

*Cap. 81.* Omnibus. Statuimus quoque secundum quod et in lege Dominus praecipit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut et bonae memoriae genitor meus in suis synodalibus edictis [2] mandavit, id est quod nec viri ruralia opera exerceant nec in vinea colenda nec in campis arando, metendo vel foenum secando vel sepem ponendo nec in silvis stirpare vel arbores caedere vel in petris laborare nec domos construere nec in orto laborare; nec ad placita conveniant nec venationes exerceant. Et tria carraria opera licet fieri in die dominico, id est ostilia carra vel victualia vel si forte necesse erit corpus cuiuslibet ducere ad sepulcrum. Item feminae opera textilia non faciant nec capulent vestitos nec consuent vel acupictile faciant; nec lanam carpere nec linum battere nec in publico vestimenta lavare nec berbices tundere habeant licitum, ut omnimodis honor et requies diei dominicae servetur. Sed ad missarum sollempnia ad aeclesiam undique conveniant et laudent Deum in omnibus bonis quae nobis in illa die fecit.

*Cap. 82.* Omnibus. Sed et vestrum videndum est, dilectissimi et venerabiles pastores et rectores ecclesiarum Dei, ut presbyteros quos mittitis per parrochias ve-

---

(1) Scil. cantum; conf. supra n. 258.

(2) Concil. Vernense, can. 14.

stras ad regendum et ad praedicandum per ecclesias populum Deo servientem, ut recte et honeste praedicent; et non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu et non secundum Scripturas sacras fingere et praedicare populo. Sed et vosmetipsi utilia, honesta et recta et quae ad vitam ducunt aeternam praedicate aliosque instruite, ut haec eadem praedicent. Primo omnium praedicandum est [1] omnibus generaliter, ut credant Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, qui creavit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, et unam esse deitatem, substantiam et maiestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti. Item praedicandum est, quomodo Dei Filius incarnatus est de Spiritu sancto et ex Maria semper virgine pro salute et reparatione humani generis, passus, sepultus et tertia die resurrexit et ascendit in celis; et quomodo iterum venturus sit in maiestate divina, iudicare omnes homines secundum merita propria; et quomodo impii propter scelera sua cum diabulo in ignem aeternum mittentur, et iusti cum Christo et sanctis angelis suis in vitam aeternam. Item diligenter praedicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant et credant in iisdem corporibus premia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis praedicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabulo in aeternum supplicium. Legimus enim, apostolo dicente: « manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invidiae, homicidia, ebriatates, comessationes, et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt ». Ideo haec eadem quae magnus praedicator Ecclesiae Dei singillatim nominavit cum omni studio prohibete, intellegentes quam sit terribile illud quod dixit: « qui talia agunt; regnum Dei non consequentur ». Sed omni instantia ammonete eos de dilectione Dei et proximi, de fide et spe in Deo, de humilitate et patientia, de castitate et continentia, de benignitate et misericordia, de elimosinis et confessione peccatorum suorum, et ut debitoribus suis secundum dominicam orationem sua debita dimittant: scientes certissime, quod qui talia agunt regnum Dei possidebunt. Et hoc ideo diligentius iniungimus vestrae caritati,

(1) Conf. supra n. 268, p. 332.

quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos sicut ipse Dominus in euangelio praedixit, et apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo dilectissimi, toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, et divina donante gratia, verbum Dei crescat et currat et multiplicetur in profectum sanctae Dei Ecclesiae et salutem animarum nostrarum et laudem et gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi. Pax praedicantibus, gratia oboedientibus, gloria D. N. Iesu Christo. Amen. (MGH Capit. I, 52 ss.).

**277.** *Synodus Franconofurtensis* (a. 794).

*Cap. 1.* Coniungentibus, Deo favente, apostolica auctoritate atque piissimi domni nostri Karoli regis iussione anno XXVI principatus sui cunctis regni Francorum, seu Italiae, Aquitaniae, Provintiae episcopis ac sacerdotibus synodali concilio, inter quos ipse mitissimus sancto interfuit conventui. Ubi in primordio capitulorum exortum est de impia ac nefanda erese Elipandi Toletane sedis episcopi et Felicis Orgellitanae eorumque sequacibus qui male sentientes in Dei Filio adserebant adoptionem [1]: quam omnes qui supra sanctissimi patres et respuentes una voce contradixerunt atque hanc heresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.

*Cap. 2.* Allata est in medio questio de nova Grecorum synodo quam de adorandis imaginibus Constantinopolim fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imagines sanctorum ita ut deificam Trinitatem servitio aut adorationem non inpenderent, anathema iudicaverunt: qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem et servitutem rennuentes contempserunt atque consentientes condempnaverunt.

*Cap. 6.* Statutum est a domno rege et sancta synodo, ut episcopi iustitias faciant in suis parroechiis. Si non oboedierit aliqua persona episcopo suo de abbatibus, presbiteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis et caeteris clericis vel etiam aliis in eius parrochia venient ad metropolitanum suum, et ille diiudicet causam cum suffraganeis suis. Comites quoque nostri veniant ad iudi-

---

[1] Conf. supra n. LXV; et MGH Concil. 2, p. 110 ss., DENZINGER, nn. 309-314, 3007.

cium episcoporum. Et si aliquid est, quod episcopus metropolitanus non possit corrigere vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusatu cum litteris metropolitani, ut sciamus veritatem rei.

*Cap. 8.* De altercatione Ursione Viennensis episcopi et advocato Elifanto Arelatensis episcopi lectae sunt epistolae beati Gregorii, Zosimi, Leonis et Simmachi, quae difinierunt eo quod Viennensis ecclesia quattuor suffraganeas habere sedes deberet, quibus illa quinta praemineret (1); at Arelatensis ecclesia novem suffraganeas habere deberet, quibus ipsa praemineret. De Tarentasia vero et Eberduno sive Aquis legatio facta est ad sedem apostolicam, et quicquid per pontificem Romanae ecclesiae definitum fuerit, hoc teneatur.

*Cap. 15.* De monasterio ubi corpora sanctorum sunt: ut habeat oratorium intra claustra ubi peculiare officium et diuturnum fiat.

*Cap. 29.* Ut unusquisque episcopus sibi subditos bene doceant et instruant; ita ut in domo Dei semper digni inveniantur qui canonice possint fieri electi.

*Cap. 33.* Ut fides catholica sanctae Trinitatis et oratio dominica atque symbolum fidei omnibus praedicetur et tradatur.

*Cap. 42.* Ut nulli novi sancti colantur aut invocentur, nec memoria eorum per vias erigantur; sed hii soli in Ecclesia venerandi sint qui ex auctoritate passionum aut vitae merito electi sint.

*Cap. 52.* Ut nullus credat, quod nonnisi in tribus linguis (2) Deus orandus sit, quia in omni lingua Deus adoratur et homo exauditur, si iusta petierit.

*Cap. 53.* Ut nulli episcoporum et sacerdotum liceat sacros canones ignorare.

*Cap. 54.* De ecclesiis quae ab ingenuis hominibus construuntur: licet eas tradere vendere, tantummodo ut ecclesia non destruatur, sed serviuntur cotidie honores.

*Cap. 55.* Dixit etiam domnus rex in eadem synodum, ut a sede apostolica id est ab Adriano pontifici,

(1) Epistularum RR. PP. ad Arelatenses episcopos, quarum collectionis hic prima occurrit mentio, editionem vid. in MGH EPP 3, 1-83.

(2) Hebraica, graeca, latina.

licentiam habuisse, ut Angilramnum archiepiscopum (1) in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas (2). Deprecatus est eadem synodum, ut eo modo, sicut Angilramnum habuerat, ita etiam Hildeboldum episcopum (3) habere debuisset; quia et de eodem, sicut et de Angilramnum, apostolicam licentiam habebat. Omnis synodus consensit, et placuit eis eum in palatium esse debere propter utilitates ecclesiasticas.

*Cap. 56.* Commonuit etiam ut Aliquinum (4) ipsa sancta synodus in suo consortio sive in orationibus recipere dignaretur, eo quod esset vir in ecclesiasticis doctrinis eruditus. Omnis namque synodus secundum ammonitionem domni regis consensit et eum in eorum consortio sive in orationibus receperunt.

(MGH Capitul. 1, 73 ss.).

**278.** *Karoli epistola de litteris colendis* (c. a. 800). Karolus, gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum, Baugulfo abbati (5) et omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem. Notum igitur sit Deo placitae decotioni vestrae, quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut episcopia et monasteria nobis Christo propitio ad gubernandum commissa praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem etiam in litterarum meditationibus eis qui donante Domino discere possunt secundum uniuscuiusque capacitatem docendi studium debeant impendere, qualiter, sicut regularis norma honestatem morum, ita quoque docendi et discendi instantia ordinet et ornet seriem verborum, ut, qui Deo placere appetunt recte vivendo, ei etiam placere non negligant recte loquendo. ... Nam cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis saepius scripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris et

(1) Mettensem, ob. 791.

(2) Officio archicapellani fungebatur.

(3) Coloniensem, ob. 819.

(4) Alcuinum.

(5) Fuldensi; epistolam ad omnes metropolitanos scriptam fuisse probat clausula, promulgationis formulam continens.

piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque praefatis conscriptionibus eorundem et sensus rectos et sermones incultos; quia, quod pia devotio interius fideliter dictabat, hoc exterius propter negligentiam discendi lingua inerudita exprimere sine reprehensione non valebat. Unde factum est, ut timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque et multo minor esset quam recte esse debuisset in sanctarum Scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia, quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum. Quamobrem hortamur vos litterarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim discere, et facilius et rectius divinarum Scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis schemata, tropi et caetera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intelligit, quanto prius in litterarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi et desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis praecipitur Optamus enim vos, sicut decet Ecclesiae milites, et interius devotos et exterius doctos castosque bene vivendo et scholasticos bene loquendo, ut, quicunque vos propter nomen Domini et sanctae conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Huius itaque epistolae exemplaria ad omnes suffragantes tuosque coepiscopos et per universa monasteria dirigi non negligas, si gratiam nostram habere vis. ...

(MGH Capitul. 1, 79).

279. *Karoli epistola in Italiam emissa* (c. a. 800). Karolus, gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum dilectis comitibus seu iudicibus et vassis nostris, vicariis, centenariis vel omnibus missis nostris et agentibus. Cognoscat utilitas vestra quia resonuit in auribus nostris quorundam praesumptio non modica, quod non ita obtemperetis pontificibus vestris seu sacerdotibus, quemadmodum canonum et legum continetur auctoritas,

ita ut presbyteros nescio qua temeritate presentari episcopis denegetis, insuper et aliorum clericos usurpare non pertimescatis et absque consensu episcopi in vestras ecclesias mittere audeatis, necnon et in vestris ministeriis pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo ecclesiastica docet. Insuper nonas et decimas vel census inproba cupiditate de ecclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitimini, et precarias de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro capitulare institutum est, accipere neglegitis, et ipsam sanctam Dei Ecclesiam una cum ipsis episcopis vel abbatibus emendare iuxta vires vestras denegatis. Quapropter nos una cum consensu episcoporum nostrorum, abbatum necnon et aliorum sacerdotum haec instituta partibus vestris direximus. Praecipientes enim iubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris, a minimo usque ad maximum, in his quae ad Deum pertinent episcopo suo inoboediens parere audeat de supradictis capitulis seu aliis eruditionibus ad illorum ministerium pertinentibus, sed cum bona voluntate et omni mansuetudinis subiectione unusquisque sacerdoti suo propter Deum et pacis studio obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, ullus ex vobis de nonis et decimis censibusque reddendis atque precariis renovandis neglegens apparuerit, et inportunus episcopis nostris, de his quae ad ministerium illorum pertinere noscuntur vel sicut in capitulare dudum a nobis factum [1] continetur, contradicere praesumpserit, sciat se procul dubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde deducere rationem. Et ut has litteras certius credatis, de anulo nostro subter eas decrevimus roborare.

(MGH Capitul. 1, 203 s.).

**280.** *Capitulare missorum generale* (a. 802).

*Cap. 1.* De legatione a domno imperatore directa. Serenissimus igitur et christianissimus domnus imperator Karolus elegit ex optimatibus suis prudentissimos et sapientissimos viros, tam archiepiscopos quam et reliquos episcopos simulque et abbates venerabiles laicosque religiosos, et direxit in universum regnum suum, et per eos cunctis subsequentibus secundum rectam legem vivere concessit. Ubi autem aliter quam recte et iuste in lege aliquit esse constitutum, hoc diligentissimo animo exquirere iussit et sibi innotescere: quod ipse donante Deo meliorare cupit. ...

---

[1] A. 779, Capitulare Haristallense, cap. 13 (MGH Capitul. 1, p. 50).

*Cap. 19.* Ut episcopi, abbates, presbiteri, diaconus nullusque ex omni clero canes ad venandum aut acceptores, falcones seu sparvarios habere presumant, sed pleniter se unusquisque in ordine suo canonice vel regulariter custodiant. Qui autem presumpserit, sciat unusquisque honorem suum perdere. Caeteri vero tale exinde damnum patiatur, ut reliqui metum habeant talia sibi usurpare.

*Cap. 21.* Ut presbiteros ac caeteros canonicos, quos comites sui in ministeriis habent, omnino eos episcopis suis subiectos exhibeant, ut canonica institutio iubet; de his episcopis suis pleniter sub sancta disciplina eos erudire sint consentientes, sicut nostra gratia vel suos honores habere desiderant.

*Cap. 23.* Presbiteri cleros quos secum habent sollicite praevideant, ut canonice vivant: non inanis lusibus vel conviviis secularibus vel canticis vel luxoriosis usum habeant; sed caste et salubre vivant.

(MGH Capitul. 1, 91 ss.).

**281.** *Capitula a sacerdotibus proposita* (a, 802). Haec sunt capitula ex divinarum Scripturarum scriptis, quae electi sacerdotes custodienda atque adimplenda censuerunt.

*Cap. 1.* Ut cuncti sacerdotes precibus assiduis pro vita et imperio domni imperatoris et filiorum ac filiarum salute orent.

*Cap. 2.* Ut unusquisque sacerdos cotidianis adsistat orationibus pro pontifice cuius gubernatur regimine.

*Cap. 3.* Ut unusquisque sacerdos ecclesiam suam cum omni diligentia aedificet et reliquias sanctorum cum summo studio vigiliarum noctis et divinis officiis conservet.

*Cap. 4.* Ut omnibus festis et diebus dominicis unusquisque sacerdos euangelium Christi populo praedicet.

*Cap. 5.* Ut unusquisque sacerdos orationem dominicam et symbolum populo sibi commisso curiose insinuet ac totius religionis studium et christianitatis cultum eorum mentibus ostendat.

*Cap. 6.* Ut unusquisque sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant qualiter decimas totius facultatis aecclesiis divinis debite offerant.

*Cap. 7.* Ut ipsi sacerdotes populi suscipiant decimas et nomina eorum et quicumque dederint scripta habeant et secundum auctoritatem canonicam coram testibus

dividant. Et ad ornamentum aecclesiae primam elegant partem, secundam autem ad usum pauperum atque peregrinorum per eorum manus misericorditer cum omni humilitate dispensent, tertiam vero partem semetipsis solis sacerdotes reservent.

*Cap. 8.* Ut omnes sacerdotes horis conpetentibus diei et noctis suarum sonent aecclesiarum signa et sacra tunc Deo celebrent officia et populos erudiant, quomodo aut quibus Deus adorandus est horis.

*Cap. 10.* Ut a cunctis sacerdotibus ius et tempus baptismatis temporibus congruis secundum canonicam institutionem cautissime observetur.

*Cap. 21.* Ut cuncti sacerdotes omnibus illis confitentibus eorum crimina dignam poenitentiam cum summa vigilantia ipsis indicent, et omnibus infirmis ante exitum vitae viaticum et communionem corporis Christi misericorditer tribuant.

*Cap. 22.* Ut secundum definitionem sanctorum patrum, si quis infirmatur, a sacerdotibus oleo sanctificato cum orationibus diligenter unguatur.

(MGH Capitul. 1, 106 s.).

282. *Capitula de examinandis ecclesiasticis* (a. 802). Item iussa Karoli per universum regnum episcopis, abbatibus, presbiteris pertinentia.

Omnes ecclesiasticos de eorum eruditione et doctrina diligenter examinare, et in eadem examinatione nos, quamvis imperiti simus, per provinciam istam, ... (1) et non solum aeclesiasticorum dogma, sed etiam laicorum investigare ... (1) iussa sunt nutrimenta. (?) vel benivolentia sanctae exercende iustitiae.

*Cap. 1.* Primo qualiter unusquisque aeclesiasticus, sive episcopus seu abbas vel presbiter omnesque canonici vel monachi, suum habeant officium praeparatum, quidque neglectum quidve emendationi condignum, ut is qui bene noverit officium suum gratias exinde habeat et in melius semper proficere suadetur; qui autem neglegens aut desidiosus inde fit, condigna satisfactione usque ad emendationem congruam constringatur.

*Cap. 2.* Qualiterque presbiteri psalmos habeant, qua-

(1) Deesse videntur aliqua.

*fiterque cursum suum sive diurnum vel nocturnum adimplere secundum Romanum usum prevaleant.*

*Cap. 3.* Quomodo catecuminos de fide christiana instruere soleant, ac deinde quomodo missas speciales sive pro defunctis vel etiam pro vivis sciant commutare rationabiliter secundum utrumque sexum sive in singulari numero sive in plurali.

*Cap. 4.* Similiter et in doctrina populorum et in officio praedicandi necnon et confessione peccatorum, qualiter eos agere doceant, qualiter eis remedium peccatorum imponere sciant vel procurent.

*Cap. 5.* Super omnia autem de eorum conversatione et castitate, quomodo formam et exemplum praebeat christianis.

*Cap. 6.* Quomodo obœdientes sint episcopis suis, qua verecundia et pace vel caritate inter se invicem vivant.

*Cap. 8.* Deinde praeceptum est, de fide sua pleniter unumquemque examinare, qualiter vel ipsi credant, vel alios credere doceant.

*Cap. 9.* Similiter et orationem dominicam quomodo intellegant; et ipsam orationem vel symboli sensum pleniter discant, et sibimet ipsis sciant et aliis insinuare praevaleant.

*Cap. 10.* Ut canones et librum pastoralem necnon et homelias ad eruditionem populi diebus singulis festivitatum congruentiam discant. ... (MGH Capitul. 1, 109 s.).

**283.** *Capitulare missorum Niumagae* [1] *datum* (a. 806).

*Cap. 1.* Ut unusquisque in suo missatico maximam habeat curam ad praevidendum et ordinandum ac disponendum secundum Dei voluntatem et secundum iussionem nostram.

*Cap. 3.* Ut praedicti missi per singulas civitates et monasteria virorum et puellarum praevideant, quomodo aut qualiter in domibus aecclesiarum et ornamentis ecclesiae emendatae vel restauratae esse videntur, et diligenter inquirant de conversatione singulorum vel quomodo emendatum habeant quod iussimus de eorum lectione et canto caeterisque disciplinis aecclesiasticae regulae pertinentibus.

---

[1] Nymegen.

*Cap. 4.* Ut singuli episcopi, abbates, abbatissae diligenter considerent thesauros ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut neglegentiam custodum aliquid de gemmis aut de vasis, reliquo quoque thesauro perditum sit, quia dictum est nobis, quod negotiatores Iudaei necnon et alii gloriantur, quod quicquid eis placeat possint ab eis emere.

*Cap. 9.* De mendicis qui per patrias discurrunt, volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, et non permittat aliubi ire mendicando, et ubi tales inventi fuerint, nisi manibus laborent, nullus eis quicquam tribuere praesumat.

*Cap. 17.* Quicumque enim tempore messis vel tempore vindemiae non necessitate sed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum, verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum et servat usque dum iterum venumdare possit contra dinarios quatuor aut sex seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus; si autem propter necessiattem comparat, ut sibi habeat et aliis tribuat, negotium dicimus. ...

(MGH Capitul. 1, 131 s.).

**284.** *Capitula de causis cum episcopis et abbatibus tractandis* (a. 811). Item brevis capitulorum quibus fideles nostros episcopos et abbates alloqui volumus et commonere de communi omnium nostrorum utilitate (1).

*Cap. 1.* Primo commemorandum est, quod anno praeterito tria triduana ieiunia fecimus, Deum orando ut ille nobis dignaretur ostendere, in quibus conversatio nostra coram illo emendari debuisset: quod nunc facere desideramus.

*Cap. 2.* Quaerendum est in primis ecclesiasticis, id est episcopis et abbatibus, ut illi nobis patefaciant de conversatione sua, qualiter vivere debeant, ut cognoscere valeamus, cui de illis aut bonum aut aliud aliquid refrenati credere debeamus; et ut scire possimus, in quantum cuilibet ecclesiastico, id est episcopo vel abbate seu monacho, secularibus negotiis se ingerere [liceat]; aut quod proprie per-

(1) Multa, quae imperator hic episcopis proposuit, occurrunt in canonibus synodorum provincialium a. 813, Arelatensis scil., Remensis, Maguntini, Cabillonensis, Turonensis (MGH Concil. 2, 245-306).

tineat ad illos qui dicuntur et esse debent pastores ecclesiae patresque monasteriorum; ut aliud ab eis nec non quaeramus, quam quod ipsis facere licet, et ut quislibet ex eis a nobis ea non quaerat, in quibus eis consentire non debemus.

*Cap. 4.* Iterum inquirendum ab eis, ut nobis veraciter patefaciant, quid sit quod apud eos dicitur seculum relinquere, vel in quibus internosci possint hi qui seculum relinquunt ab his qui adhuc seculum sectantur; utrum in eo solo, quod arma non portant nec publice coniugati sunt.

*Cap. 7.* Quid de his dicendum, qui, quasi ad amorem Dei et sanctorum sive martyrum sive confessorum, ossa et reliquias sanctorum corporum de loco ad locum transferunt ibique novas basilicas construunt, et quoscumque potuerint ut res suas illuc tradant, instantissime adhortantur. Ille siquidem vult, ut videatur quasi bene facere seque propter hoc factum bene meritum apud Deum fieri, quibus potest persuadere episcopis: palam sit hoc ideo factum, ut ad aliam perveniat potestatem.

*Cap. 11.* Quam utilitatem conferat Ecclesiae Christi, quod is qui pastor vel magister cuiuscumque venerabilis loci esse debet magis studet in sua conversatione habere multos quam bonos et non tantum probis quam multitudine hominum delectatur, plus studet, ut suus clericus vel monachus bene cantet et legat quam iuste et beate vivat, quamquam non solum minime in ecclesia contempnenda sit cantandi vel legendi disciplina, sed etiam omnimodis exercenda; sed si utrumque cuilibet venerabili loco accedere potest, tolerabilius tamen ferendum nobis videtur inperfectione cantandi quam vivendi. Et quamvis bonum sit, ut ecclesiae pulchra sint aedificia, praeferendus tamen est aedificiis bonorum morum ornatus et culmen, quia, in quantum nobis videtur, structio basilicarum veteris legis quandam trahit consuetudinem, morum autem emendatio proprie ad novum testamentum et christianam pertinet disciplinam. Quodsi Christus et apostoli et qui apostolos recte secuti sunt in ecclesiastica disciplina sunt sequendi, aliter nobis in multis rebus faciendum est quam usque modo fecissemus, multa de usu et consuetudine nostra auferenda et non minus multa quae actenus non fecimus facienda.

*Cap. 12.* Qua regula monachi vixissent in Gallia, priusquam regula sancti Benedicti in ea tradita fuisset, cum le-

gamus sanctum Martinum et monachum fuisse et sub se monachos habuisse, qui multo ante sanctum Benedictum fuit. (MGH Capitul. 1, 162 ss.).

285. *Karoli epistula ad metropolitanos de baptismate* (1). In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Karolus serenessimus augustus a Deo coronatus, magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum, illi (2) venerabili episcopo eternam in Domino salutem. Sepius tecum, immo et cum ceteris collegis, familiare conloquium de utilitate sancte Dei Ecclesie habere voluissemus, si absque molestia corporali id efficere potuisset. Sed quamvis sanctitatem tuam in divinis rebus tota intencione vigilare non ignoremus, omittere tamen non possumus, quin tuam devocionem sancto incitante Spiritu nostris apicibus conpellamus atque commoneamus, ut magis ac magis in sancta Dei Ecclesia studiose ac vigilanti cura laborare studeas in praedicatione sancta et doctrina salutari, quatenus per tuam devotissimam sollerciam verbum vite eterne crescat et currat, et multiplicetur numerus populi christiani in laudem et gloriam Salvatoris nostri Dei. Nosse itaque per tua scripta aut per te ipsum volumus, qualiter tu et suffraganei tui doceatis et instruatis sacerdotes Dei plebem vobis commissam de baptismi sacramento. Id est: cur primo infans caticuminus efficitur, vel quid sit caticuminus. Deinde per ordinem omnia que aguntur: De scrutinio, quid sit scrutinium. Et de simbolo: quid sit eius interpretacio secundum Latinos. De credulitate: quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem et in Iesum Christum Filium eius natum et passum et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam et cetera, que secuntur in eodem simbolo. De abrenunciatione satane et de omnibus operibus eius atque ponpis, quid sit abrenunciatio vel que opera diaboli et pompe. Cur exsufflatur vel cur exorcizatur. Cur caticuminus accipit salem. Quare tangantur nares; pectus ungatur oleo. Cur

(1) De hac Karoli epistula et responsis diversorum episcoporum, quorum 12 saltem servata sunt, conf. I. M. Hanssens, *Deux documents carolingiens sur le baptême*. EL, XLI, 1927, 69 ss.

(2) In ed. « Amalario », ex quo liquet, textum ex exemplari ab Amalario Trevirensi episcopo accepto fluxisse.

scapule signentur. Quare pectus et scapule lineantur. Cur albis induitur vestimentis. Cur sacro chrismate caput perungitur et mistico tegitur velamine; vel corpore et sanguine Dominico confirmatur. Hec omnia subtili indagine per scripta nobis, sicut diximus, nunciare satages; vel si ita teneas et predices, aut si in hoc quod predicas, te ipsum custodias. Bene vale et ora pro nobis.

(MGH EPP 5, 242).

286. *Capitula ecclesiastica* (a. 813?).

*Cap. 2.* Ut nullus laicus presbyterum in ecclesia mittere vel eicere praesumat, nisi per consensum episcopi.

*Cap. 15.* Ut unusquisque presbyter capitula habeat de maioribus vel de minoribus vitiis, per quae cognoscere valeat vel praedicare subditis suis, ut caveant ab insidiis diaboli.

*Cap. 16.* Ut presbyter semper eucharistiam habeat paratam, ut, quando quis infirmaverit aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

*Cap. 17.* Ut presbyter in coena Domini duas ampullas secum deferat, unam ad chrismam, alteram ad oleum ad cathecuminos inunguendum vel infirmos iuxta sententiam apostolicam, ut, « quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum unguentes eum oleo in nomine Domini ».

*Cap. 19.* Hae sunt festivitates in anno quae per omnia venerari debent : natalis Domini, sancti Stephani, sancti Iohannis evangelistae, Innocentum, octabas Domini, epiphania, octabas epiphaniae, purificatio sanctae Mariae, pascha dies octo, letania maior, ascensa Domini, pentecosten, sancti Iohannis baptistae, sancti Petri et Pauli, sancti Martini, sancti Andreae. De adsumptione sanctae Mariae interrogandum [1] reliquimus.

(MGH Capitul. 1, 178 s.).

---

[1] Sed conf. cap. 41 Statutorum Rhispacensium, Frisingensium, Salisburgensium a. c. 800: « Ut missa s. Dei Genetricis Mariae quater in anno sollemniter celebretur, id est purificatio IIII Non. Febr., et conceptio quod est VIII Kal. April., et assumptio quod est XVIII Kal. Sept., et nativitas quod est VI id. Septemb. » (MGH Capitul. 1, 230).

**287.** *Interrogationes examinationis.* In palatio regis inventum habent, ut presbyteri non ordinentur priusquam examinentur. Interrogo vos, presbiteri.

1. quomodo credetis ut fidem catholicam teneatis seu simbolum et orationem dominicam quomodo sciatis vel intellegitis.

2. Canones vestras quomodo nostis vel intellegitis.

3. Penitentialem quomodo scitis vel intellegitis.

4. Missam vestram secundum ordinem Romanam quomodo nostis vel intellegitis.

5. Euangelium quomodo legere potestis vel alios inperitos erudire potestis.

6. Homelias orthodoxorum patrum quomodo intellegitis vel alios instruere sciatis.

7. Officium divinum secundum ritum Romanorum in statutis sollemnitatibus ad decantandum quomodo scitis.

8. Baptisterium quomodo nostis vel intellegitis.

9. Canonicos interrogo, si secundum canones vivant an non.

10. Vos autem, abbates, interrogo, si regulam scitis vel intellegitis, et qui sub regimine vestro sunt secundum regulam beatissimi Benedicti vivant an non, vel quanti illorum regulam sciant aut intellegant.

11. Laicos etiam interrogo, quomodo legem ipsorum sciant vel intellegant.

12. Ut unusquisque filium suum litteras ad discendum mittat, et ibi cum omni sollicitudine permaneat usque dum bene instructus perveniat.

(MGH Capitul. 1, 234 s.).

**288.** *Quae a presbyteris discenda sint.* Haec sunt quae iussa sunt discere omnes ecclesiasticos:

1. Fidem catholicam sancti Athanasii et cetera quaecumque de fide;

2. Symbolum etiam apostolicum;

3. Orationem dominicam ad intellegendum pleniter cum expositione sua;

4. Librum sacramentorum pleniter, tam canonem missasque speciales ad commutandum pleniter;

5. Exorcismum super caticuminum sive super demoniacos;

6. Commendationem animae;

7. Paenitentialem;
8. Compotum;
9. Cantum Romanorum in nocte;
10. Et ad missa similiter;
11. Euangelium intellegere, seu lectiones libri comitis;
12. Omelias dominicis diebus et solemnitatibus dierum ad praedicandum, canonem; monachi regulam similiter et canonem firmiter;
13. Librum pastoralem canonici atque librum officiorum;
14. Epistulam Gelasii pastoralem (1);
15. Scribere cartas et epistulas.

(MGH Capitul. I, 235).

## LXVII. KAROLI M. DIPLOMATA

Diplomatum Karoli M. nomine datorum 262 exempla ad nos usque pervenerunt. Quorum 41 exemplaria autographa servantur, 122 exempla in chartulariis aliisque posterioris aetatis codicibus membranisve existunt, cetera 98 spuria sunt. Quanti momenti ipsa ut fontes historiae ecclesiasticae sint, iam ex eo apparet, quod omnia fere ad ecclesias abbatiasve Italiae, Germaniae, Franciae data sint, quarum non paucae complura servaverunt, v. g. St. Dionysii Parisiense monasterium 12, Hersfeld 10, Fulda 9, Farfa 8, Lorsch et Prüm 7, Nonantula et Novalese 4, Aquileiensis episcopatus 4, ecclesiae Salisburgensis et Treverensis 3. Inter privilegia per diploma regis concessa eminet privilegium libere eligendi episcopum vel abbatem; accedunt exemptiones ab auctoritate episcopali, immunitas, defensio regia, donationes quam plurimae vel donationum antea factarum confirmationes (2). Singularis est Karoli sententia arbitralis, qua decidit quaestionem inter Salisburgensem et Aquileiensem episcopos de limitibus provinciarum suarum. Diplomatum Karoli editionem perfectam habes in MGH Diplomata Karolinorum, tom. I, p .77-292

**289.** Carolus gracia Dei rex Francorum et Langobardorum, vir inluster. Tunc regalis celsitudo suis culminis sublimatur, quando cunctorum iurgia iuxta proposicionis vel responsionis eloquia inter alterutrum salubre deliberat sentencia, quatenus sub Deo in rege manet potestas, quomodo cuncta terrebilia debeant ordenare. Cum nos in Dei nomen

(1) Est Gelasii decretalis « Necessaria rerum » ed. THIEL, p. 360 ss.
(2) Conf. supra n. 157 ss. Marculfi formulas.

Duria villa (1) in palacio nostro ad universorum causas audiendum vel recta iudicia termenandum resederimus ibique veniens apostolicus in Christo pater Herchenradus episcopus urbis Parisius civetate pontifex, Folrato abbate interpellabat, repetibat ei, eo quod ipsi Placicio monasthyrio (2), qui est constructus in honore sancte Marie et sancti Petre in pago Pinciacense, quem Francus homo nomine Aderaldus ad casa sancti Marie et sancti Stephani et sancti Germani per suum strumentum condonavit, ipse Folradus abba ad parte sancti Dionisie post se reteniat malo ordine iniuste : sed ipse Folradus abba de presente adstabat et taliter dedit in respunsis, quod ipso Placicio monasthyrio post se ad parte sancti Dionisii numquam reteniat malo ordine iniuste pro eo, quod dixet, quod Francus homo nomine Hagadeus ipso monasthyrio Placicio ad monasthyrio sancti Dionisii manus potestativas per suum strumentum condonasset et per ipsa tradicione plus obtingit ipsae monasthyrius Placicius ad casa sancti Deonisii ad habire quam ipsius Herchenrado episcopo ad parte sancti Marie et sancti Stephani et sancti Germani ad reddere. Unde et ipsa estrumenta per manibus se habire adfirmant et ipsas in presencia nostra protullerunt recensendas; eciam et de hac causa ab utrasque partis incerta cognovimus et ad divina mystheria Christi misericordia conspirante, sicut longa consuetudo exposcet et ipse volumptarie consenserunt, iobemus emanare iudicium, ut dum per ipsis strumentis de utrasque partis certamen non declaratur, ut recto trhamite ad Dei iudicium ad crucem (3) eorum homenis his nominibus : Adelramno de parte sancti Dionisii vel Folrato abbate et Corello de parte sancti Marie vel sancti Stephani et sancti Germani vel Herchenrado episcopo, exiere adque stare deberint. Quod ita et in capella nostra recensenda missa Harnaldo presbitero visi fuerunt ste-

---

(1) Düren prope Coloniam.

(2) Placitium (Plaisir), prope Versailles.

(3) Utriusque partis homines ante crucem brachiis extensis stabant; qui diutius probationem sustinebat causam vincebat. De iudiciis Dei vel ordaliis cf. A. Franz, *Die kirchlichen Benediktionem im Mittelalter*, 2, Freiburg 1909, p. 307 ss. Ritualia singulorum iudiciorum ed. in MGH Formul., p. 602 ss. Conf. etiam picturas codicis s. Floriani s. XII, ed. A. Franz, *Das Rituale von St. Florian*, Freiburg 1904, tab. 4.

tisse et ea hora protegente devina dextera Dei Deus omnipotens suum iustum iudicium declaravit, ut homo memmorato Herchenrado episcopo nomine Corellus ad ipso Dei iudicium ad ipsa crucem trephidus et convictus aparuit et tunc ipse Herchenradus episcopus in presencia nostra vel procerum nostrorum sibi recognovit vel recrededit, quod nec ipse nec pars ecclesie sue sancti Marie vel sancti Stephani seu sancti Germani nullum drictum habebant, per quid ipso Placicio monasthyrio habere potuissent. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id sunt Ghaerardo, Bernardo, Radulfo, Hilderado, Ermenaldo, Hebroino, Theudbaldo, Agmone comitibus, Haltberto, Laumberto, Haererico et Anselmo comite palatio nostro vel reliquis quam pluris visi fuemus iudicasse, ut dum ipse memmoratus homo sancti Dionisii vel Folrado abbate nomine Adelramnus iam dicto homine sancti Marie vel sancti Stephani seo sancti Germani nec non et Herchenrado episcopo nomine Corello ad ipso Dei iudicio ad crucem ibidem convicuit et ipse Corellus ibidem ad ipso Dei iudicio trepidus et convictus apparuit. Propteria iobemus, ut, dum hac causa sic acta vel perpetrata esse cognovimus, ut memmoratus Fulradus abba memmorato Placicio monasthyrio una cum suis apendiciis vel quicquid ibidem pertenere videtur, incontra sepedicto Herchenrado episcopo vel eclesie sue sancti Marie vel sancti Stephani et sancti Germani suisque successoribus ad parte sancti Dionisii monasthyrie sue iure firmissemum habiat evendecatum adque elidiatum et sit inter ipsis in postmodum absque ulla repeticione Herchenrado episcopo vel successoribus suis omneque tempore subita adque defenita seu et indulta causacio. ... Datum quinto kalendas agustas in anno septimo regni nostri (1); Duria villa in palacio publico; in Dei nomine feliciter amen.

(MGH Diplom. Karol. 1, 146 s.).

**290.** Karolus gratia Dei rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum. Si petitionibus sacerdotum et servorum Dei, in quo nostris auribus fuerint prolatae, libenter obtemperamus et eas in Dei nomine ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus et hoc nobis ad mer-

(1) a. 775 d. 28 Iulii. Autographum servatur in tabulario publico Parisiensi.

cedis augmentum seu stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet et futuris, qualiter vir venerabilis Paulinus sanctae Aquileiensis ecclesiae patriarcha (1), quae est in honore sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae vel sancti Petri principis apostolorum sive sancti Marci constructa, clementiam regni nostri petiit, ut, quando quidem divina vocatione ipse de hac luce ad Dominum migraverit, qualem meliorem et digniorem ipsa sancta congregatio, quae ibidem sub sancto ordine vitam degere videbitur, infra se nobis filioque nostro Pippino regi et omni genti nostrae per omnia fidelem aptumque et congruum voluerit, ex permissa indulgentia nostra salva principali potestate nostra sicut et in ceteris ecclesiis secundum canonicam auctoritatem licentiam habeant super se eligendi pastorem. Et insuper postulavit serenitati nostrae ut homines servientesque antedictae ecclesiae ubi et ubi commanentes nullam decimam nec de annona aut de peculio ullo umquam tempore in publico solvere debeant neque de peculio proprio ecclesiastico, quod partibus Histriensibus in pascuis miserint, ullum debeant persolvere herbaticum. Cuius venerabilem petitionem noluimus denegare tribus ex causis: una videlicet, ut ipsis servis Dei, qui ibidem Deo famulari videntur, pro nobis uxoreque [ac] filiis et filiabus nostris et populo nobis a Deo commisso iugiter Domini misericordiam melius implorare delectet: alia, ut in divinis litteris et doctrinis spiritualibus ampliorem certamen mittere procurent; tertia eius meritis compellentibus ita prestitisse et in omnibus concessisse cognoscite. Propterea per presentem auctoritatem nostram decernimus ac iubemus quod perpetualiter mansurum esse volumus, ut, sicut supra memoravimus, circa eundem sanctum locum ex permissa indulgentia nostra perenniter maneat inconvulsum. Et specialiter concessimus in elemosina nostra memorato viro venerabili, ut super servientes iam fatae ecclesiae mansionaticos vel foderum nullus audeat prendere aut exactare ullo umquam tempore, excepto si evenerit, quod nos ipsi aut dilectus filius noster Pippinus vel regale presidium propter impedimenta inimicorum partibus Foroiuliensibus aut in fine Tarvisiani advenerint; tunc propter necessi-

(1) A. 787-802. Conf. MGH Concil. 2, 130 ss., 179 ss.

tatis causam, si contigerit, mansiones homines nostri ibidem accipiant; in reliquo vero, si in Verona et Vincentia atque in longioribus finibus resederint, ut supra fati sumus, omni tempore pro mercedis nostrae augmento fiat indultum atque concessum. Et ut haec auctoritas firmior habeatur et diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus. Data pridie nonas augusti anno XXIIII et XIX regni nostri; actum Reganesburg (1) palatio publico; in Dei nomine feliciter amen.

(MGH Diplom. Karol. 1, 233 s.).

**291.** Karolus gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum. Quicquid enim in nostra et procerum nostrorum presencia iusto hac recto tramite diligenti examinacione secundum instituta sanctorum patrum fuerit terminatum vel diffinitum, oportet nostris confirmare oraculis, ita ut Christo propicio perpetuis temporibus maneat inconvulsum. Igitur notum sit omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus gastaldiis seu reliquis accionariis et cunctis fidelibus nostris presentibus et futuris, quia, dum nos Domino protegente Romam ad limina sanctorum principum apostolorum Petri et Pauli pro quibusdam causis sancte Dei Ecclesie ac domni Leonis pape pervenissemus ibique una cum episcopis ducibus gastaldiis seu reliquis fidelibus ac proceribus nostris resedentes, pervenit Aribertus sancte Aretine urbis ecclesie venerabilis episcopus in presencia nostra suggerendo ac proclamando super Andream sancte Senensis urbis ecclesie venerabilem episcopum dicens, quia diocesis ecclesie sue, quas a priscis temporibus praedecessores sui episcopi vel ipse tenuerat, tempore domni Hadriani quondam pape invasisset Hrotbertus quondam episcopus predicte sancte Senensis ecclesie et postmodum eas detenuisset Haeimo quondam episcopus suprascripte ecclesie, et usque nunc eas deteneret prefatus Andreas episcopus antedicte Senensis ecclesie, id est monasterio sancti Amsani, ibi ipse corpore requiescit, cum reliquis ecclesiis. Et dum inter eos pro hac re maxima verteretur contencio, rogavimus sanctissimo hac reverentissimo domno et in Christo patri Leoni summo pontifici et universali pape, ut secundum canonicam

(1) Regensburg, d. 4 Aug. 792.

auctoritatem eos una cum suis consacerdotibus pacificare deberet, sicuti et fecit. Unde et iudicatum ac preceptum auctoritatis sue supranominato Ariberto sancte Aretine urbis ecclesie episcopo emisit, quatenus deinceps ad partem ecclesie parochiam suam cum omni integritate, sicut ab antiquitus fuit, tenere et possidere debeat. Set pro integra firmitate petiit serenitati nostre memoratus vir venerabilis Aribertus suprascripte sancte Aretine ecclesie episcopus, ut hec nos denuo circa ipsam sanctam ecclesiam Dei, secundum quod domnus et in Christo pater noster Leo summus pontifex et universalis papa cum venerabilibus episcopis et ceteris fidelibus sancte Dei Ecclesie iusto tramite cum equitatis ordine diffinivit et per preceptum auctoritatis sue confirmavit, plenissima deliberacione cedere et confirmare deberemus. Cuius peticionem pro divino intuitu et reverencia ipsius sancte Dei Ecclesie denegare noluimus, set in omnibus ita concessisse vel confirmasse cognoscite. Precipientes ergo iubemus, quod perpetualiter circa memoratam sanctam Dei Aretinam ecclesiam iure firmissimo mansurum esse volumus, ut inspecta ipsa auctoritate vel confirmacione predicti domni et in Christo patris nostri Leonis summi pontificis et universalis papae, sicut per eam declaratur, ita et deinceps valeat sepe nominatus Haribertus sancte Aretine ecclesie episcopus suique in perpetuum successores, qui fuerint rectores in ipsa sancta Dei ecclesia, suas diocesis et monasteria seu baptisteria sicut a priscis temporibus tenere et possidere et iuxta sanctorum patrum (instituta) cum equitatis ordine regere et gubernare. Et ut hec auctoritas firmior habeatur et per tempora melius conservetur, manu propia subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus. ... Data IIII non. marcias anno XXXIII et XXVIII (1) regni nostri; actum Roma in ecclesia sancti Petri principis apostolorum, ubi ipse in corpore requiescit; in Dei nomine feliciter.

(MGH Diplom. Karol. 1, 264).

**292.** In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a Deo coronatus magnus pacificus imperator Romanum gubernans imperium, qui et per misericordiam Dei rex Francorum et Longobardorum. Notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini presencium scilicet

(1) 4 Mart. a. 801.

et futurorum, qualiter viri venerabiles Ursus sancte Aquilegiensis ecclesie patriarcha et Arno Iuvavensis ecclesie archiepiscopus ad nostram venientes presenciam non minimam inter se contencionem habuerunt de Karantana provincia, quod ad utriusque illorum dyocesim pertinere deberet; nam Ursus patriarcha antiquam se auctoritatem habere asserebat et quod tempore, antequam Ytalia a Longobardis fuisset invasa, per synodalia gesta, que tunc temporis ab antecessoribus suis, Aquilegiensis ecclesie rectoribus, agebantur, ostendi posse predicte Karantane provincie civitates ad Aquilegiam esse subiectas; Arno vero archiepiscopus asserebat se auctoritatem habere pontificum sancte Romane ecclesie Zacharie, Stephani atque Pauli, quorum preceptis et confirmacionibus predicta provincia tempore antecessorum suorum ad Iuvavensis ecclesie dyocesim fuisset adiuncta. Nos autem audita atque discussa eorum contencione, ut in unam eos caritatem et concordiam revocaremus et ut in futurum tam inter ipsos quam et successores eorum omnis controversia atque disceptacio fuisset penitus ablata, predictam provinciam Karantanam ita inter [se] dividere iussimus, ut Dravus fluvius, qui per mediam illam provinciam currit, terminus ambarum dyoceseon esset et a ripa australi ad Aquilegiensis ecclesie rectorem, ab aquilonali vero ripa ad Iuvavensis ecclesie presulem pars ipsius provincie pertineret; ecclesie vero, que in utraque ripa fuissent constructe, ubicumque possessiones suas iuste sibi collatas habere noscerentur, absque contradictione et contencione ambarum parcium haberent, quia compertum habemus, quod quedam ecclesie in una ripa fluminis predicti sunt constructe, quarum possessiones in altera eiusdem fluminis ripa sunt constitute. Hac igitur definicione a nobis promulgata precipimus atque iubemus, ut inter presentes viros venerabiles Maxencium videlicet, qui nuper in locum viri venerabilis Ursi patriarche subrogatus est, et Arnonem virum venerabilem Iuvavensis ecclesie archiepiscopum de hac re in futurum nulla controversia aut quaestio moveatur, sed contenti sint ex utraque parte nostro iudicio, quod inter eos secundum rectitudinis normam propter caritatem et pacem, que inter tales viros decet, conservandam iudicavimus; neque enim iustior nobis super huiuscemodi disceptacione sentencia proferenda videbatur, quam ut divisio inter eos illius provincie [deberet fieri], cuius ambo se auctoritatem habere asserebant, quia nos earundem auctoritatum neutram falsam, neutram infirmam fa-

cere voluimus, quia una antiquitate, altera sancte Romane ecclesie sublimitate precellebat. Hanc nostre auctoritatis iussionem, ut maiorem per tempora vigorem sortiretur firmiorque ab hiis qui post nos futuri hominibus haberetur, more nostro eam subscribere et de bulla nostra iussimus sigillare. Data XVIII kal. iul. anno XI Christo propicio imperii nostri et XLII regni nostri in Francia atque XXXVIII in Ytalia, indictione IIII (1); actum Aquisgrani palacii; in Dei nomine feliciter amen. (MGH Diplom. Karol. 1, 282 s.).

## LXVIII. ANGILBERTUS

Aedificiorum sacrorum cultusque divini magnificentiam, qua monasteria nonnulla Karoli tempore excellebant, optime cognoscimus ex duobus Angilberti, s. Richarii Centulae (2) abbatis — laici ut videtur — scriptis. In schola palatina ab Alcuino litteris imbutus, mox Pippini Italiae regis primicerius palatii, Karolo M. a secretis et regiae capellae minister, a. 790 ab ipso s. Richarii abbatia donatus est (3). Iteratis vicibus Romam ad tractanda negotia cum Romanis Pontificibus missus est. Mores eius ante annum 801 vix laudandi (4); Alcuinus hoc anno ad Adalhardum Corbeiensem abbatem scribit: « Quod de emendatis moribus Homeri mei scripsisti, satis placuit mihi » (5). Aula relicta, Angilbertus egregie de monasterio sibi commisso curam egit. Eius ecclesias earumque ornatum in *Libello de ecclesia Centulensi* enarrat (ed. F. Lot in: Hariulf, Chronique de l'Abbaye de St. Riquier, Paris 1894, p. 53 ss.; MGH SS 15, 173-178; ML 99, 841-850). Ordinem etiam divini officii per diversas anni festivitates a se institutum describit in libello *Institutio de diversitate officiorum* (ed. E. Bishop in Liturgica historica, Oxford 1918, p. 321-329). Praeter carmina minoris momenti a nonnullis ipsi tribuitur *carmen epicum de Leonis III* a. 799 ad Karolum confugientis *adventu*, cuius 536 versus superstites editi sunt in MGH PL 1, 366-379 (ML 98, 1433-1444).

---

(1) 14 Iun. a. 811.

(2) S. Riquier prope Amiens.

(3) Abbas et minister capellae vocatur a Hadriano Papa in epistula ad Karolum data a. 791 (MGH EPP 5, p. 7).

(4) De eius relationibus cum Bertha Karoli filia cf. Nithardi, eius et Berthae filii et pariter Centulensis abbatis laici (ab. a. 842), Historiarum l. 4, c. 5 (MGH SS 2, p. 671) et Einhardi Vitae Karoli c. 19 (SSUS ed. 6, 1911, p. 25).

(5) MGH EPP 4, p. 381. Homeri nomen inter aulicos Angilberto erat, sicut Alcuino Flacci, Einhardo Bezeleel, ipso Karolo Davidis.

**293.** *De ecclesia Centulensi libellus.* Ego igitur prescriptus Angilbertus considerans ac diligentissima intentione et mentis affectu pertractans, qualiter una cum consensu fratrum meorum et omnium fidelium sanctae Ecclesiae ceterorumque bonorum hominum hunc sanctum locum, michi licet indigno ab omnipotente Deo et excellentissimo domino meo Carolo serenissimo augusto ad gubernandum commissum, auxiliante Domino in melius reaedificare valuissemus, ut monachi et ceteri famuli ibidem consistentes vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia in hoc coenobium successuri erunt, Deo militare et pro me et pro eodem domino meo eiusdem Dei clementiam attentius valeant implorare, quatinus illis facta nostra ad perpetuam consolationem nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus, ad mercedem proficiat sempiternam, secundum quod ratio permisit et possibilitas nostra administravit, non tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laborare curavimus. Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari et mente colere firmiterque credere debet, secundum huius fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres ecclesias principales (1) cum membris ad se pertinentibus in hoc sancto loco, Domino cooperante, et predicto domino meo augusto iuvante, fundare studuimus. Quarum prima est in honore sancti Salvatoris et omnium sanctorum eius. Alia in honore sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae et sanctorum apostolorum. Tertia vero in claustro fratrum in honore sancti Benedicti abbatis et reliquorum sanctorum regularium abbatum. Quae etiam mirifico ordine dedicatae sunt a venerabilibus patribus, duodecim scilicet sanctissimis episcopis, quorum nomina ob venerationem et memoriam illorum huic opusculo annectenda esse iudicavimus. Hi sunt Meginhardus Rothomagensis ecclesiae venerabilis archiepiscopus, Georgius, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiwardus, Teodoinus, Idelmarus, Benedictus et Kellanus, preclarissimi episcopi, Iohannes vero et Passivus sancte Dei Romanae aecclesiae legati, presules nobilissimi. ... Dum enim praescriptas ecclesias prudenti consilio in honore Domini nostri Iesu Christi suaeque gloriosae genitricis, et omnium sanctorum eius, sicut

(1) Conf. W. Effmann, *Centula*, Münster 1912, p. 1-23.

supra scriptum est, fundatas perspiceremus, magno desiderio nimioque amoris ardore sumus accensi, ut secundum possibilitatem nostram, eodem Domino miserante, partem reliquiarum illorum sanctorum ad ornandas easdem sanctas Dei aecclesias adipisci mereremur. Quapropter totis visceribus totaque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei et adiutorium gloriosi domini mei magni imperatoris de diversis partibus totius christianitatis quantas et quales vel unde allatas recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet. Id est inprimis de sancta Romana ecclesia largiente bonae memoriae Adriano summo pontifice et post eum venerabili Leone papa Romano; de Constantinopoli, vel Hierosolimis per legatos illuc a domino meo directos ad nos usque delatas; deinde de Italia, Germania, Aquitania, Burgondia atque Gallia a sanctissimis patribus, patriarchis videlicet, archiepiscopis, necnon episcopis atque abbatibus nobis directas, seu etiam de sacro palatio, quae per tempora ab anterioribus regibus et postea a iam dicto domino meo maxime sunt congregatae, et per eius elemosinam de omnibus partem habere atque in hoc sancto loco condigne recondere meruimus. Sed de his de quibus certi sumus, et a predictis sanctissimis viris breves recepimus, omnium illarum nomina in hoc opuscolo inserere non negleximus: ... De ceteris vero reliquiis, de quibus nobis incerta sunt nomina, ab eisdem sanctis patribus receptis, minime scripsimus: ... (1) Cumque prescriptorum sanctorum venerationi altaria ordinata atque de eorum reliquiis venerabiliter, ut supra legitur, a nostra parvitate essent ornata, diligenti cura tractare cepimus, qualiter ea ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi, ob venerationem sanctorum omnium, in quorum honore sunt consecrata, de donis Dei et largitate magni domini mei Caroli eiusque nobilissimae prolis vel reliquorum bonorum hominum liberorum michi ab illis collatis opere fabrili in auro, argento

(1) Sequitur catalogus reliquiarum Domini nostri Iesu Christi, B. Mariae V., apostolorum, martyrum, confessorum, virginum. Inter quas non desunt singularia quaedam, v. g. « de candela quae in Nativitate eius (i. e. Domini) accensa est »; alia ut: « ... de lignis trium tabernaculorum », ad ligna arborum in Monte Transfigurationis existentium inde a peregrinis allata referenda videntur.

et gemmis ornare etiam, et ubi loca convenientia existerent, desuper ciboria ponere potuissemus, sicut, prout eodem Domino cooperante valuimus, facere studuimus. Id sunt: in ecclesia sancti Salvatoris et sancti Richarii altaria fabricata XI et ciboria II, lectoria auro, argento et marmoribus parata II. In ecclesia sanctae Dei genitricis Mariae et sanctorum apostolorum altaria fabricata XIII; ciborium I et lectorium optime paratum I. In ecclesia sancti Benedicti altaria parata III. In ecclesis vero sanctorum angelorum Gabrielis, Mychaelis et Raphaelis altaria III. Quae fiunt simul altaria XXX, ciboria III et lectoria III. Nam de aliis vasis et supellectilibus (1) habentur cruces auro argentoque paratae XVII, coronae aureae II, lampades argenteae VI, cuprinae auro argentoque decoratae XII, poma aurea III, calices aurei magni cum patenis II. Item calix I magnus aureus cum imaginibus simul cum patena sua. Alii calices argentei XII cum suis patenis. Offertoria argentea X. Ad caput sancti Richarii tabula auro et argento parata I. Ostia maiora auro et argento parata II, alia minora II, alia ostiola similiter parata II. Balteus aureus I. Atramentarium optimum argenteum auro paratum I. Cultellus auro et margaritis paratus I. Codex eburneus auro, argento et gemmis optime paratus I. Ponga auro parata I. Incensaria argentea auro parata IV. Hanappi argentei superaurati XIII. Conca argentea maior cum imaginibus argenteis I. Bocularis argenteus I. Urcei argentei cum acquamanilibus suis II. Canna argentea I, eburnea I. Situle argenteae II. Clavis aurea I. Schilla argentea I. Corone argenteae cum luminibus XIII. Columnae coram altare sancti Richarii auro et argento paratae VI. Trabes minores cum arcubus suis argento paratae III. Cloccaria auro parata III. Cloccae optimae XV cum earum circulis XV. Schillae III. Imagines aeneae VI, eburnea I. Candelabra auro parata II. Ostia auro parata VII. Insuper donavimus ibi pallia optima LXXVIII. Cappas CC. Dalmaticas se-

(1) Cum hoc inventario thesauri Centulensis conferenda sunt coaeva documenta, v. g ecclesiae s. Michaelis in insula Staphinseie (MGH Capit. I, p. 250 s.) inventarium; abbatum Fontanellensium dona pro monasterio in Gesta abbatum Fontanellensium cap. 15-17 (MGH SS 2, p. 290-297); praecipue vero ingens catalogus donorum Leonis III pro ecclesiis Romanis, in eius Vita, LP ed. Duchesne 2, p. 8-34, de quo conf. C. HUELSEN, *Osservazioni sulla biografia di Leone III* in PARA, Rendiconti 1923, p. 107 ss.

ricas XXIV. Albas Romanas cum amictis suis auro paratas VI, albas lineas CCLX. Stolas auro paratas V. Fanones de pallio auro paratos X. Cussinos de pallio V. Saga de pallio V. De libris : Euangelium auro scriptum cum tabulis argenteis auro et lapidibus pretiosis mirifice paratum I. Aliud euangelium plenarium I. De aliis libris volumina CC. ... (1). His et aliis, quae prout donante Domino valuimus, eleganter dispositis atque ex diversis predictis reliquiis supradictorum sanctorum ornatis ecclesiis, diligenti mentis affectu tractare cepimus, qualiter Domino donante pervenire valuissemus, ut, sicut in aedificiis marmoreis et in ceteris ornamentis oculis honeste clarescunt humanis, ita etiam in laudibus Dei, in doctrinis diversis et canticis spiritualibus honestius, in augmento fidei roborante, nostris et futuris temporibus, Deo auxiliante, cotidie ad salutem proficiendo crescerent sempiternam. Quapropter ob venerationem sanctae Trinitatis C p u e r o s in hoc sancto loco i n s c o l a m c o n g r e g a r e studuimus, optantes, ut nostris nostrorumque successorum temporibus idem numerus, si non amplius, quousque voluntas Dei fuerit, in hoc sancto cenobio ob eandem devotionem qua eos ibidem congregavimus, maneant, ut eiusdem omnipotentis Dei servitium, ad quod eos qui tunc temporis fuerant coniunxi, ipso miserante secundum eius voluntatem perficere valeam, quatinus illis ad perpetuam salutem nobisque ad mercedem proficiat sempiternam. (MGH SS 15, 174 ss.).

## LXIX. LEO III PAPA

Maximi momenti eventus pontificatus eius (795-816) est Karoli coronatio in imperatorem Romanorum die 25 Decembris a. 800. Facta, quae a die 25 Aprilis a. 799 usque ad diem coronationis evenerunt: aggressio pontificis per Paschalem et Campulum, subsequens iter ad Karolum, a quo Paderbornae honorifice excipitur et comitantibus archiepiscopis Coloniensi et Salisburgensi aliisque a Karolo deputatis proceribus Romam remittitur, Karoli iter Romanum a. 800, omnia haec ampla narratione exponit Leonis *Vita* in LP (ed. Duchesne 2, 1-34). Inter *epistulas* Leonis 10 ad Karolum scriptae inter aa. 808-814 ad modum continuationis Co-

(1) Quorum catalogum a. 831 (codices 256) confectum, ed. G. Becker, *Catalogi bibliothecarum antiqui*, Bonn 1885, p. 24 ss. Conf. T. Gottlieb, *Ueber mittelalterliche Bibliotheken*, Leipzig 1890, p. 145, 399.

dicis Karolini collectae sunt in cod. Guelferbytano 287 saec. IX in. (MGH EPP 5, 85-104; ML 98, 517-550); inter ceteras epistulas eius (MGH ib. 58-68; ML 102, 1023-1072) notandae eae quae ad Salisburgensis metropoleos erectionem referuntur (MGH ib. 58-63; conf. ML 129, 970); et epistula ad Karolum a. 809 scripta (MGH ib. 66 s.), quacum imperatori misit quaerimonias monachorum Montis Oliveti (ib. 64-66) de persecutione in eos propter « Filioque » in symbolo additum exorta. « *Symbolum orthodoxae fidei* » quod Leo in eadem epistula ad Karolum monachis se misisse [1] affirmat. idem forte est, ac illud, quod editum habes in ML 102, 1030 s. Ad hanc pariter quaestionem refertur: *Ratio quae habita est, de symbolo fidei in secretario b. Petri apostoli inter domnum Leonem... et Bernarium atque Iesse episcopos seu Adalardum abbatem, missos domni Caroli imperatoris* (MGH Concil. 2, 239-244; ML 102, 971-976), et inter dona a Leone in basilica s. Petri oblata « scutos ex argento II, scriptos utrosque simbolum, unum quidem litteris graecis et alium latinis, sedentes dextra levaque super ingressu corporis » (LP 2, 26) [2].

294. *LP. Vita Leonis III.* ... Sed dum ad praedictum clementissimum magnum regem praelatus pontifex in magno et condecenti honore degeret, ex omni parte ibidem tam archiepiscopi quamque episcopi et ceteris sacerdotibus venientibus, una cum consilio eiusdem piissimi magni regis omnibusque eximiis Francis, Deo praevio, Roma illum remeari in sua apostolica sede honorifice, cum nimio, ut decuit, emiserunt honore. Qui per unaquaque civitate, tamquam ipsum suscipientes apostolum, usque Roma deduxerunt. Qui Romani, prae nimio gaudio, suum recipientes pastorem, omnes generaliter in vigilias beati Andreae apostoli, tam proceres clericorum cum omnibus clericis quamque optimates et senatus cunctaque militia, et universo populo Romano cum sanctimo-

---

[1] Conf. symbolum a s. Nicephoro Constantinopolitano patriarcha Leoni missum: ML 102, 1037 ss.

[2] Quisnam fuerit textus istorum symbolorum, et utrum verba « Filioque » in ipsis scutis argenteis inscripta fuerint, necne, ex hoc textu nullatenus conicere licet. Leonem ipsam doctrinam processionis Spiritus sancti ex Patre Filioque plene approbasse constat tum ex Symbolo ab ipso in Orientem misso (ML 102, 1030 s.), tum ex ipsa discussione cum Karoli legatis, quibus tamen suadet, ut « cantandi consuetudo eiusdem symboli intermittatur... quia in nostra sancta ecclesia non cantatur » (MGH Concil. 2, p. 244).

nialibus et diaconissis et nobilissimis matronis seu universis feminis, simul etiam et cuncte scole peregrinorum, videlicet Francorum, Frisonorum, Saxonorum atque Langobardorum, [1] simul omnes conexi, ad pontem Molvium, cum signis et vandis, canticis spiritalibus susceperunt, et in ecclesia beati Petri apostoli eum deduxerunt, ubi et missarum solemnia celebravit et omnes pariter corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi fideliter participati sunt. Et alia die secundum olitanam consuetudinem, natale beati Andreae apostoli celebrantes, Roma introeunte cum multo gaudio et letitia in patriarchio Lateranense introivit. Et post aliquantos dies, fidelissimi missi qui cum eo venerunt in pontificalem obsequium, videlicet Hildebaldo et Arno, reverentissimis archiepiscopis [2], seu Cunipertus, Bernardus, Atto et Iesse [3], reverentissimis et sanctissimis episcopis, necnon et Erflaico electo episcopo, verum etiam Helmgoth, Rottecario et Germario gloriosissimis comitibus, resedentes in triclineo ipsius domni Leonis pape, et per unam et amplius ebdomadam inquirentes ipsos nefandissimos malefactores qua malicia ab ipso ipsorum pontifice habuissent, tam Paschales quamque Campulus cum sequacibus eorum; et nihil habuerunt adversus eum quod dicerent. Tunc illos comprehendentes praedicti missi magni regis emiserunt eos in Franciis. Qui post modicum tempus ipse magnus rex, dum in basilica beati Petri apostoli coniunxisset, et cum magno honore susceptus fuisset [4], fecit in eadem aecclesia congregare archiepiscopos seu episcopos, abbates et omni nobilitate Francorum atque synclitu Romanorum. Et sedentes pariter tam magnus rex quam beatissimus pontifex, fecerunt residere et sanctissimos archiepiscopos seu episcopos et abbates, stantes reliquos sacerdotes seu optimates Francorum et Romanorum, ut crimina quae alversus almum pontificem dicta fuerant delimarent. Qui universi archiepiscopi seu episcopi et abbates unianimiter audientes dixerunt: « Nos sedem apostolicam, quae est capud omnium Dei ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes et vicario suo iu-

---

(1) Conf. KEHR, *Italia pontificia*, I, p. 151 s.

(2) Archiepiscopi Coloniensis et Salisburgensis.

(3) Episcopi Wormatiensis, Frisingensis et Ambianensis.

(4) 24 Novemb. a. 800.

dicamur; ipsa autem a nemine iudicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit (1). Sed sicut ipse summus pontifex censuerit, canonice obediemus ». Venerabilis vero praesul inquit: « Praedecessorum meorum pontificum vestigia sequor et de talibus falsis criminationibus quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum ». Alia vero die, in eadem ecclesia beati Petri apostoli, omnes generaliter archiepiscopi seu episcopi et abbates et omnes Franci qui in servitio eiusdem magni regis fuerunt, et cuncti Romani in eadem ecclesia beati Petri apostoli, in eorum praesentia amplectens prelatus venerabilis pontifex sancta Christi quattuor evvangelia coram omnibus ascendit in ambonem et sub iusiurando clara voce dixit: « Quia de istis criminibus falsis, quae super me inposuerunt Romani qui inique me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco » (2). Et hoc peractum, omnes archiepiscopi, episcopi et abbates et cunctus clerus, letania facta, laudes dederunt Deo atque Dei genitricis semperque virginis Mariae dominae nostrae et beato Petro apostolorum principi omniumque sanctorum Dei. Post haec, advenientem diem Natalis Domini nostri Iesu Christi, in iamdicta basilica beati Petri apostoli, omnes iterum congregati sunt. Et tunc venerabilis et almificus presul manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tanta defensione et dilectione quam erga sanctam Romanam ecclesiam et eius vicarium habuit, unanimiter altisona voce Dei nutu atque beati Petri clavigeri regni caelorum, exclamaverunt: « Karolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno et pacifico imperatore, vita et victoria » (3). Ante sacram confessionem beati Petri apostoli, plures sanctos invocantes (4), ter dictum est; et ab omnibus constitutus est imperator Romanorum. Illico sanctissimus antistes et pontifex unxit oleo sancto Karolo, excellentissimo filio eius, rege, in ipso die Natalis domini nostri Iesu Christi. ... (LP ed. Duchesne 2, p. 6 s.).

(1) Conf. supra p. 337, n. 2.

(2) Conf. infr. n. 296.

(3) Coaevus auctor Annalium, qui regum Francorum et Einhardi vocantur, addit: « Et post laudes ab apostolico more antiquorum principum adoratus est atque ablato patricii nomine imperator et augustus est appellatus » (MGH SSUS, p. 112). Conf. Böhmer, *Reg. Imp.* I, ed. 2, p. 165.

(4) Conf. supra n. 249; litaniam integram cum omnibus sanctorum nominibus ed. Duchesne LP 2, p. 37.

**295.** Dilectissimis nobis Alim ecclesiae Sabionensis seu Attoni ecclesiae Frigisingae ac simul Adalwino ecclesiae Reginensis, necnon Waltrico ecclesiae Pataviensis et Sintperto ecclesiae Niwinburcgensis, provinciae Baiowariorum episcopis [1], Leo servus servorum Dei. Dilectionis vestrae, quas nobis petitorias emisistis, syllabas libenti suscepimus animo, in quibus ferebatur, ut in provincia vestra Baiowariorum archiepiscopum ordinaremus. Quoniam provincia ipsa mirifice a filio nostro domno Carolo excellentissimo rege Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum penitus ex omni parte, sicut decuit, ordinata est, idcirco convenit nos ipso nempe ecclesiastico moderamine in sacro ordine fideliter atque spiritaliter secundum canonicam censuram ipsam ordinare Baiowariorum provinciam. Et quia Deo auspice reperientes virum almificum et in scripturis divinis peritissimum et in omnibus misericordissimum, spiritalibus moribus comprobatum, una cum consensu et voluntate praedicti filii nostri Caroli praecellentissimi magni regis vobis ordinavimus secundum sanctiones patrum archiepiscopum, videlicet Arnonem ecclesiae Iuvavensium, que et Petena nuncupatur, que in honore beati Petri principis apostolorum venerabiliter est consecrata, ibique requiescit corpus sacri pontificis Hruodberti [2] una cum venerabilibus suis sodalibus, scilicet Chunialdo atque Kyslario, quorum corpora ibidem a fidelibus honorantur. Qui dudum vester fuit coepiscopus, nunc autem frater et coepiscopus noster, vester autem archiepiscopus. Et venerabilem sedem eius metropolitanam habentes adque sancto Arnoni archiepiscopo vestro usum pallii tribuentes, dedimus in mandatis, ut secundum canonicas institutiones omnes ecclesias superius nominatas vestras cum dioecesibus illi subiectas canonice valeat adminiculo impertire, ut in futuro examine ante tribunal Christi liberaliter valeat dicere : « Domine ecce ego et pueri, quos dedisti mihi; non perdidi ex eis quemquam », ut pro hoc digne valeat ab ipso Domino audire : « Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui ». *Bene valete* [3]. (MGH EPP 5, 58 s.).

---

(1) De singulis ecclesiis conf. A. Brackmann, *Germania pontificia* I, Berlin 1911, p. 4 ss., 139 ss., 157 ss., 267 ss., 328 ss., 383 s.

(2) Conf. supra p. 227, not. 4.

(3) Data a. 798.

**296.** *Sacramentum quod Leo papa iuravit* [1]. Auditum, fratres karissimi, et divulgatum est per multa loca, qualiter homines mali adversus me insurrexerunt et debilitare voluerunt et miserunt super me gravia crimina. Propter quam causam audiendam iste clementissimus ac serenissimus domnus rex Carolus una cum sacerdotibus et optimatibus suis istam pervenit ad urbem. Quam ob rem ego Leo pontifex sanctae Romanae ecclesiae, a nemine iudicatus neque coactus, sed spontanea mea voluntate purifico et purgo me in conspectu vestro coram Deo et angelis eius, qui conscientiam meam novit et beato Petro principe apostolorum, in cuius basilica consistimus: quia istas criminosas et sceleratas res, quas illi mihi obiciunt, nec perpetravi nec perpetrare iussi; testis mihi est Deus, in cuius iudicium venturi sumus et in cuius conspectu consistimus. Et hoc propter suspitiones tollendas mea spontanea voluntate facio; non quasi in canonibus inventum sit, aut quasi ego hanc consuetudinem aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis necnon et fratribus et coepiscopis nostris inponam. (MGH EPP 5, 63 s.).

**297.** Domino excellentissimo filio Coenulfo regi Merciorum seu omnibus dilectissimis episcopis atque gloriosissimis ducibus Leo Papa. ... Vestram autem scientes fructificatam in omnibus bonis praecelsa scientia, ad memoriam deducimus, qualiter sanctae recordationis quondam [2] Offa rex pro victoriis regni, quod [3] tenuit, beato Petro auctori suo signiferum et comitem in ipso regno utens atque amplectens, coram synodo tam omnibus episcopis seu principibus atque optimatibus cunctoque populo insulae Bryttanniae morantibus quamque et nostri fidelissimi missi Georgii et Teophilacti, sanctissimis episcopis [4], votum vovit eidem Dei apostolo beato Petro clavigero regni caelorum, ut per unumquemque annum, scilicet quantos dies annus habuerit, tantos mancusas eidem Dei apostoli aecclesiae, nimirum CCCLXV, pro alimoniis pauperum et luminariorum concinnatione emittere. Quod et fecit, ut tam ipse quamque posteris eius, qui ipso regno tenere videntur, usque in perpetuo pro eidem regni victoria, beato Petro suis almis suffragiis concedente. ...
(MGH EPP 4, 188 s.).

---

(1) Conf. supra n. 294.

(2) ed. quod.

(3) ed. quam.

(4) Vide supra n. 251.

**298.** Sanctissimo ac reverentissimo domino in Christo patri Leoni summo pontifici et universali Papae sedis sanctae apostolicae urbis Romae congregatio Montis Oliveti. ... Benignissime pater, dum essem ego Leo servus vester ad sancta vestigia vestra et ad pia vestigia domni Karoli piissimi imperatoris filiique vestri, audivimus in capella eius dici in symbolo fidei: « qui ex Patre Filioque procedit ». Et in homilia sancti Gregorii, quam nobis filius vester domnus Karolus imperator dedit, in parabola octavarum paschae, ubi dixit: « Sed eius missio ipsa processio est, qui de Patre procedit et Filio ». Et in regula sancti Benedicti, quam nobis dedit filius vester domnus Karolus (1), quae habet fidem scriptam de sancta et inseparabili Trinitate, dicit: « Credo Spiritum sanctum Deum verum, ex Patre procedentem et Filio ». Et in Dialogo, quem nobis vestra sanctitas dare dignata est, similiter dicit. Et in fide sancti Athanasii eodem modo dicit. Itaque per ipsum Iohannem facta est nobis grandis confusio in sancta civitate, quoniam dicit, quod Spiritus sanctus non procedit de Patre et Filio. Et de hoc misit grandem errorem per omnia monasteria. Et requirebat fidem nostram et libros nostros. Et de domino Gregorio dicit, quod non sint recipiendi eius libri. Unde iterum atque iterum, sancte pater, in terram prostrati cum lacrimis postulamus et rogamus te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, qui Trinitas inseparabilis unus dicitur, ut digneris inquirere tam in Graeco quam in Latino de sanctis patribus, qui symbolum composuerunt, istum sermonem, ubi dicitur: « ex Patre Filioque procedit » (2). Et in Graeco non dicunt sicut nos, sed dicunt: « qui ex Patre procedit » et vident istum sermonem gravem, quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris domno Karolo imperatori filio vestro, quod nos istum sermonem in eius capella audivimus: « qui ex Patre Filioque procedit ». ... (MGH EPP 5, 65 s.).

---

(1) Quid egerit Karolus pro genuini textus regulae receptione vid. apud L. TRAUBE, *Textgeschichte der Regula s. Benedicti*; AMA, XXI, 1898, p. 629 ss.

(2) Conf. theologorum coaevorum opera, praesertim: Theodulfi Aurelianensis episcopi De Spiritu sancto (ML 105, 239-276); conf. infr. n LXXI; Smaragdi libellum De processione Sp. s. (MGH Concil. 2, 236 ss.; ML 98, 923 ss.) et Concilia illius aevi praesertim Frankofurtense a. 794 (MGH ib. 163 s.); et Foroiuliense a. 796/7 (ib. 187 s.).

# LXX. LEIDRADUS

Paucae tantum magni archiepiscopi Lugdunensis (798-816; obiit a. 817) supersunt epistulae (MGH EPP 4, 539-546; ML 99, 871-873) inter quas singularis momenti est illa, qua Karolo rationem reddit, de iis quae tempore episcopatus in instaurandis officiis, ecclesiis ceterisque Ecclesiae ministeriis egerit; in qua praecipue notanda sunt ea, quae de scholis a se institutis refert. Leidradi *Liber de sacramento baptismi* (ML 99, 853-872) eius rescriptum ad Karoli encyclicam ad episcopos continet (1). Optime insuper meritus est de Adoptianis haereticis ad unitatem fidei reducendis (2). Ultimis vitae mensibus, infirmitate, ut videtur, fractus, episcopatui renuntians, in Suessionensi s. Medardi monasterio degebat, ubi d. 28 Dec. a. 817 obiit.

**299.** Summo Carolo imperatori Leidradus archiepiscopus Lugdunensis salutem. Domine mi gloriosissime constans et sacer imperator, supplico clementiae celsitudinis vestrae, ut hanc brevem suggestiunculam serenissimo vultu audiatis, quatinus quae hic inserta sunt piissimae prudentiae vestrae nota fieri queant, et intentio meae postulationis ab ingenita clementia vestra reminiscatur. Olim me, exiguissimum famulorum vestrorum, ad regimen ecclesiae Lugdunensis destinare voluistis, cum ego huic officio impar existerem et indignus. ... Denique postquam, secundum iussionem vestram, supra dictam ecclesiam suscepi, iuxta vires parvitatis meae omni industria egi, ut clericos officiales habere potuisset, sicut iam Deo favente ex magna parte nunc habere videor. Et ideo officio quidem vestrae pietatis placuit, ut ad petitionem meam mihi concederetis unum de Metensi ecclesia (3) clericum, per quem Deo iuvante et mercede vestra annuente ita in Lugdunensi ecclesia restauratus est ordo psallendi, ut iuxta vires nostras s e c u n d u m r i t u m s a c r i p a l a t i i (4) nunc ex parte agi vi-

(1) Conf. supra n. 285; editor libri Leidradi in MGH EPP 4, 539 s. inepte maiorem opusculi partem omisit.

(2) Cf. Alcuini epist. 208, a. 800: « Ut mihi vere dixerunt ex illis partibus viri religiosi et veraces, usque viginti milia conversi sunt inter episcopos, sacerdotes, monachos, populum » (MGH EPP 4, p. 346).

(3) Conf. supra n. 234.

(4) De Lugdunensis ecclesiae liturgia conf. *The Month*, 151, 1928, p. 402 ss.

deatur quicquid ad divinum persolvendum officium ordo deposcit. Nam habeo scolas cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut etiam alios erudire possint. Praeter haec vero habeo scolas lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exerceantur, sed etiam qui in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiae fructus consequantur. Ex quibus nonnulli de libro evangeliorum sensum spiritalem iam ex parte proferre possunt, alii adiuncto libro etiam apostolorum, plerique vero librum prophetarum secundum spiritalem intelligentiam ex parte adepti sunt; similiter libros Salomonis, vel libros psalmorum, seu Iob. In libris quoque conscribendis in eadem ecclesia, in quantum potui laboravi. Similiter vestimenta sacerdotum vel ministeria procuravi. De restauratione quoque ecclesiarum, in quantum valui, non cessavi, ita ut eiusdem civitatis maximam ecclesiam, quae est in honore sancti Iohannis Baptistae, a novo reparavi, et macerias de novo texi, similiter ecclesiae sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque s. Nicetii de novo etiam reaedificavi, similiter ecclesiam sanctae Mariae. Praeter monasteriorum restaurationes domus quoque episcopales unam restauravi, quae iam pene destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solario de novo aedificavi et duplavi; et hanc propter vos paravi, ut si in illis partibus vester esset adventus, in ea suscipi possetis. Claustrum quoque clericorum ita construxi, in quo nunc omnes sub uno conclavi manere noscuntur. In eadem civitate alias restauravi ecclesias. ... Monasterium quoque puellarum in honorem sancti Petri dedicatum, ubi corpus sancti Annemundi martyris humatum est, quod ipse sanctus martyr et episcopus instituit, ego a fundamentis tam ecclesiam quam domum restauravi; ubi nunc sanctimoniales numero XXXII, secundum institutionem regularem viventes habitare videntur. ... Et monasterium regale insulae Barbarae [situm in medio Araris flumine, quod antiquitus est dedicatum in honore sancti Andreae apostoli et omnium apostolorum, nunc autem in honore sancti Martini recens videtur esse fundatum iussu domni Karoli imperatoris, qui ibidem praefecit domnum Benedictum abbatem, cum quo simul direxit ibi suos codices] (1)

(1) Sententia haec interpolata esse videtur; conf. infr. n. 302.

ita restauravi, ut tecta de novo fierent, et aliqua ex maceriis a fundamentis erigerentur; ubi nunc monachi secundum regularem disciplinam numero XC habitare videntur. ... Aliud monasterium in honore sancti Regneberti aedificatum, ubi eiusdem sancti requiescit corpus, de novo totum reparatum est, sive in parietibus sive in tectis vel etiam in ecclesiis, ubi nunc monachi numero LVI secundum regularem custodiam habitant. In quibus monasteriis, unum puellarum et duo monachorum, nemo antea erat, qui regularem vitam imitari nosset aut vellet. Propter quod plurimum laborem et studium impendi, ut ad hanc regularis vitae observantiam pervenire potuissent, quo nunc pervenisse Deo auxiliante videntur. Aliam quoque ecclesiam in eadem parochia, quae est in honore sancti Wibaldi, ubi eiusdem sancti corpus requiescit, restauravi.

[Habet Leidradus episcopus ad suum opus inter totum colonicas vestitas DCCXXVII, absas (1) XXXIII. Habet Amalbertus episcopus colonicas vestitas XXX, absas XVII. Habet Agobardus episcopus colonicas vestitas XLIIII, absas IIII. Sunt in domo sancti Stephani canonici numero LII, habent colonicas vestitas LXXXIII, absas L. Habent in sancto Paulo canonicas XXIIII. Habent in beneficio colonicas vestitas XXII, absas XXI, et sunt pauperes numero XII, qui de suprascriptis rebus accipiunt tertiam portionem. Ad hospitale quoque sancti Romani habent colonicas vestitas XXII, absas X. Et ad hospitale sancti Genesii habent colonicas vestitas VI, absas II. In monasterio vero praedicto sancti Petri puellarum habent colonicas vestitas CLXXXVIII, absas XLVII. Et in coenobio Insulano sunt colonicae vestitae CV, absae LIII. Et in monasterio sancti Ragneberti habent colonicas vestitas XL (2)]. (MGH EPP 4, 542 ss.).

---

(1) Colonicas scil. terras; vestitas, i. e. colonis instructas; absas, i. e. carentes colonis.

(2) Conf. alia inventaria similia tempore Karoli M. confecta: praesertim Irminonis abbatis S. Germani de Pratis (c. 811-823) Polyptychum (ed. A. Longnon, Paris, 2 voll., 1886, 1895), de quo conf. L. Halphen, *Etudes critiques sur l'histoire de Charlemagne*, Paris 1921, p. 253 ss.; Inventarium episcopatus Augustani (Augsburg) in MGH Capitul. 1, p. 252; episcopatus Salisburgensis in Arnonis episcopi Notitia a. 788 (ed. W. Hauthaler in *Salzburger Urkundenbuch* I, 3-16) et Breves notitiae a. 790 (ib. I, 17-19). Pro Italia conferenda sunt inventaria e. g. Bobbiensis monasterii ex aa. 835, 862, 883, in *Codice diplomatico di Bobbio*, I, Roma, 1918, p. 139 ss., 184 ss. (FSI 52). De praediorum eccle-

# LXXI. THEODULFUS, AURELIANENSIS EPISCOPUS

Inter aevi Karolini poetas maximus, inter magnos episcopos, Karoli strenuos cooperatores unus fuit e praecipuis. Ex Hispania oriundus, « immensis casibus exul » in Karoli regnum venit; c. a. 798 Aurelianensem episcopatum adeptus est, a. 800 a Leone III pallium accepit; a. 817 Bernardi Italiae regis in Ludovicum Pium seditionem moventis partes secutus, a. 818 rebellione devicta cum ceteris seditiosis a Ludovico iudicatus, depositus, et in monasterium Ambianense relegatus est, ubi a. 821 obiit. Eius zelum in obeundo munere pastorali manifestant *Capitula pro clero* (ed. Iac. Sirmond S. I., Paris 1646 = ML 105, 187-380), consilia et praecepta exhibentia, quibus clerum instruit ad recte exercendam curam animarum; notanda praesertim capitula de scholis instituendis. Eruditionis theologicae specimina exhibent opera: *De Spiritu sancto veterum patrum sententiae, quod a Patre Filioque procedit* (ML 105, 239-276) et *Liber de ordine baptismi* (ML ib., 223-240), inter rescripta ad Karoli encyclicam eruditione prae omnibus excellens (1). Sicut Alcuinus, ita et Theodulfus emendando textui Vulgatae operam impendit, ut testantur varii codices, qui eius editionem servaverunt (2). Inter eius *opera poetica* (MGH PL 1, 437-581; ML. 105, 283-380) celeberrimum est hymnus ad processionem in dominica Palmarum: *Gloria, laus et honor tibi sit, Christe redemptor* (MGH ib. p. 543; ML ib., 308 s.).

**300.** Theodulfus fratribus et compresbyteris nostris Aurelianensis parochiae sacerdotibus, in Domino salutem.

*1. Quod subditarum plebium profectum curare debeant, et de dignitate sacerdotum.* Obsecro vos, fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum et emendationem vigilantissima cura laboretis: quatenus illis viam salutis osten-

---

siasticorum illius aevi magnitudine conf. L. HALPHEN, op. cit., p. 275 s., qui praediorum S. Germani mensuram ad 32.748 ha. computat, et A. HAUCK, *Kirchengeschichte Deutschlands* II, Leipzig 1912, p. 222 ss. Exempla distributionis redituum tum in usum monachorum, tum ad sustentandos et iuvandos pauperes, servos aliosque a monasterio dependentes exhibent v. g. Statuta Adalhardi abb. Corbeiensis a. 822, ed. L. LEVILLAIN in Moyen Age, IV, 1900, p. 351-386. (Conf. infra n. 314).

(1) Conf. supra n. 285.

(2) Conf. H. QUENTIN, *Mémoire sur l'établissement du texte de la Vulgate*, Rome 1922, p. 249 ss.

dentes, et eos verbis et exemplis instruentes, et vos de eorum profectu, et nos de vestro, Domino nostro Iesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut haec capitula, quae ad emendationem vitae breviter digessi, assidue legatis, et memoriae commendetis, et eorum sive sanctarum Scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, et cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna coelestia pergere certetis. ...

*4. Quo apparatu ad synodum venire debeant.* Quando more solito ad synodum convenitis, vestimenta, et libros, et vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium et iniunctum officium peragitis, vobiscum deferte: nec non duos, aut tres clericos, cum quibus missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, ut probetur quam diligenter, quam studiose Dei servitium peragatis.

*19. Ad quas scholas mittere consanguineos suos possint, si velint.* Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad scholam mittere, in ecclesia sanctae Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in caeteris de his coenobiis quae nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.

*20. Ut scholas ipsi habeant, in quibus fidelium parvulos gratis erudiant.* Presbyteri per villas et vicos scholas habeant, et si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere et docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant. ... Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint.

*22. Ut omnes fideles orationem dominicam et symbolum discant.* Commonendi sunt fideles ut generaliter omnes, a minimo usque ad maximum, orationem Dominicam et symbolum discant: ... Constitutum namque est ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis illius suscipiatur, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum et orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum aetas minime perduxit.

*23. Ut omnes bis saltem quotidie, mane et vespere, Deum orent.* Dicendum illis ut singulis diebus qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, mane scilicet et vespere, dicens symbolum, vel orationem Dominicam, vel

« Qui plasmasti me, miserere mei », vel etiam : « Deus propitius esto mihi peccatori », et Deo gratias [agat] pro quotidianae vitae commeatibus, et quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, et a pecudibus segregare. His actis et solo Deo creatore suo adorato, sanctos invocet, ut pro se intercedere ad maiestatem divinam dignentur. Haec faciant quibus basilicae locus prope est, in basilica : qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in silvis aut in agris est, ubicunque eum ipsa hora matutina vel vespertina invenerit, sic faciat, sciens Deum ubique praesentem esse. ...

*24. De observantia dizi dominici.* Diei vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra a mortuis resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet observantia, ut praeter orationes, et missarum solemnia, et ea quae ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam et si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut horum occasione missa et orationes non praetermittantur. Conveniendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad ecclesiam, conveniendum est ad vigilias sive ad matutinum officium. Concurrendum est etiam cum oblationibus ad missarum solemnia. et dum ad ecclesiam convenitur, nulla causa dici debet vel audiri, nulla iurgia sunt habenda : sed tantummodo Deo vacandum est, in celebratione videlicet sacrorum officiorum, et exhibitione eleemosynarum, et in Dei laudibus cum amicis proximis et peregrinis spiritaliter epulandum.

*29. Quonam orandi modo fideles uti debeant.* Admonere debetis fideles, ut assiduitatem et studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, ut primum dicto symbolo, quasi fidei suae recensito fundamento, dicat quisquis est tribus vicibus : « Qui plasmasti me miserere mei », et tribus vicibus : « Deus, propitius esto mihi peccatori », et compleat orationem Dominicam. Si ergo locus aut tempus exegerit, deprecetur sanctos apostolos et martyres, ut pro eo intercedant. Et armata fronte signo crucis, elevatis cum corde et manibus et oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad haec omnia peragenda minus sufficiens fuerit, sufficiat tantum : « Qui plasmasti me, miserere mei »; et, « Deus, propitius esto mihi peccatori », et oratio Dominica tantum cum gemitu et contritione cordis.

*41. Quibus diebus in quadragesima communicare debeant fideles, et de paschalis hebdomadae celebritate.* Singulis

diebus dominicis in quadragesima, praeter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt, et in coena Domini et in parasceve, in vigilia paschae, et in die resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, et ipsi dies paschalis hebdomadae omnes aequali religione colendi sunt. (ML 105, 191 ss.).

301. De libris quos legere solebam et qualiter fabulae poetarum a philosophis mystice pertractentur.

Namque ego suetus eram hos libros legisse frequenter,
Extitit ille mihi nocte dieque labor,
Saepe et Gregorium, Augustinum perlego saepe,
Et dicta Hilarii seu tua, papa Leo.
Hieronymum, Ambrosium, Isidorum, fulvo ore Iohannem,
Inclyte seu martyr te, Cypriane pater.
Sive alios, quorum describere nomina longum est,
Quos bene doctrinae vexit ad alta decus.
Legimus et crebro gentilia scripta sophorum,
Rebus qui in variis eminuere satis.
Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
Quorum sunt subter nomina scripta, vide:
Sedulius rutilus, Paulinus, Arator, Avitus,
Et Fortunatus, tuque, Iuvence tonans;
Diversoque potens prudenter promere plura
Metro, o Prudenti, noster et ipse parens.
Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam,
Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.
In quorum dictis, quamquam sint frivola multa,
Plurima sub falso tegmine vera latent. ...
(MGH PL 1, 543).

## LXXII. S. BENEDICTUS ANIANENSIS

In universali rerum tum ecclesiasticarum tum temporalium instauratione, quam Karoli M. temporibus evenisse ex fontibus apparet, non defuit magnus vitae monasticae reformator, s. Benedictus Anianensis. Eius vitam brevi compendio narrat epistula monachorum Indensium (ML 103, 382-384), Ardoni, eius biographo, missa. Quae Ardonis *Vita* Benedicti (ML 103, 353-384) fons egregius est, ex quo magni instauratoris vitae monasticae opus cognoscimus. Accedunt Benedicti opera: *Codex regularum*, in quo omnes orientis et occidentis saecc. IV-VIII regulas monasticas in

unum corpus collegit, fons pretiosissimus, ex quo solo regulas quasdam novimus (1); *Concordia regularum* (ML 103, 713-1380), in quo, ut in praefatione ait, « placuit omnes ex omnibus in unum coarctari sententias, quae cum patris Benedicti concordare noscuntur regula ». Magis adhuc, quam per opera, Benedictus ad instaurandam regularem observantiam contulit per *leges*, quae ipso auctore, in Synodis et Capitulariis latae sunt. Quarum praecipua est *Capitulare monasticum* (MGH Capitul. I, 343-349), a. 817, quo regulae s. Benedicti strictissima observantia omnibus imperii monasteriis iniungitur.

**302.** *Epistula monachorum Indensium.* Benedictus igitur abbas in provincia Gothiae exortus sub Pippino rege Francorum, et post eius decessum sub Carolo filio eius ab infantiae tempore usque in adolescentiam militavit. Post haec autem relicto palatio in monasterio sancti Sequani (2) in provincia Burgundiorum habitum veri monachi suscepit: ibique duobus ac semis annis consistens, Deo iugiter militavit. Sed quia ibi regularem usum minime reperit, in Gothiae partibus migravit, ibique super fluvium Anianum manu propria cellam primitus, postmodum vero cum ipsis fratribus qui ob amorem Christi sub eius regimine venerant, monasterium ex novo opere construxit (3), in quo non longo post tempore trecentos sub suo regimine monachos habuit. Defunctoque Carolo imperatore Ludovicus filius eius imperium suscipiens, Benedictum venerabilem virum una cum suis quibusdam discipulis in Franciam venire fecit, ac primitus in pago Alsacense monasterium ei Maurum (4) dedit: postmo-

---

(1) Editio in *Codice regularum* edd. HOLSTE-BROCKIE; vol. I et II, Augustae Vindelicorum 1759 (ML 103, 423-702) nimis a Benedicti opere differt, prout in codice Monac. lat. 28.118 auctori coaevo, exstat. Conf. H. PLENCKERS, *Untersuchungen zur Uberlieferungsgeschichte der ältesten Mönchsregeln*, München 1906, p. 5 ss.

(2) Saint Seine-l'Abbaye, prope Dijon.

(3) Conf. Karoli M. diplom. d. d. 12 Iul. 792, quo immunitatem et ius libere eligendi abbatem concedit « monasterio quod ipse (Benedictus) novo opere in re proprietatis... hedificavit in loco nuncupante Aniano in pago Magdalonense » (Maguelonne, MGH Diplom. Karol. I, 231 ss.). Ex Ardonis Vita Benedicti constat, monasterium mox ita ampliatum fuisse, « ut mille et eo amplius homines capere videtur » (*Vita*, cap. 34, ML 103, 369).

(4) Maursmünster (Marmoutier).

dum vero pro eius amore iuxta Aquis palatium super fluvium Indam ex novo opere ei monasterium (1) aedificavit. Hic est Benedictus, per quem Dominus Christus in omni regno Francorum regulam sancti Benedicti restauravit. Hic habuit sub regimine suo monasteria duodecim, id est Anianum, Gellonem, Casam Novam, Insulam Barbaram (2), Menatem, Sanctum Savinum, Sanctum Maximinum, Massiacum, Cormariacum, Cellam Novam in Tolosano, Monasterium Maurum in Alsatz, Indam ex iussu imperatoris ob illius ac discipulorum eius usum aedificatam, et de fiscis regalibus ditatam. In his omnibus ex doctrina sua monachos et rectores misit. Curam autem maximam habuit de omni ordine ecclesiastico, videlicet monachorum, canonicorum (3) atque laicorum, maxime autem monachorum, Imperator autem omne eius consilium libenter audivit et fecit, unde et a quibusdam Monachus vocitatur, videlicet quod monachos sancti viri pro eius amore semper suos proprios appellavit, et post eius decessum hactenus abbatem se monasterii illius palam esse profitetur (4). Sanctus igitur vir usque ad obitum suum in palatio regis pro augmento fidelium, non pro terrenis rebus perseveravit, quia iuxta erat monasterium in quo degebat Ante quartum vero exitus sui diem adhuc sanus omnia imperatori, quae ei solitus erat dicere, replicavit: et in ipsa die febre correptus, ad mansionem suam usque pervenit. Altera vero die audientes hoc omnes magnates imperatoris, ad eum visitandum venerunt. Tanta autem ibi fuit multitudo episcoporum, abbatum ac monachorum, ut nobis qui eum ibi custodiebamus vix ad eum accedere facultas esset. Helisacar autem abbas primus ad eum venit, et cum eo usque ad obitum perseveravit. Quinta siquidem feria aegrotavit, in sexta autem feria nocte misit imperator Tanculfum camerarium iubens ut eum in ipsa nocte ad mona-

---

(1) Kornelimünster.

(2) Conf. supra n. 299.

(3) In concilio Aquisgranensi a. 816 promulgata sunt duo documenta summi momenti: *Institutio canonicorum* (MGH Concil. 2, 308-421) et *Institutio sanctimonialium* (ib. 421-436), quibus vita tum clericorum canonice viventium, modificata et ampliata regula s. Chrodegangi, reformatur, tum sanctimonialibus certa vitae religiosae forma praescribitur.

(4) In quo proposito vix perseverasse videtur, cum mox abusus praedecessorum suorum imitatus, abbatias laicis distribueret.

sterium ferremus: quem levantes ante gallorum cantum una cum Helisacar et suis ac nostris hominibus prima hora diei ad monasterium deduximus. Cumque esset tertia diei hora, omnes a se exire praecepit, et usque ad sextam horam solus permansit. Post haec ingressus supra dictus abbas cum praeposito nostro, percunctati sunt quomodo ageret. Quibus ipse respondit, numquam se tam bene fuisse: adiunxitque: « Usque modo inter choros sanctorum coram Domino astiti ». In crastina autem fratribus ad se vocatis eis monita salutis dedit, et tunc professus est quia XLVIII anni essent ex quo monachus fuerat, in quibus annis nullo die antea panem comedit, donec coram Deo lacrymas funderet. In ipsa die brevem admonitionem imperatori misit, et alias per diversa monasteria direxit. Isdem vero venerabilis vir omne officium suum de quinque annis et duobus mensibus ante obitum suum, sicut in eius tabulis post eius decessum reperimus, et ipse vivens quibusdam dixit, cantatum per semetipsum liquit. Obiit autem septuagenarius III Idus Februarii, anno ab incarnatione Domini octingentesimo vigesimo primo, indictione XIV, concurrente I, epacta XIV anno IX imperii Ludovici piissimi imperatoris. Post tertium vero diem sepulcrum eius aperuimus, et eum in vas lapideum, quod imperator paraverat, mutavimus: discooperientes autem faciem eius, vidimus in fronte et circa oculos ac labia eius tantum ruborem, quantum nec vivus habuerat. His ita exceptis, et ita se habentibus, nos famuli ex monasterio Inda, videlicet Deidonus, Levigildus, Bertadus et Desiderius, tibi Ardoni magistro nostro salutem in Domino optamus, petimusque charitati tuae, ut secundum a Deo datam tibi sapientiam de vita patris nostri Benedicti libellum componas, et eum nobis dirigas. Salutant vos omnes fratres nostri, et vos salutate omnes fratres nostros. Amen. (ML 103, 382 ss.).

## LXXIII. PASCHALIS I PAPA (817-824)

De eius electione et subsequenti pacto cum Ludovico Pio imperatore Annales q. v. Einhardi ad a. 817 (1) haec referunt: « ... post completam solemniter ordinationem suam, et munera et excusatoriam imperatori misit epistolam, ... Missa tamen alia legatione pactum, quod cum prae-

(1) Ed. Kurze, SSUS, p. 145 s.

decessoribus suis factum erat, etiam secum fieri et firmari rogavit. Hanc legationem Theodorus nomenclator et detulit, et ea, quae petierat, impetravit ». Huius pacti inter Paschalem et Ludovicum a. 817 initi textus servatus est in compluribus collectionibus canonum saec. XI, inter quas excellit collectio cardinalis Deusdedit (1). Anno 822 Ebonem Rhemensem archiepiscopum ad evangelizandas gentes « in partibus aquilonis » (Danos et Suecos) misit (MGH EPP 5, 68-70; ML 129, 982-984). Alias quasdam Paschalis I epistulas habes in MGH EPP 5, 68 et 71 (ML 102, 1085 ss. et 129, 977 ss.). Ex eius *Vita* in LP (ed. Duchesne 2, 52-63) notanda translatio multorum corporum Sanctorum, Romanorum pontificum et martyrum, ex dirutis coemeteriis in ecclesiam s. Praxedis ab ipso reaedificatam; catalogum eorum exhibet inscriptio in tabula marmorea in eadem ecclesia existens (ed. Duchesne, ib. 2, p. 64 (2).

**303.** Paschalis Episcopus servus servorum Dei universis sanctissimis fratribus coepiscopis, presbyteris seu ceteris ecclesiasticis ordinibus gloriosissimisque principibus, ducibus sive magnificis comitibus vel cunctis christianis Dei fidelibus. Cum religiosissimum constet curam ac sollicitudinem erga dominicum gregem gerere, quem divina dispensatione suscepimus gubernandum, atque caelestia pabula salubri communicatione subministrandum, maxime his, qui in competis et pagis sub principe tenebrarum callida suasione persistunt, et viam vite ignorantes, devii, non que sursum sunt, sed que deorsum, stulta instigatione perquirunt. Sed quia in partibus aquilonis quasdam gentes consistere, que necdum agnitionem Dei habent, nec sacra unda baptismatis sunt renatae, sub umbra mortis existere, et magis creature, quam creatori ignava mente servire cognovimus, idcirco presentem reverentissimum fratrem ac coepiscopum nostrum Ebonem, sancte Remensis ecclesie archiepiscopum, necessarium cum consensu fidelium Dei duximus illis in partibus pro inluminatione veritatis dirigendum, quatinus auctoritate beatorum principum apostolorum Petri ac Pauli nostra fraterna vice informatus (3) ... ante corpus et confessionem ipsius apostolorum principis evangelizandi publica auctoritate

(1) Conf. Th. v. Sickel, *Das Privilegium Ottos I für die römische Kirche*, Innsbruck 1883, p. 50 ss., et p. 173-177.

(2) Conf. tamen F. Grossi Gondi, *S. Fabiano papa e martire*, 2ª ediz., Roma 1916, p. 11-25.

(3) Desunt in codicibus aliquot verba.

liberam tradidimus in omnibus facultatem, ut verbum vite viamque salutis ubique provideat et fidei normam caelesti educatione confirmet, atque apostolicae institutionis doctrinam, omni diabolico errore depulso viva voce corroboret. Et si fortasse ad hoc divinum pertinens officium aliquid dubium emerserit, ad sanctam Dei catholicam atque apostolicam Romanam aecclesiam recurrendo, semper ex eius hauriet purissimo fonte latices, unde et a cordibus mortalium divina interveniente gratia noxios emundare possit errores. Collegam denique huic divine administrationis legationi ei providentes, Halitgarium religiosum adicientes ministrum, constituimus, quatinus ad sedem apostolicam oportuno valeat tempore de credito negotio facilius prestante Domino intimare et numquam se in qualibet parte huic nostre auctoritatis ministerio commisso neglegere. Cui coram districto iudice inde rationem reddere et de destituto ministerio penas recipere sempiternas non dubium esse prefigimus. ...

(MGH EPP 5, 68 s.).

**304.** *Pactum Ludowici Pii cum Paschali pontifice.* In nomine domini Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Ego Hludowicus, imperator augustus, statuo et concedo per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi apostolorum, et per te vicario tuo domno Paschali summo pontifici et universali papae et successoribus eius in perpetuum, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate et ditione tenuistis et disposuistis [1], civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis atque viculis omnibus et territoriis eius montanis ac maritimis, littoribus ac portubus seu cunctis civitatibus, castellis, oppidis ac viculis in Tusciae partibus, id est Portum, Centumcellas, Chere, Bledam, Manturanum, Sutrium, Nepe, castellum Gallisem, Hortem, Polimartium, Ameriam, Todem, Perusium, cum tribus insulis suis, id est maiorem et minorem, Pulvensim, Narniam, Utriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus. Simili modo in partibus Campaniae Segniam, Anagniam, Ferentinum, Alatrum, Patricum, Frisilunam, cum omnibus finibus Campaniae, necnon et Tiburim

[1] Conf. supra p. 265, 297.

cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus. Necnon et exarchatum Ravennatem sub integritate cum urbibus, civitatibus, oppidis et castellis quae pie recordationis domnus Pipinus rex ac bone memoriae genitor noster Karolus imperator beato Petro apostolo et predecessoribus vestris iamdudum dudum per donationis paginam restituerunt,. hoc est civitatem Ravennam et Emiliam, Bobium, Cesenam, Forumpopuli, Forumlivii, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiaclum et Adrianis quae et Gabelum, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus. Simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemferetri, Urbinum et territorium Valvense, Callem, Luceolis, Egubium cum omnibus finibus ac terris ad easdem civitates pertinentibus. Eodem modo territorium Sabinense, sicut a genitore nostro Karolo imperatore beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, quemadmodum ab Itherio et Magenario abbatibus (1), missis illius, inter idem territorium Sabinense atque Reatinum definitum est. Item in partibus Tusciae Longobardorum castellum Felicitatis, Urbivetum, Balneum regis, Ferenti, castrum Viterbum, Orclas, Martam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas et insulas Corsicam, Sardiniam et Siciliam sub integritate cum omnibus adiacentibus ac territoriis maritimis, litoribus, portubus ad suprascriptas civitates et insulas pertinentibus. Item in partibus Campaniae, Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum et Capuam et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum et Salernitanum et patrimonium Calabriae inferioris et superioris et patrimonium Neapolitanum et ubicumque in partibus regni atque imperii a Deo nobis commissi patrimonia vestra esse noscuntur.

Has omnes suprascriptas provincias, urbes et civitates, oppida atque castella, viculos ac territoria simulque et patrimonia iamdictae ecclesiae tuae, beate Petre apostole, et per te vicario tuo spirituali patri nostro, domno Paschali summo pontifici et universali papae eiusque successoribus usque in finem seculi eo modo confirmamus, ut in suo de-

(1) Conf. supra n. 261.

tineant iure, principatu ac ditione. Simili modo per hoc nostrae confirmationis decretum firmamus donationes, quas pie recordationis domnus Pipinus rex avus noster, et postea domnus et genitor noster Karolus imperator beato apostolo Petro spontanea voluntate contulerunt, necnon et censum et pensionem seu ceteras dationes, quae annuatim in palatium regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Longobardorum, sive de ducatu Spoletino sicut in suprascriptis donationibus continetur, et inter sanctae memoriae Adrianum papam et domnum ac genitorem nostrum Karolum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano et Spoletino, suae auctoritatis preceptum confirmavit, eo scilicet modo, ut annis singulis predictus census ecclesiae beati Petri apostoli persolvatur, salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem subiectione. Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostrae confirmationis decretum roboramus, ut in vestro vestrorumque successorum permaneant iure, principatu atque ditione, ut neque a nobis neque a filiis vel successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte minuatur vestra potestas, aut vobis de suprascriptis omnibus vel successoribus vestris inde aliquid subtrahatur, de suprascriptis videlicet provinciis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis, insulis, territoriis atque patrimoniis, necnon et pensionibus atque censibus, ita ut neque nos ea subtrahamus, neque quibuslibet subtrahere volentibus consentiamus, sed potius omnia que superius leguntur, id est provincias, civitates, urbes, oppida, castella, territoria et patrimonia atque insulas, censusque et pensiones ecclesiae beati Petri apostoli et pontificibus in sacratissima illius sede in perpetuum residentibus, in quantum possumus, nos defendere promittimus ad hoc, ut omnia ea in illius ditione ad utendum fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri; nullamque in eis nobis partem aut potestatem disponendi vel iudicandi subtrahendive aut minorandi vendicamus, nisi quando ab illo qui eo tempore huis sanctae ecclesiae regimen tenuerit rogati fuerimus. Et si quilibet homo de supradictis civitatibus ad vestram ecclesiam pertinentibus ad nos venerit, subtrahere se volens de vestra ditione et potestate, vel aliam quamlibet iniquam machinationem metuens aut culpam commissam fu-

giens, nullo modo eum aliter recipiemus nisi ad iustam pro eo faciendam intercessionem, ita dumtaxat si culpa quam commisit venialis fuerit inventa; sin aliter, comprehensum vestre potestati eum remittamus: exceptis his qui violentiam vel oppressionem potentiorum passi ideo ad nos venerint, ut per nostram intercessionem iustitiam accipere mereantur, quorum altera conditio est et a superioribus est valde disiuncta. Et quando divina vocatione huius sacratissimae sedis pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex regno nostro, aut Francus aut Longobardus aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publice aut private veniendi vel electionem faciendi; nullusque in civitatibus vel territoriis ad ecclesiae beati Petri apostoli potestatem pertinentibus aliquod malum propter hoc facere presumat. Sed liceat Romanis cum omni veneratione et sine qualibet perturbatione honorificam suo pontifici exibere sepulturam, et eum quem divina inspiratione et beati Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque concordia sine aliqua promissione ad pontificatus ordinem elegerint sine qualibet ambiguitate vel contradictione more canonico consecrari. Et dum consecratus fuerit, legati ad nos vel ad successores nostros reges Francorum dirigantur, qui inter nos et illos amicitiam et caritatem ac pacem socient, sicut temporibus pie recordationis domni Karoli attavi nostri, seu domni Pipini avi nostri vel etiam domni Karoli imperatoris genitoris nostri consuetudo erat faciendi. Hoc autem ut ab omnibus fidelibus sanctae Dei Ecclesiae et nostris firmum esse credatur, firmiusque per futuras generationes ac secula ventura custodiatur, propriae manus signaculo, et venerabilem episcoporum atque abbatum vel etiam optimatum nostrorum sub iureiurando, promissionibus et subscriptionibus pactum istud nostrae confirmationis roboravimus et per legatum sanctae Romanae ecclesiae Theodorum nomenculatorem domno Pascali papae direximus.

(*Manus signaculum*). Ego Hludowicus, misericordia Dei imperator, subscripsi. [*Et subscripserunt tres filii eius, et episcopi X et abbates VIII, et comites XV, et bibliothecarius unus et mansionarius et hostiarius unus*].

(MGH Capitul. I, 353 ss.).

# LXXIV. EUGENIUS II PAPA (824-827)

Quae per Ludovici pactum cum Paschali papa constitutae sunt relationes inter imperatorem, pontificem et populum Romanum exactius determinantur in Constitutione Romana a. 824 a Lothario, Ludovici filio, Romae edita (MGH Capitul. I, 323 s.; ML 97, 469). Quaestio de cultu ss. imaginum et synodi Nicaenae approbatione, quam Hadriani I tempore definitam non fuisse ex documentis supra n. 250 indicatis apparet, occasione legationis imperatoris Michaelis I ad Ludovicum et Eugenium papam iterum agitata est. Documenta ad hanc causam spectantia supersunt haec: Michaelis eiusque filii epistula ad Ludovicum ex a. 824 (MGH Concil. 2, 475-480) (1); Synodi Parisiensis a. 825 relatio ad Ludovicum, cui adiuncta est magna testimoniorum pro et contra cultum imaginum collectio (MGH ib. 481-532; ML 98, 1299-1347); Ludovici et Lotharii instructio legalis ad Eugenium papam missis data (MGH ib., 534 s.; ML 98, 1348 ss.); Ludovici et Lotharii epistula ad Eugenium papam (MGH ib 534 s.; ML 98, 1347 s.), cui adiuncta est epitome relationis synodi Parisiensis (MGH ib. 535-551). Causae exitus latet. Anno 826 Eugenius die 14 Nov. apud s. Petrum magnam synodum 62 episcoporum congregavit. Servantur papae admonitio ad episcopos (MGH ib. 553-558; ML 97, 688-691) et Canones 38 (MGH ib. 560-583; ML ib. 691-698) (2).

**305.** *Constitutio Romana.* Constitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione domni apostolici seu nostra fuerint suscepti impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione; quod si quis in quocumque hoc contemptive violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Nam et hoc decernimus, ut domno apostolico in omnibus ipsi iustam observent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iustitiam faciendam. ... Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire, neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per consti-

(1) In ML 104, 1314 s. nonnisi fragmenta epistulae invenies. De Michaelis legatione ad Ludovicum conf. DÖLGER, *Corpus griech. Urkk.* I, 408.

(2) Quae in ML 129, 985-991 edita sunt *privilegia* Eugenii II (nn. I-III) omnia spuria sunt; *Ritum probationis per aquam frigidam*, ib. n. II Eugenio II adscriptum, spurium esse iam ex clausula apparet: « Hoc autem iudicium creavit omnipotens Deus et verum est et per domnum Eugenium apostolicum inventum est ».

tutionem sanctorum patrum eligendi pontificem (1). Quod si quis contra hanc iussionem nostram facere praesumpserit, exilio tradatur. Volumus ut missi constituantur de parte domni apostolici et nostra, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter singuli duces et iudices iustitiam faciant populo et quomodo nostram constitutionem observent. Qui missi, decernimus, ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum aut iudicum fuerint inventi ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat: aut statim per eosdem missos fiant ipsae necessitates emendatae, aut si non, per nostrum missum fiat nobis notum, ut per nostros missos a nobis directos iterum emendentur. Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere, ut tali qua se professi fuerint vivere velle vivant; illisque denuntietur, quod hoc unusquisque sciat, tam duces quam et iudices vel reliquus populus, quod si in offensione sua contra eandem legem fecerint, eidem legi quam profitentur per dispositionem pontificis ac nostram subiacebunt. De rebus ecclesiarum iniuste invasis sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, et de his quae necdum redditae sunt et tamen fuerunt iniuste a potestate pontificum invasae, volumus ut per missos nostros fiat emendatum. ... Placuit nobis, ut cuncti iudices sive hi qui cunctis praeesse debent, per quos iudicaria potestas in hac urbe Roma agi debent, in praesentia nostra veniant, volentes numerum et nomina eorum scire et singulos de ministerio sibi credito admonitionem facere. Novissime admoneatur, ut omnis homo, sicut gratiam Dei et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus oboedientiam atque reverentiam huic pontifici.

*Formula iuramenti*: Promitto ego ille per Deum omnipotentem et per ista sacra quattuor euangelia et per hanc crucem domini nostri Iesu Christi et per corpus beatissimi Petri principis apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris imperatoribus Hludowico et Hlothario diebus vitae meae, iuxta vires et intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi domino apostolico; et quod non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio pontificis nisi canonice et iuste, secundum vires et intel-

(1) Conf. supra n. 247.

lectum meum; et ille qui electus fuerit me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia missi domini imperatoris et populi, cum iuramento, quale dominus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum. (MGH Capitul. 1, 323 s.).

**306.** *Ludovici et Lotharii epistola ad Eugenium.* Sanctissimo ac reverentissimo domno et in Christo patri Eugenio, summo pontifici et universali papae, Hludowicus et Hlutharius divina ordinante providentia imperatores et augusti, spiritales filii vestri, sempiternam in domino nostro Iesu Christo salutem. Quia veraciter nos debitores esse cognovimus, ut his, quibus regimen ecclesiarum et ovium dominicarum cura commissa est, in omnibus causis ad divinum cultum pertinentibus opem atque auxilium pro qualitate virium nostrarum et intellectus nostri capacitate feramus, idcirco praetermittere nequivimus, quin tunc, quando legati Graecorum nobis manifestaverunt, qualem ad vos deberent perferre legationem, summa cura ac sollicitudine tractaremus, quale vobis adiutorium in hoc negotio cum Dei auxilio exhibere potuissemus. Et ob hoc a vestra sanctitate petivimus, ut sacerdotibus nostris liceret de libris sanctorum patrum sententias quaerere atque colligere, quae ad eandem rem, pro qua idem legati vos consulturi erant, veraciter definiendam convenire potuissent. Quas cum illi iuxta concessam a vobis licentiam sollerter inquirerent, et divina opitulante gratia quicquid invenire tam brevi temporis spatio potuerunt collegissent, nobis ea perlegenda direxerunt. Quibus perlectis ea vestrae sanctitati legenda atque examinanda per hos legatos nostros, Hieremiam scilicet et Jonam venerabiles episcopos (1), mittere curavimus, cum quibus, si vestra paternitas dignum duxerit, de eadem legatione, quae in Graeciam a vobis mittenda est, non inutilem, sed potius proficuam conlationem habere potestis, quia et in sacris sunt litteris admodum eruditi et in rationibus disputatoriis non minimum exercitati, quos non ob hoc ad vestrae almitatis praesentiam cum memoratis sententiarum collectionibus misimus, ut hic

(1) Senonensem et Aurelianensem; conf. n. LXXX.

aliquo velut magisterii officio fungerentur, aut huc docendi gratia directi putarentur, quia sicut iam commemorati sumus nos debitores existere, ut huic sacratissimae sedi in quibuscumque negotiis auxilium ferre (1) debeamus. ... Novit quippe sanctitas vestra qualiter populus Graecorum in hac imaginum veneratione divisus sit. Ideo rogamus, ut almitas vestra curam et diligentiam adhibere dignetur, quomodo per vestram saluberrimam doctrinam atque admonitionem magis ad concordiam et unitatem revocetur quam propter hoc ad maiorem discordiam et dissensionem inpellatur. Et ideo cautissime considerare debetis, ut legatio vestra, quam illuc dirigere disponitis, tanta prudentia tantoque moderamine suffulta sit, ut a nemine neque a Graeco neque Romano iuste valeat reprehendi, sed talis sit, qualem semper decet in omnibus causis ab ista sacratissima sede proficisci. Et si vestrae sanctitati placet, ut pro hac ipsa legatione missi nostri simul cum vestris illas in partes dirigantur, et hoc nos tempore congruo scire permittite. ... (MGH Concil. 2, 534).

**307.** *Concilium Romanum.* (826. Novemb. 12).

*Can. 4. De sacerdotibus indoctis.* Quamquam admonita doctorum et statuta patrum sacerdotes indoctos prohibeant consecrari, oportuni temporis moderatione, si episcopus inveniatur indoctus, a metropolitano proprio, et deinceps sacerdotes id est presbyteri, diaconi vel etiam subdiaconi, a suo episcopo, ut doceri possint, admoneantur, et interim subiecti sacerdotes et tales clerici ad tempus celebratione divini mysterii et officiis suspendantur, ut docti valeant ad devitum ministerium advenire. Sin autem non potuerint edoceri, in potestate episcopi sint canonicae iudicandi.

*Can. 19. Ut episcopi universique sacerdotes habeant advocatos.* Quia episcopi universique sacerdotes ad solam laudem Dei bonorumque operum actionem constituuntur, debet

(1) Conf. tamen modum loquendi in instructione iisdem legatis data adhibitum: « ... summopere caveatis, ne nimis ei (papae) resistendo eum in aliquam inrevocabilem pertinaciam incidere conpellatis, sed paulatim verbis eius quasi obsequendo magis quam aperte resistendo ad mensuram, quae in habendis imaginibus retinenda est, eum deducere valeatis... » (MGH Concil. 2, 533).

ergo unusquisque eorum tam pro ecclesiasticis quam etiam propriis suis actionibus, excepto publico videlicet crimine, habere advocatum non malae famae suspectum, sed bonae opinionis et laudabilis artis inventum, ne, dum humana lucra adtendunt, aeterna praemia perdant.

*Can. 21. De monasterio vel oratorio quod a proprio domino soli aedificatum est.* Monasterium vel oratorium canonicae constructum a dominio constructoris invito non auferatur, liceatque illi id presbytero cui voluerit, pro sacro officio illius dioceseos et bonae auctoritatis dimissoriae cum consensu episcopi, ne malus existat, commendare, ita ut ad placita et iustam reverentiam ipsius episcopi obœdienter sacerdos recurrat (1).

*Can. 34. De scolis reparandis pro studio litterarum.* De quibusdam locis ad nos refertur non magistros neque curam inveniri pro studio litterarum. Idcirco in universis episcopiis subiectisque plebibus et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui, studia litterarum liberaliumque artium ac sancta habentes dogmata, assiduae doceant, quia in his maximae divina manifestantur atque declarantur mandata. ...

(MGH Concil. 2, 560 ss.).

## LXXV. CAPITULA DE SCHOLIS INSTITUENDIS

De scholarum institutione in omnibus fere imperii conventibus ecclesiasticis Ludovici Pii (814-840) tempore habitis actum est. Inter leges et statuta hac de re edita praecipua quaedam hoc loco contúlimus.

308. *Capitulare Olonnense ecclesiasticum primum* (2). (825, mense Maio). *Cap. 6.* De doctrina vero, quae ob nimiam incuriam atque ignaviam quorundam praepositorum cunctis in locis est funditus extincta, placuit ut sicut a nobis constitutum est ita ab omnibus observetur. Videlicet ut ab his qui nostra dispositione ad docendos alios per loca denominata sunt constituti maximum detur studium, qualiter sibi commissi scolastici proficiant atque doctrinae in-

(1) Conf. supra n. 92.

(2) Lotharii, Italiae regis.

sistant, sicut praesens exposcit necessitas. Propter oportunitatem tamen omnium apta loca distincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe positorum ac paupertas nulli foret excusatio. Id sunt: primum in Papia conveniant ad Dungalum (1) de Mediolano, de Brixia, de Laude, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Tertona, de Aquis, de Ianua, de Aste, de Cuma; in Eporegia ipse episcopus hoc per se faciat; in Taurinis conveniant de Vintimilio, de Albingano, de Vadis, de Alba; in Cremona discant de Regia, de Placentia, de Parma, de Mutina; in Florentia de Tuscia respiciant; in Firmo de Spoletinis civitatibus conveniant; in Verona de Mantua, de Triento; in Vincentia de Patavis, de Tarvisio, de Feltris, de Ceneda, de Asylo; reliquae civitates Forum Iulii ad scolam conveniant. (MGH Capitul. 1, 327).

**309.** *Concilium Attiniacense* (a. 822). *Can. 3.* Scolas itaque de quibus hactenus minus studiosi fuimus quam debueramus, omnino studiosissime emendare cupimus, qualiter omnis homo sive maioris sive minoris aetatis, qui ad hoc nutritur, ut in aliquo gradu in ecclesia promoveatur, locum denominatum et magistrum congruum habeat. Parentes tamen vel domini singulorum de victu vel substantia corporali, unde subsistant, providere studeant, qualiter ita solatium habeant, ut propter rerum inopiam a doctrinae studio non recedant. Si vero necessitas fuerit propter amplitudinem parrochiae, eo quod in uno loco colligi non possunt, propter amministrationem, quam eis procuratores eorum providere debent, fiat locis duobus aut tribus vel prout necessitas et ratio dictaverit. (MGH Concil. 2, 471).

**310.** *Ludovici admonitio ad omnes regni ordines* (a. c. 825). *Cap. 6.* Scolae sane ad filios et ministros Ec-

(1) Quisnam inter quinque saltem huius nominis Scottos fuerit magister ille Ticinensis, non liquet. Eminent inter istos: s. Dionysii monachus, cuius ad Karolum M. servatae sunt epistulae aliquot (MGH EPP 4, 568-585), alter qui contra Claudium, Taurinensem episcopum iconoclastam scripsit a. 827 *Responsa contra Claudii sententias* (ML 105, 465-530) et tertius, qui Bobbiensi monasterio magnam donavit bibliothecam, cuius catalogum habes in BECKER, *Catalogi bibliothecarum antiqui*, p. 64-73.

clesiae instruendos vel edocendos, sicut nobis praeterito tempore ad Attiniacum promisistis et vobis iniunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem et profectum a vobis ordinari non neglegantur. (MGH Capitul. 1, 304.).

**311.** *Parisiensis Synodus* (a. 829). *Cap. XXX.* Ut ab omnibus episcopis propter honorem et utilitatem ecclesiasticam sollicitior circa habendas scolas cura habeatur. Iamdudum a pio et orthodoxo principe domno Hludowico Deo amabili imperatore iussum et ammonitum est, ut rectores ecclesiarum in ecclesiis sibi commissis strenuos milites Christi, quibus Deus placari posset, praepararent et educarent. ... Sed super hac eiusdem principis ammonitione, immo iussione a nonnullis rectoribus tepide et desidiose hactenus actum est. Unde omnibus nobis visum est, ut abhinc postposita totius torporis neglegentia ab omnibus diligentior in educandis et erudiendis militibus Christi et vigilantior adhibeatur diligentia, et quando ad provintiale episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum, sicut iam in praecedentibus memoratum est, scolasticos suos eidem concilio adesse faciat, ut suum sollers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat. (MGH Concil. 2, 632).

**312.** *Ib. cap. 79.* Similiter etiam obnixe ac suppliciter vestrae celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes saltim in tribus congruentissimis imperii vestri locis scole publice ex vestra auctoritate fiant. ... (ib. 675).

## LXXVI. HAITO, BASILEENSIS EPISCOPUS

Inter Augiae monachos eruditione enituit, monasterii scholam ineunte saec. IX regens. Circa a. 807 Basileensem episcopatum obtinuit, et mox Augiae abbas creatus est. C. a. 816 duos monachos, Tatto et Grimalt, ad s Benedictum Anianensem Indam misit, eius instituta monastica ut addiscerent. Inde exemplar regulae [1] s. Benedicti retulerunt, descriptum

---

[1] Codex iste, hodie S. Galli 914, maximae auctoritatis textum regulae servavit; conf. *S. Benedicti Regula monasteriorum*, ed. B. LINDERBAUER (Florilegium patristicum, fasc. XVII) Bonn 1928, p. 3.

ex codice quem Karolus M. a. 787 ex s. Benedicti autographo Cassinensi (1) describi curaverat. Haito auctor est operis singularis, cui titulum *Visio Wettini* (ML 105, 771-780) inscripsit. Wetti monachus graviter aegrotans angelo comitante infernum, purgatorium, paradisum sibi peragrare visus est, multos ibi videns homines sibi notos vel fama conspicuos (2). Visionem paulo ante mortem fratribus narravit et « omnia per ordinem ab eo excepta cerae impressa sunt ». Insuper ad instituendos sacerdotes suae dioecesis ante a. 824 capitula 25 edidit, magni momenti fontem ex quo curae pastoralis rationem cognoscimus (MGH Capitul. 1, 363-366). Ultimis vitae annis in Augiae monasterio transactis c. a. 836 obiit.

**313.** *Haitonis episcopi capitula ecclesiastica* (807-823). Primo omnium discutienda est sacerdotum fides, qualiter credant et alios credere doceant, ubi et exempla proponenda sunt, quatenus a creatura creator quantulumcumque possit intellegi.

Secundo iubendum, ut oratio dominica in qua omnia necessaria humanae vitae comprehenduntur et symbolum apostolorum in quo fides catholica ex integro comprehenditur ab omnibus discatur, tam latine quam barbarice, ut quod ore profitentur, corde credatur et intellegatur.

Tertio intimandum, ut ad salutationes sacerdotales congrue responsiones discantur, ubi non solum clerici et Deo dicatae sacerdoti responsionem offerant, sed omnis plebs devota consona voce respondere debet.

Quarta, ut fides sancti Athanasii a sacerdotibus discatur, et ex corde omni dominica ad horam primam recitetur.

Quinto, ut sciant quid sit sacramentum baptismatis et confirmationis, et quale sit mysterium corporis et sanguinis Domini, quomodo in eisdem mysteriis visibilis creatura videtur, et tamen invi-

(1) Conf. supra n. 239.

(2) Inter quos et Karolum M. ob luxuriae peccata in purgatorio gravibus tormentis subditum; quod utique congruit cum iis, quae Einhart, Karoli biographus, de eius concubinis refert (*Vita Karoli*, c. 20). Walahfrid Strabus, qui Wettini visionem carmine enarravit, Karoli nomen aperte indicat (MGH PL 2, 318; ML 114, 1075), quod Haito caute dissimulaverat.

sibilis salus ad aeternitatem animae subministratur, quae in sola fide continetur.

Sexto, quae ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est sacramentarium, lectionarius, antifonarius, baptisterium, compotus, canon penitentialis, psalterium, homeliae per circulum anni dominicis diebus et singulis festivitatibus aptae. Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit: quia valde periculose sunt euangelicae minae quibus dicitur: « Si cecus caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt ».

Octavo pronuntiandum est, ut sciant tempora feriandi per annum, id est omnem dominicam a mane usque ad vesperam ob venerationem dominicae resurrectionis. Sabbatum vero operandum a mane usque ad vesperam, ne in iudaismo capiantur. Feriandi vero per annum isti sunt dies, ut supra orsi sumus: natalis Domini, sancti Stephani, sancti Iohannis Euangelistae, Innocentum, octava Domini, Theophania, Purificatio sanctae Mariae, sanctum Paschae ... Rogationes tribus diebus. Ascensio Domini, sabbatum sanctum Pentecosten, sancti Iohannis Baptistae, XII apostolorum, maxime tamen sanctorum Petri et Pauli, qui Europam sua praedicatione inluminaverunt, Assumptio sanctae Mariae, dedicatio sancti archangeli Michahelis, dedicatio cuiuscumque oratorii seu cuiuslibet sancti in cuius honore eadem ecclaesia fundata est, quod vicinis tantum circum commorantibus indicendum est, non generaliter omnibus. Indictum vero ieiunium quando a palatio vel a domo fuerit denuntiatum, ab omnibus generaliter observetur. Relique vero festivitates per annum; sicut sancti Remedii, sancti Mauricii, sancti Martini, non sunt colende ad feriandum, nec tamen prohibendum, si plebes hoc caste et zelo Dei cupiunt exercere.

Vicesimo secundo admonendi sunt, ut sciant populis denuntiare, quae sint opera misericordiae cum fructibus suis quae euangelica et apostolica pagina complectitur. ...

Vigesimo quarto, ut horas canonicas tam nocturnas quam diurnas nullatenus praetermittant; quia sicut Romana psallit ecclesia, ita omnibus eiusdem propositi viam tendentibus faciendum est. Et non solum Novi Testamenti documenta sunt eandem formulam observandi, sed Veteris Testamenti patet ratio, quia propheta Spiritu sancto instinctus profert: « Septies in die laudem dixi tibi », et « Media nocte surgebam ad confitendum tibi ». ...

(MGH Capitul. 1, 363 ss.).

# LXXVII. ADALHARDUS ET WALA ABBATES

Adalhardus et Wala fratres, Ludovici Pii avunculi, Karolo M. imperante inter primarios imperii proceres auctoritate eminebant. Adalhardus, Corbeiae abbas auctor est unius ex pretiosissimis fontibus historiae Karoli M., libelli scil. *De ordine palatii*, cuius proh dolor nonnisi fragmenta supersunt in Hincmari epistulae De ordine palatii capp. 13-36 (FIGA, 1894, p. 13 ss.; ML 125, 989-1008) (1). Ludovico imperatori iam ab initio regni exosi, eius iram ambo experti sunt; Adalhardus abbas depositus et in Nigrum Monasterium (Noirmoutier) relegatus est, Wala comes vitae monasticae Corbeiae deputatur. A. 822 in gratiam Ludovici iterum admittuntur, immo Ludovicus Attiniaci poenitentia publica luit, quae in eos iniuste patraverat (2). Interim Wala Corbeia coloniam monachorum in Saxonum terram deducendam curaverat. A. 822 utroque fratre coadiuvante ortum est ibi monasterium Nova Corbeia (Korvey), de cultura christiana inter Saxones et fide inter gentes septentrionales propaganda optime meritum (3). Inde, Wala auctore, a. 829 s. Anskarus, tunc Novae Corbeiae scholam regens, in Sueciam missus est. Wala, qui a. 826 post fratris obitum Corbeiae abbas praeerat, a. 828 in conventu Aquisgrani habito coram imperatore episcopis et proceribus « depinxit efficaciter universi regni huius vitia ». Contra Ludovicum ad tutandam imperii unitatem Lotharii partes secutus, abbatia privatur et in diversis monasteriis in dura custodia tenetur. A. 833 Lothario contra patrem bellum movente, Wala Gregorio IV papae, qui ad pacem inter patrem filiosque componendam in Franciam venerat, adfuit. A Lothario s. Columbani Bobbiensem abbatiam accepit, ibique fratris Adalhardi, qui Corbeiae *Statuta* (ed. Levillain in Moyen Age, 4, 1900, p. 351 ss.) condiderat, exemplum secutus, monachis similes normas praescripsit, quartum fragmenta *Breve memorationis* servavit (*Codice diplomatico di Bobbio*, I, Roma 1918, p. 139-141, FSI 52). Postquam ultimis vitae annis multum in conciliandis nepotibus adlaboravit, obiit a. 836. Singulares fratrum *Vitas* enarravit Paschasius, Corbeiae monachus, Radbertus dictus, Walae socius et amicus: *Vita Adalhardi* (MGH SS II, 524-532; ML 120, 1507-15556) et *Epitaphium Arsenii* (i. e. Walae) (ABA 1900, 18-98; ML 120, 1559-1650) (4).

---

(1) Conf. infra p. 457.

(2) Conf. MGH Concil. 2, 468 s.

(3) Initia Novae Corbeiae narrantur in *Translatione s. Viti*, cuius reliquiae a. 836 Corbeia in Novam Corbeiam allatae sunt (ed. PH. JAFFÉ in BRG I, p. 1-26; MGH SS II, 576-585).

(4) Conf BHL 58-61 et 8761.

314. Brevis quem Adalhardus senex, ad Corbeiam regressus, anno incarnationis Domini DCCCXXII, mense Ianuario, indictione quinta decima, imperii vero gloriosi Chluduici Augusti VIII, fieri iussit. ... IV. Constituimus ad hospitalem pauperum quotidie dare panes de mixtura factos XLV, librarum trium et dimidiae et de frumento vel spelta panes quinque quales vassalli accipiunt ut fiant simul L. Ipsi vero panes isto modo partiantur, ut XII pauperes qui supra noctem ibi manent, accipiant singuli unusquisque panem suum et in crastino unusquisque dimidium ad viaticum. Hospitalarii autem duo qui ibi deserviunt, de suprascripto numero unusquisque panem unum. Nam panes V frumentarii debent partiri inter peregrinos clericos qui in refectorium ducuntur ad viaticum et infirmos qui ibi sustentantur. Ipsam tamen distributionem panum arbitrio committimus hospitalarii; ea videlicet ratione ut, si venerit maior numerus pauperum aut plus aut minus indigentes sicut inedia defecti aut pueruli parvuli, ipse discernat iuxta quod oportet. Quod si contigerit aliquo tempore minus venire pauperes, ipse hospitalarius et magister eius, senior portarius, in memoriam omnimodis habeant, quanto de suprascripto numero, propter paucitatem venientium, minus dispensatur, ut iterum, cum plures venerint, quod remansit dispensetur. Ceteris vero pauperibus venientibus et eadem die recedentibus solet dari quartarius, vel, sicut diximus, iuxta quod hospitalarius praeviderit, in maiori vel minori numero aut necessitate competire. Conpanaticus autem secundum consuetudinem tribuatur. De potu autem quotidie detur cervisiae modius dimidius id est sextarii VIII, de quibus dividuntur sextarii IIII inter illos XII suprascriptos, ita ut unusquisque accipiat calices II. Ex aliis quoque IIII sextariis, datur clericis quibus pedes lavantur a fratribus, unicuique calix I, et Vuilleranno servitori calix I. Quod residuum fuerit, in arbitrio hospitalarii relinquimus, quomodo illud sive infirmis sive aliis pauperibus dividat. De vino autem erit in arbitrio prioris. Infirmorum autem necessitatem senior portarius debet iuxta possibilitatem providere sive in cibo sive in potu, in his rebus quae hospitalario desunt ad opus infirmorum. Si contigerit venire peregrinos de longinquis provinciis qui suprascriptum numerum excedant, portarius provideat eis quae necessaria sunt, ita ut non minuatur quidquam de his quae quotidianis diebus deputata sunt. Addimus etiam de companatico in cibos pauperum adpensas XXX, quae dantur inter caseum et lardum, et modios XXX de leguminibus, quintam partem de decima quam

accipit portarius a cellerario de anguillis vel caseo recente, qui constitutus est dare de decem berbicariis, necnon et de illo qui de villis dominicis datur in decimam; similiter omnem quintam decimae de pecudibus, id est in vitulis, in berbicibus vel omnibus que dantur de gregibus portario etiam in caballis. Insuper disposuimus dare ipsi supra commemorato hospitalario de omni argento quidquid ad portam venerit quintam partem per manus portarii senioris; de quo argento talem voluimus fieri distributionem, ut non minus quotidie quam IIII denarii dentur, et si minor fuerit numerus de ipsa quinta, quam sufficere possit ad hanc distributionem quotidianam faciendam, abbas, si vult, suppleat aliunde; et, si ultra creverit, non subtrahatur. Ligna autem provideat portarius pauperibus, secundum consuetudinem, vel cetera quae hic scripta non habentur, sicut sunt panni in lectulis vel vasa et cetera quaeque. Haec omnia suprascripta de his quae ad portam veniunt, propter illud supplementum argenti, sicut commemoratum est, dentur. Insuper accipiat hospitalarius a camerario vestimenta vel calciamenta fratrum vetera pauperibus tribuenda secundum consuetudinem. Obsecramus igitur omnes quibus ordinandi fuerit officium in hoc monasterio, vel in largitate ac distributione, Dei pocius attenda[n]t voluntatem quam nostre parcitatis exemplum, quoniam unusquisque est pro se redditurus rationem. ... (Moyen Age, 4, 1900, 354 ss.).

315. *Walae Breve memorationis.* ... (1). Nunc vero de ministeriis, que infra monasterium aguntur, memorandum est. Prepositus primus sit post abbatem in monasterio infra extraque, tamen specialiter hec sint in sua potestate, id est omnis laboratio agrorum et vinearum et edifitiorum, figulorumque, pastorum atque omnium cellarum hac in valle consistentium, preter illas que aliorum fratrum providentia depputantur, seu omnes curtes que ad stipendi[um] pertinent, caballi domiti indomitique, et ipse mansiones in monasterio cui necessarie sunt distribuat. Decanus ubique specialiter curam habeat intra extraque de conversatione fratrum et cottidianus cum fratribus in obedientia sit, et si defuerit abbas seu prepositus, cuncta ad ipsum respiciant. Cu-

(1) Praeit: « de curtibus, quas domnus abba Vuala ad victum vel ad vestimentum ordinavit fratrum », (scil. Bobbiensium).

stos eclesie provideat luminaria et omne ornamentum eiusdem, seu conpetentiam orarum, et ipse recipiat elemosinam, que fratribus advenerit. Bibliothecarius omnium librorum curam habeat, lectionum atque scriptorum. Custos cartarum omnia provideat monasterii monimenta. Cellararius provideat quicquid ad cibum et ad potum pertinet postquam in monasterio adducta fuerint, preter panem et pomam, atque dispenset, et ad ipsius curam pertineat quod in refectorio vel in quoquina agi[tur]. Cellararius familiae provideat potum illorum sub preposito. Iunior Cellararius custodiat refectorium et omnia vasa eius. Custos panis provideat annonam, postquam in monasterio adducta fuerit, panem et pistores. Portarius hospites omnes sucipiat primum et nuntiet, de[ci]mas omnium rerum accipiat, de quibus iuxta constitutum tribuat hospitalario pauperum (1). Hospitalarii religiosorum ipsi recipiant eos qui in refectorio venire debent et ministrent ac ducant, habentes domum super se ubi dormiant. Hospitalarius pauperum recipiat eos et ministret eis et accipiat a portario stipendium eorum. Custos infirmorum prevideat eos [cum] adiutoribus suis. Cantor ordinet quicquid ad cantum pertinet. Camararius primus provideat omnia vestimenta vel pannos ad diversos usus fratrum seu calciamenta pedum ac manuum, et sutores calciamentorum ac vestimentorum seu conpositores pellium, et calderarios provideat, quibus administret opus eorum et curtes ad cammaram deputatas, de quibus hec prefata exigenda sunt, et omnia erea vasa que ad usus fratrum data sunt. Camararius abbatis provideat omnes fabros, scutarios, sellarios, tornatores, pergamentarios, furbitores, et ipse prevideat omnia feramenta. Iunior Prepositus super opera et operarios ceteros, preter eos qui in diversis officinis deputati sunt. Magister carpentarius provideat omnes magistros de ligno et lapide, preter eos qui ad cetera officina deputati sunt, id est qui butes et bariles seu scrinia vel molendina, casas atque muros faciunt. Custos vinearum vineas prevideat. Ortolanus ortos prevideat. Decano iuniores, Circatores, Lucernarios, Custos pomorum. (FSI 52, p. 140 s.).

---

(1) Vide supra n. 314.

# LXXVIII. EINHARTUS.

Perfectissimum aevi Karolini opus historicum est Einharti *Vita Karoli* (ed. O. Holder-Egger in SSUS, ed. 6, 1911; L. Halphen in Les classiques de l'histoire de France, Paris 1923; ML 97, 25-62). In Karoli M. familiaritatem post prima studia in Fuldensis monasterii schola peracta admissus, Einhartus, cui inter aulicos nomen Bezeleel erat, usque ad Ludovici Pii tempora in regia aula vixit, tum Karoli aedilibus operibus exstruendis intentus, tum in regni negotiis magnae auctoritatis consiliarius. Tandem perpetuarum litium, quibus conciliandis multum adlaboravit, pertaesus a. 830 missionem a Ludovico impetravit. Intimam ergo morum et indolis Karoli cognitionem acquirere potuit. Inter annos 820 et 830, ut videtur, *Vitam Karoli* scripsit, in qua quamvis admiratione non iniusta motus, laudatorem magni viri se exhibeat, defectus, morales inprimis, non tacet. Laicus cum esset, nihilominus, more in regno Francorum inolito, pluribus donatus est abbatiis, ita ut S. Bavonis Gandavensis, S. Petri Blandiniensis (Blandigny), S. Servatii Traiectensis, S. Wandregisili (Fontenelle), S. Clodoaldi (St. Cloud) monasteriorum reditus perciperet. A. 815 a Ludovico Pio villam Mulinheim nactus, basilicam in ea exstruxit; cui ut reliquias sanctorum obtineret, notarium suum Radleio Romam misit. Qui a. 827 postquam frustra s. Tiburtii corpus, ex basilica via Lavicana sita, furari conatus est, ex vicina crypta ss. Marcellini et Petri corpora rapuit. Quibus in patriam perlatis et in basilica Mulinheimensi — abhinc Seligenstadt dicta — conditis, Einhartus notarii iter et furtum, reliquiarumque triumphale iter per Germaniam miraculaque in itinere et ad sepulcrum martyrum Seligenstadii patrata in opere *Translatio ss. Marcellini et Petri* (MGH SS 15, 239-264; ML 104, 537-594; conf. BHL n. 5233) descripsit, curioso pietatis et morum aevi illius monumento. Extant insuper 71 Einharti epistulae (MGH EPP 5, 103-145, ML 104, 509-535) eiusque opusculum *De adoranda cruce* (MGH EPP 5, 146-149). Quamnam partem Einhartus habuerit in Annalium, qui eius nomine inscribuntur (ed. K. Kurze in SSUS, 1895) compilatione, quaestio est iter historicos ita disputata, ut desperata magis quam definita dicenda sit (1).

---

(1) Conf. L. Halphen, *Etudes critiques sur l'histoire de Charlemagne*, Paris 1921, p. 3 ss. Conspectum Annalium illius aevi acquirere licebit ex Molinier, *Sources* I, nn. 684-745; M. Jansen et L. Schmitz-Kallenberg, *Historiographie und Quellen der deutschen Geschichte bis 1500*, Leipzig 1914, p. 23 ss.

**316.** *Vita Karoli* Cap. 25. Erat eloquentia copiosus et exuberans poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aeque illa ac patria lingua orare sit solitus, Grecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis adficiebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Brittania Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit, apud quem et rethoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris inpertivit. Discebat artem computandi et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere tabulasque et codicellos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis adsuesceret, sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.
c. 26. Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat inbutus, sanctissime et cum summa pietate coluit, ac propter hoc plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit auroque et argento et luminaribus atque ex aere solido cancellis et ianuis adornavit. Ad cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam et mane et vespere, item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum valitudo permiserat, in pigre frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia quae in ea gerebantur cum qua maxima fierent honestate, aedituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex auro et argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne ianitoribus quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quamquam ipse nec publice legeret nec nisi submissim et in commune cantaret.
c. 27. Circa pauperes sustentandos et gratuitam liberalitatem, quam Greci eleimosinam vocant, devotissimus, ut qui non in patria solum et in suo regno id facere curaverit, verum trans maria in Syriam et Aegyptum atque Africam, Hiero-

solimis, Alexandriae atque Cartagini, ubi Christianos in paupertate vivere conpererat, penuriae illorum conpatiens pecuniam mittere solebat; ob hoc maxime transmarinorum regum amicitias expetens, ut Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret. Colebat prae ceteris sacris et venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati Petri apostoli, in cuius donaria magna vis pecuniae tam in auro quam in argento necnon et gemmis ab illo congesta est. Multa et innumera pontificibus munera missa. Neque ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma sua opera suoque labore vetere polleret auctoritate, et ecclesia sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus prae omnibus ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII annorum, quibus regnaverat, spatium, quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est. c. 28. Ultimi adventus sui non solum hae fuere causae, verum etiam quod Romani Leonem pontificem multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis implorare conpulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiae statum ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit. Quod primo in tantum aversatus est, ut adfirmaret se eo die, quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si pontificis consilium praescire potuisset. ... (SSUS, 1911, p. 30 ss.) [1].

## LXXIX. AGOBARDUS, LUGDUNENSIS EPISCOPUS.

Infelix Ludovici Pii regimen etiam istum eximium episcopum in rerum politicarum turbinem arripuit, ex quo nonnisi post aliquot annorum exilium evasit. Ex Hispania oriundus, a. 792 Lugdunum venit, ubi a. 804 a Leidrado sacerdos ordinatus est. Postquam per aliquod tempus chore-

---

[1] Cap. 33 Einhartus inseruit testamentum Karoli M., ex quo praecipue notandus catalogus XXI sedium metropolitanarum, inter quas thesauros suos dividendos constituit: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Mogontiacus, Iuvavum quae et Salzburc, Treveri, Senones, Vesontio, Lugdunum, Ratumagus, Remi, Arelas, Vienna, Darantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges (ib. p. 38 s.).

piscopi munere functus est, a. 816 Leidrado in Lugdunensi sede successit. Quo zelo officio suo praefuit, apparet ex eius opusculis, quae ad mores illius aevi cognoscendos sunt fontes magni momenti. Contra superstitiones late inter suos coaevos diffusas scripsit complures libellos et quidem: *Librum adversus legem Gundobadi* (ML 104, 113-126) et *Librum de divinis sententiis, digestum contra damnabilem opinionem putantium divini iudicii veritatem igne, vel aquis vel conflictu armorum patefieri* (ib. 249-268), quibus ordalia impugnat; *Librum de grandine et tonitruis* (ib. 147-158), quo superstitionem tempestatum originem hominum maleficio adtribuentium carpit, et *epistulam ad Bartholomaeum Narbonnensem episcopum* (MGH EPP 5, 206-210; ML 104, 179-186) de quibusdam portentis in ecclesia s. Firmini Ucetiae in hominum corporibus apparentibus. Multa scripsit contra Iudaeos, et christianorum cum ipsis commercium (ML 104, 69 ss.). Iura Ecclesiae et cleri defendit in epistula *De privilegio et iure sacerdotii* ad Bernardum Viennensem archiepiscopum (MGH EPP 5, 203-206 [1]; ML 104, 127-148), qua praecipue in proceres sacerdotes domesticos ad indignam servitutem redigentes invehitur; et in epistula *De dispensatione rerum ecclesiasticarum* (MGH EPP 5, 166-179; ML 104, 227-250), qua Ecclesiae ius possidendi defendit. Dogmatica scripta Agobardi sunt eius *Liber adversus Felicis Urgellensis dogma* (ML 104, 29-70); *Liber de imaginibus Sanctorum* (ib. 199-228), quo in quaestione tunc multum inter episcopos Francorum agitata, non solum « adorationem » secundum male interpretata acta synodi Nicaenae II intelligendam, sed etiam quemvis cultum ipsis negandum asserit [2]. Notanda etiam eius epistula ad clericos et monachos ecclesiae suae *De unitate Ecclesiae et ratione regiminis eccelsiastici* (MGH EPP 5, 153-158; ML 104, 189-200). Imperii unitatem sibi defendendam esse putans Agobardus cum Ebone Rhemensi archiepiscopo, aliisque Ludovici regiminis pertaesis, filiorum in patrem bellum moventium partes secutus est, pluresque gravissimas in eum epistulas scripsit, inter quas eminent epistula *De adventu Gregorii Papae in Franciam* (MGH EPP 5, 226-228; ML 104, 291-298) et 2 libelli pro Lothario contra Ludovicum scripti (MGH SS 15, 274-279; ML 104, 307-320). Post magnam Ludovici cladem a. 833 interfuit Compendii poenitentiae publicae et depositioni Ludovici et *chartula* edita ea quae Compendii evenerunt enarravit (MGH Capitul. 2, 56 s.; ML 104, 319-324). Ludovico post biennium restituto, Ebo deponitur, Agobardus in exilium relegatur. Interim Amalarius, iam Treverensis episcopus [3], Lugdunensem

---

(1) Magnam partem epistulae omisit editor.

(2) Conf. supra n. LXV, p. 327.

(3) Eius opera liturgica: De ecclesiasticis officiis, De ordine antiphonarii, Eclogae de officio Missae in ML 105, 985 ss.; Epistulae eius in MGH EPP 5, 240 ss.; ML 105, 1333 ss.

ecclesiam administrandam accepit, cuius liturgiam ad normam antiphonarii quod ex Romano et Mettensi compilaverat, reformare conatus est. In Amalarii doctrinas liturgicas Agobardus acerrime invehitur suis scriptis: *Liber de correctione antiphonarii* (MGH EPP 5, 232-238; ML 104, 329-340) et *Contra libros quattuor Amalarii* (ML 104, 339-350). Ultimis vitae annis in sedem suam restitutus, Agobardus obiit die 6 iunii a. 840.

**317.** *Adversus legem Gundobadi.* ... Quae utilitas est, ut propter l e g e m quam dicunt G u n d o b a d a m, (1) cuius auctor exstitit homo haereticus, et fidei catholicae vehementer inimicus, cuius legis homines sunt perpauci, non possit super illum testificari alter etiam bonus christianus? Ex qua re oritur res valde absurda, ut si aliquis eorum in coetu populi aut etiam in mercato publico commiserit aliquam pravitatem, non coarguatur testibus, sed sinatur periurare, tanquam non fuerint per quos veritas posset agnosci. Hic manifeste apparet damnosam esse damnabilem legem. Si autem placeret domino nostro sapientissimo imperatori, ut eos transferret ad l e g e m F r a n c o r u m (2): et ipsi nobiliores efficerentur, ut haec regio ab squaloribus miseriarum quantulumcunque sublevaretur. Horum enim causa accidit ut frequenter non solum valentes viribus, sed etiam infirmi et senes lacessantur ad certamen et pugnam, etiam pro vilissimis rebus: quibus f e r a l i b u s c e r t a m i n i b u s contingunt h o m i c i d i a i n i u s t a, et crudeles ac perversi eventus iudiciorum, non sine amissione fidei et charitatis, ac pietatis, dum p u t a n t D e u m i l l i a d e s s e, q u i p o t u e r i t f r a t r e m s u u m s u p e r a r e, et in profundum miseriarum deiicere. Hic est pessimus error, et ordo confusus, ut pro talibus perversitatibus et Scriptura veritatis contemnatur, et concordia christiana dispereat, et de Deo, qui natura bonus est, tam indigne sentiatur, ut faveat rapacibus, et adversetur miseris. ... Huc accedit aliud quod pia consideratione dignum videtur, d e c a n o n i b u s s c i l i c e t G a l l i c a n i s, qui quasi superflui aut inutiles a quibusdam respuuntur; eo quod n e o t e r i c i R o m a n i eos non commendaverint, cum an-

(1) Conf. supra p. 60, not. 1 et n. XII.

(2) Conf. tamen Ludovici capitulare a. 816, quo duellum iudiciale cap. 1 praescribitur. Examen quidem crucis capitulari ecclesiastico a. 819 cap. 27 prohibetur, examen aquae frigidae per capitulare missorum a. 829 cap. 12. Conf. supra n. 289, p. 358, not. 3.

tiqui religiose eos venerati sint : quoniam venerandi et sancti viri eos ediderunt, quorum vitam et sanctitatem crebra miracula commendarunt. Nemo unquam fuit qui tanta sanctorum per Gallias episcoporum audire potuerit, quanta per singula loca litteris mandata et relatu posteris relicta reperta sunt. Et revera, si secundum dictum dominicum, ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine eius, ibi est Dominus in medio eorum : quanto magis ubi viginti, aut triginta multo amplius congregati fuerint, non solum in nomine Domini, sed insuper etiam fide praediti, sapientia illustres, vita clari, sanctitate reverendi, signis et prodigiis formidandi? Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium episcopalium conventum sanctiones aequali auctoritate recipiendae credantur, ut Nicaeni, Chalcedonensis, et caeterorum generalium ex totius mundi consensu congregatorum et receptorum. Sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita : et melius sit unicuique eorum sequi auctoritatem, quam proprium sensum; et sine aliquo dolore transiri non possit, cum definitiones multorum et sanctorum atque catholicorum praetermittantur, et unius Gundobadi regis haeretici lex attente, quasi a Deo data, tenetur. ... (ML 104, 117 s.; 123 s.).

**318.** *Liber de grandine et tonitruis.* In his regionibus pene omnes homines, nobiles et ignobiles, urbani et rustici, senes et iuvenes, putant grandines et tonitrua hominum libitu posse fieri. Dicunt enim, mox ut audierint tonitrua, et viderint fulgura, « Aura levatitia est ». Interrogati vero quid sit aura levatitia, alii cum verecundia, parum remordente conscientia. alii autem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur tempestarii, esse levatam. et ideo dici levatitiam auram. Quod utrum verum sit, ut vulgo creditur, ex auctoritate divinarum Scripturarum probetur necesse est. Sin autem falsum est, ut absque ambiguo credimus, summopere exaggerandum est quanti mendacii reus sit qui opus divinum homini tribuit. ... Plerosque autem vidimus et audivimus tanta dementia obrutos, tanta stultitia alienatos, ut credant et dicant quamdam esse regionem, quae dicatur Magonia, ex qua naves veniant in nubibus, in quibus fruges, quae grandinibus decidunt, et tempestatibus

pereunt, vehantur in eamdem regionem, ipsis videlicet nautis aereis dantibus pretia tempestariis, et accipientibus frumenta vel caeteras fruges. Ex his item tam profunda stultitia excaecatis, ut haec posse fieri credant, vidimus plures in quodam conventu hominum exhibere vinctos quatuor homines, tres viros, et unam feminam, quasi qui de ipsis navibus ceciderint : quos scilicet per aliquot dies in vinculis detentos, tandem collecto conventu hominum exhibuerunt, ut dixi, in nostra praesentia, tanquam lapidandos. Sed tamen vincente veritate, post multam ratiocinationem, ipsi qui eos exhibuerant, secundum propheticum illud confusi sunt, sicut confunditur fur quando deprehenditur. ... Ante hos paucos annos disseminata est quaedam stultitia, cum esset mortalitas boum, ut dicerent Grimaldum ducem Beneventorum transmisisse homines cum pulveribus, quos spargerent per campos, et montes, prata, et fontes, eo quod esset inimicus christianissimo imperatori Carolo, et de ipso sparso pulvere mori boves : propter quam causam multos comprehensos audivimus, et vidimus, et aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen proiectos , atque necatos. Et, quod mirum valde est, comprehensi, ipsi adversum se dicebant testimonium, habere se talem pulverem, et spargere. Ita namque diabolus, occulto et iusto Dei iudicio, accepta in illos potestate, tantum eis succedere valebat, ut ipsi sibi essent testes fallaces ad mortem; et neque disciplina, neque tortura, neque ipsa mors deterrebat illos, ut adversum semetipsos falsum dicere non auderent. Hoc ita ab omnibus credebatur, ut pene pauci essent quibus absurdissimum videretur. Nec rationabiliter pensabant unde fieri posset talis pulvis, de quo soli boves morerentur, non caetera animalia : aut quomodo portari posset per tam latissimas regiones, quas superspargere pulveribus homines non possunt, nec si Beneventani viri et feminae, senes et iuvenes, cum ternis carris pulvere carricatis egressi de regione fuissent. Tanta iam stultitia oppressit miserum mundum, ut nunc sic absurde res credantur a christianis, quales nunquam antea ad credendum poterat quisquam suadere paganis creatorem omnium ignorantibus. Hanc itaque rem propterea ad medium deduximus, quia huic unde loquimur similis est, et vel exemplum poterat tribuere de inani seductione et vera sensus diminutione. ... (ML 104, 147 s.; 157 s.).

**319.** *Cartula de poenitentia Ludovici.* In nomine Dei ac domini nostri Iesu Christi. Anno incarnationis eius octingen-

tesimo tricesimo tertio ego Agobardus Lugdunensis ecclesiae indignus episcopus interfui venerabili conventui apud palatium, quod nuncupatur Compendium. Qui utique conventus exstitit ex reverentissimis episcopis et magnificentissimis viris illustribus, collegio quoque abbatum et comitum promiscuaeque aetatis et dignitatis populo, praesidente serenissimo et gloriosissimo Hlothario imperatore, et Christi Domini amatore; quo protegente et adiuvante subter adnexa disposita sunt anno imperii I, mense IV. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut sollicite tractarent de periculo regni in praesenti et statu in futuro, quod regnum, quia iamdiu nutabat et impellebatur ad ruinam per neglegentiam, et. ut verius dicam, per ignaviam domni Hluduvici venerandi quondam imperatoris, in quibus ille inretitus est per corruptas mentes et corrumpentes et secundum apostolicum dictum, quia erant ipsi « errantes, et alios in errorem mittentes ». A quo conventu quicquid utiliter et laudabiliter tractando et conferendo inventum est et necessario statuendum, et iudicantibus consensi et consenciens ipse iudicavi. In primis videlicet, quae ad commoditatem et soliditatem regni et regis pertinere videbantur; deinde quae ad ereptionem et purgationem animae domni Hluduvici, manifestissime noscebantur. Quae in praedicto conventu fideliter quaesita et veraciter inventa et ordinabiliter exsecuta sunt, in eo scilicet, quod praedictus conventus deliberavit, ut per legatos et missos ammoneretur domnus Hluduvicus de suis erratibus et exhortaretur, ut secundum propheticum dictum rediret ad cor et recognosceret acta sua, quae adversus Deum currens per vias pravitatis et iniusticiae exegerat, ac deinceps susciperet consilium vitae et salutis suae : quatenus apud omnipotentem iudicem et Dominum, qui clementissimus indultor est criminum, indulgentiam et remissionem iniquitatum impetrare posset, ut qui per multiplicatas neglegentias regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones regnum coeleste adipisceretur per eum, apud quem est « misericordia et copiosa redemptio ». Propter quod et libellus editus est [1] a viris diligentioribus et ei oblatus de manifestatione criminum suorum, in quo, velut in speculo, perspicue conspiceret feditatem actuum suorum et fieret in illo, quod per poenitentem per-

[1] Conf. MGH Capitul. 2, 51 ss.

fectum dictum est: « Iniquitatem meam ego agnosco, peccatum meum coram me est semper ». Pro qua re accesserunt ad eum denuo omnes, qui in praedicto conventu aderant, episcopi condolentes et conpatientes infirmitatibus et miseriis eius, exhortantes atque exoptantes et postulantes, ut omnipotens Deus manu pietatis suae educeret eum « de lacu miseriae et de luto ceni ». Quod clementissimus dominus non solum non abstulit, sed nec distulit. Sed mox resuscitata in mente eius contritione humiliati cordis prostratus coram eis non semel vel iterum, sed tertio aut amplius crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum praecatur, consilium recipit, penitentiam postulat, iniunctam sibi humilitatem libentissime impleturum promittit. Innotescitur ei lex et ordo publicae penitenciae, quam non rennuit, sed ad omnia annuit; ac demum pervenit in ecclesiam coram cetu fidelium ante altare et sepulcra sanctorum et prostratus super cilicium bis terque quaterque confessus in omnibus clara voce cum habundanti effusione lacrimarum, deposita arma manu propria et ad crepidinem altaris proiecta, suscepit mente compuncta penitentiam publicam per manuum episcopalium impositionem cum psalmis et orationibus. Sicque deposito habitu pristino assumpto habitu penitentis congratulans et confidens postulat piissimi pastoris humeris reduci se ad inventae et redemptae ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus episcopus interfui et melioribus consonans et consentiens iudicavi, et manu propria signans subscripsi. (MGH Capitul. 2, 56 s.).

## LXXX. IONAS, AURELIANENSIS EPISCOPUS.

Ionas, ex Aquitania oriundus, Theodulfo in Aurelianensi sede a. 816/17 successit. Sicut Theodulfi capitula (1) episcopi de cleri sui institutione curam manifestant, ita Ionae libri tres *De institutione laicali* (ML 106, 121-278) et liber *De institutione regia* (ib. 279-306) fons eximius sunt, ex quo rationem cognoscimus, qua episcopus laicos ad perfectionem christianam inducebat. Ex primis *Institutionis regiae* capitulis (cap. 7: Quod regnum non ab hominibus, sed a Deo in cuius manu omnia regna consistunt, detur; cap. 8: Quod potestati regali, quae nonnisi a Deo ordinata est, humiliter atque fideliter cuncti parere debeant) ideas cognosci-

(1) Conf. supra n. 300.

mus quas episcopi illius aevi de potestatis regiae origine habuerunt; postquam de perfectione regis statui propria egit, praecepta omnibus christianis communia etiam regi observanda indicat, orationem praecipue et communionem frequentem commendans (1). Liber scriptus est ad Pippinum, Ludovici filium, Aquitaniae regem. Maioris adhuc momenti ut fons historiae curae animarum est liber *De institutione laicali*, ad Mathfredum Aurelianensem comitem scriptus. In primo libro de sacramentis baptismi, confirmationis, poenitentiae agit; 2. liber partim operis pretiosissimam continet, instructionem scil. de matrimonio christiano, eius usu, peccatis in eo vitandis; 3. liber de virtutibus et vitiis agit. Etiam Ionas ad quaestionem de cultu imaginum explicandam contulit per opus *De cultu imaginum* ll. 3 (ML 106, 305-388) contra Claudium Taurinensem episcopum (2), maximum cultus imaginum adversarium, et eius Apologeticum adversus Theudemirum abbatem editum (3). Obiit Ionas c. a. 843.

**320.** *De inst. laic.*, lib. 1, c. 10. Quia peccati vulnus poenitentiae remedio sanari valeat, ea quae in praecedenti capitulo collecta sunt, testantur; modus vero eiusdem poenitentiae, tempusque poenitendi in arbitrio sacerdotum, (4) quibus ligandi atque solvendi potestas est

(1) Conf. similia opera de institutione regia hoc aevo conscripta: Smaragdi, abbatis monasterii s. Michaelis (S. Mihiel) admonitio (ed. E. Dümmler in NA XIII, 191-196) c. a. 817 ad unum ex Ludovici Pii filios scripta et Sedulii Scotti liber De rectoribus christianis, c. a. 858 editus (ed. S. Hellmann, *Sedulius Scottus*, München 1906, p. 19-91; ML 103, 291-332); praesertim vero actorum Synodi Parisiensis a. 829 librum II (MGH Concil. 2, 649 ss.) in quo eadem fere ac in Ionae Institutione regia Ludovico et Lothario ab episcopis inculcantur.

(2) De eo conf. M. Menéndez y Pelayo, *História de los heterodoxos españoles*, III, 2 ed., Madrid 1917, p. 46 ss. et MGH EPP 4, 586 ss.

(3) Conf. etiam Dungali Scotti, Responsa adversus Claudium Taurinensem in ML 105, 459-530.

(4) Ad modum tempusque poenitentiae determinandum sacerdotibus adiumento erant *Libri poenitentiales;* quorum tamen in. saec. IX tanta existebat in imperio Francorum multitudo et diversitas, ut concilium Cabillonense a. 813 c. 38, libellos poenitentiales « quorum sunt certi errores, incerti auctores » penitus eliminandos statuerit (MGH Concil. 2, p. 281). Idem statuit gravioribus adhuc verbis Concilium Parisiense a. 829 c. 32 et 34 (MGH ib. p. 633, 635). Anno tandem 830 Halitgar Cameracensis episcopus Paenitentiale suum edidit 5 libr's, quibus ad instar l. 6i Ordinem paenitentiae addidit, quem « de scrinio Romanae ecclesiae » se assumpsisse asserit (ML 105, 651-710).

a Christo collata, est constitutus. Unde scribit beatus Augustinus in libro Enchiridii : « Certa, inquit constituuntur ab his qui praesunt in ecclesiis tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata : extra eam quippe non remittuntur. Ipsa namque Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata; ita ut quibus remittuntur, vitam consequantur aeternam ». Perrari namque sunt hodie in Ecclesia, qui talem agant poenitentiam, qualem antiquorum Patrum poenitentium exempla, et auctoritas canonica sancit. Quis namque criminis reus, qui utique poenitentia publica debuit mulctari, cingulum militiae deponit, et a liminibus ecclesiae coetuque fidelium arcetur, et a Christi corpore separatur? Quis porro in cinere, et cilicio, more poenitentium antiquorum lamenta poenitudinis suscipit? Isidorus quoque in libro Sententiarum : « Bene, inquit, in cilicio et cinere poenitens deplorat peccatum, quoniam in cilicio asperitas et compunctio peccatorum; in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco in utroque poenitentiam agimus, ut et in punitione cilicii agnoscamus vitia quae per culpam commisimus, et per favillam cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando pervenimus ». Unde colligitur quia religionis nostrae priscis temporibus, dum quis secundum constitutum sibi a sacerdote usque ad satisfactionem cilicio indutus, et cinere conspersus, habitu incultus, humique prostratus, lacrymisque profusus videbatur, statim poenitens agnoscebatur, ut ei a Domino ignosceretur, ab omnibus deprecabatur. Nunc autem in coetu christiano idcirco vix poenitens agnoscitur, quia pene nihil horum erga poenitentes agitur. Quapropter credibile est, ut sicut alia multa in religione christiana viluerunt, ita quoque praemissus poenitentiae modus, ab usu, quod formidolosum est, recesserit. Et idcirco a multis diversa flagitia perpetrantur audacter. ... (ML 106, 138).

**321.** *De inst. laic.*, lib. I, cc. 15, 16. Fideles idcirco peccata sua sacerdotibus confitentur, quoniam illis potestas est a Domino collata ligandi atque solvendi. Ad quorum etiam iudicium poenitentiae tempora subeunt. Quod vero poenitentia prolixitate temporis non sit pensanda, sed contritione cordis, poenitentia David et caeterorum sanctorum poenitentium in promptu est. Quanquam autem peccata sua quispiam sacerdoti confiteatur, et ad eius consilium tempora poenitentiae peragat, in oratione tamen Deo, quem sibi

peccando iratum fecit, peccata sua confiteri, et ab eo contrito corde et lacrymosis suspiriis veniam sibi deposcere debet. ... Moris est Ecclesiae de gravioribus peccatis sacerdotibus, per quos homines Deo reconciliantur, confessionem facere; de quotidianis vero et levibus quibusque perrari sunt qui invicem confessionem faciant, exceptis monachis, qui id quotidie faciunt. ... [1] (ML 106, 151 s.).

322. *De inst. laic.*, lib. 2, c. 18. Sacrosanctum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, ubi et redemptio totius salutis, et mysterium fidei nostrae consistit, quidam reverenter et salubriter, quidam indiscrete et indigne percipiunt. Sunt etiam nonnulli, qui tanti sacramenti participatione ob reatuum suorum obligationem, sacerdotis iudicio, merito privantur. Sunt item plerique, quod valde periculosum et congrua emendatione dignum est, qui ab hoc sacramento partim incuria, partim desidia adeo se subtrahunt, ut vix in anno, nisi sub tribus tantum festis praeclaris ex consuetudine potius quam ex devotione faciant; nescientes aut scire nolentes, quod sicut corpus sine cibo et potu, ita et anima sine spiritali cibo moritur. ... Cum igitur conventus Christianorum ad ecclesiam ideo praecipue institutus sit, ut inter hymnorum et laudum solemnia participatio corporis et sanguinis Domini celebretur, satis mirari non potest unde usus valde reprehensibilis irrepserit, ut quidam tanto sacramento se privari non pertimescant; et si contigerit ut aliquo interveniente peccato ab eo separentur, nec dolore, nec contritione cordis conterantur. Porro idem reprehensibilis usus in tantum inolitus est, ut quasi pro lege haberi et tanto sacramento non participantibus quamdam impunitatem promittere videatur. Proinde necesse est, ut unusquisque fidelis sibi hinc inde pericula imminere cognoscat; scilicet quia nisi manducaverit et biberit, vitam in se non habebit: si indigne manducat et bibit, iudicium sibi manducat et bibit. Praeparet ergo se, ut mundo pectore et corpore redemptionis suae munus et frequenter et discrete accipere valeat; ut Christum in praesenti secum habere et ab eo in futuro ad vitam resuscitari mereatur. [2] (ML 106, 201 s., 203 s.).

[1] Conf. A. TEETAERT, *La confession aux laïques dans l'Eglise latine depuis le VIII^e jusqu'au XIV^e siècle*. Paris 1926, p. 29 ss.

[2] Hoc loco saltem meminisse iuvabit alterius manualis perfectionis christianae, a Dhuoda, uxore Bernardi comitis Septimaniae, pro Wil-

# LXXXI. WALAHFRID STRABO

Inter fontes historiae ecclesiasticae aevo Carolino editos praecipue notandum est singulare tentamen Walahfridi (cognomento Strabi vel Strabonis), Augiensis abbatis, qui primus manum admovit ad scribendam historiam institutionum ecclesiasticarum. Operi titulum praefixit: *De exordiis et incrementis quarundam in observationibus ecclesiasticis rerum* (MGH Capitul. 2, 473-516; Veröffentlichungen aus dem kirchenhistorischen Seminar München, I, 1, 1899; ML 114, 919-966). Agit de ecclesiis earumque ornamentis, de oratione, missae sacrificio, vasis et vestibus sacris, sacramentis et sacramentalibus. Auctor c. a. 808 in Alamannia natus, puer Augiensi monasterio oblatus est; a Tattone et Wettino magistris in litteris excultus, octodecim annos natus *visionem* illam *Wettini* a Haitone descriptam (1), carmine narravit (MGH PL 2, 267-275; ML 114, 1063-1082). Ab a. 829, postquam Fuldae Hrabani celeberrimi magistri scholam absolvit, in aula Ludovici Pii vixit, cuius filium Karolum litteris instituit. A. 838 a Ludovico Augiae abbas creatur; post Ludovici mortem Lotharii partes secutus in bello, quod inter fratres reges exortum est, Augia exturbatur, quo nonnisi a. 842 redire ei licuit. Maximam famam obtinuit per *Glossam ordinariam* (ML 113), (2), qua omnes S. Scripturae libros brevibus expositionibus ex Patrum operibus excerptis instruxit. Scripsit insuper *Vitas ss. Galli* et *Othmari* abbatum monasterii ss. Galli (MGH SS RR Merov. 4, 280-337 et ib. SS 2, 40-47). Carmina eius quamplura habes in MGH PL 2, 259-417 (conf. ML 114, 1063 ss.).

**323.** *De exordiis,* c. 8. *De imaginibus et picturis.* ... Huius rei questio apud Grecos saepe tantas contentiones excitavit, ut sub Gregorio papa iuniore Constantinus imperator apud Constantinopolim omnes imagines deposuerit et sub Gregorio tertio Romae synodus sit facta contra supradictam, ut dixerunt, heresim, in qua firmatum est, ut sanctorum imagines secundum priscum catholicae Ecclesiae usum restituerentur. Ipsa denique querela Grecorum temporibus bonae memoriae Ludowici imperatoris in Frantiam perlata eiusdem principis

---

lelmo filio a. 843 scripti. Apud ML 106, 109-118 nonnisi fragmenta huius pretiosissimi operis habentur; integra editio cura E. BONDURAND, *Le manuel de Dhuoda,* Paris 1887.

(1) Conf. supra n. LXXVI.

(2) Conf. I. DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique du XII^e siècle,* Paris 1914, p. 346 s.

providentia scriptis synodalibus est confutata (1). Quam etiam Claudius quidam Taurinensis episcopus, (2) sed in veritatis itinere nominis sui similitudine nutabundus, inter ceteras vanitatum suarum ineptias cupiens renovare, antequam diversorum contra eum scribentium iaculis perfoderetur, suo iudicio damnatus interiit; et fortasse, qui imperatoris fidelium veluti in nummo contempsit imaginem, ante tribunal ipsius protervitatis suae pariter et inquietudinis poenas exsolvit. ... Ergo cum christianus populus tanta sit in divinis rebus docilitate in interiora sapientiae spiritalis inductus cellaria, ut, non dicam picturas et imagines, sed ne ipsos quidem sanctos homines, vivos vel mortuos, divinis credat colendos honoribus vel adorandos, rogamus enim sanctos, non ut ipsi praestent per se, quae saluti nostrae necessaria sunt, sed ut ab auctore bonorum, a quo est « omnè datum optimum et omne donum perfectum », utpote illi proximiores meritis et ideo certius audiendi impetrent, quae saluti petentium oportuna non nesciunt. Deum autem oramus, ut sua bonitate gratuita meritis et intercessionibus sanctorum, quae nobis iudicat commoda, largiatur; et huic quidem ut Deo, domino, iudici, creatori, omnipotenti et salvatori supplicamus, illos vero ut Dei amicos, Domini famulos, patronos vere honoratos et pleniter salvatos in adiutorium vocamus, tales esse preces fidelium, qui publicas Ecclesiae orationes considerare norunt dubitare non poterunt — cum itaque talis sit christiani perfectio sensus, non sunt omnimodis honesti et moderati imaginum honores abiciendi. Si enim ideo, quia novimus non adorandas nec colendas iconas, conculcandae sunt et delendae picturae quasi non necessariae vel nocivae, ergo et, quia credimus, quod creator omnium, qui ubique est et caelum ac terram implet, « non habitet in manufactis », destruenda sunt templa, ne videamur parietibus et tectis inclusum credere creatorem. ... Sic itaque imagines et picturae habendae sunt et amandae, ut nec dispectu utilitas adnulletur — et haec inreverentia in ipsorum, quorum similitudines sunt, redundet iniuriam — nec cultu immoderato fidei sanitas vulneretur, et corporalibus rebus honor nimie impensus arguat nos minus spiritalia contemplari. (MGH Capitul. 2, 482 ss.).

(1) Conf. supra n. LXXXIV.

(2) Conf. supra n. LXXX, p. 412, not. 2.

**324.** *De exordiis*, c. 32. *Comparatio ecclesiasticorum ordinum et saecularium.* ... Sicut augusti Romanorum totius orbis monarchiam tenuisse feruntur, ita summus pontifex in sede Romana vicem beati Petri gerens totius Ecclesiae apice sublimatur; de quo Sardicensi concilio statuitur cunctorum statuta ad eum referri debere idque observandum, quod ipse statuerit. Sicut vero summus saeculi principatus non tantum apud Romanos, verum etiam apud aliarum partium gentes interdum fuit, ita et aliae ecclesiae dignitati sedis Romanae consotiantur, id est Antiochensis in Asia, Alexandrina in Africa. In concilio enim Niceno harum trium privilegium ecclesiarum caeteris omnibus anteferendum ostenditur. Sed potest trium locorum eminentia ad unam dignitatem referri, quia in duobus horum ipse Petrus sedit, tertium nihilominus, id est Alexandriam, per Marcum filium suum et evangelium, quod ex ore eius ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem. Similiter intellegendum de principatibus saeculi, quod, quamvis in diversis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad ius Romanum quasi unum apicem postremo omnes paene relati sunt. Comparetur ergo papa Romanus augustis et caesaribus, patriarchae vero patriciis, qui primi post caesares in imperiis fuisse videntur, ita et isti, qui satis pauci sunt, primi post trium sedium praesules habentur. Deinde archiepiscopos, qui ipsis metropolitanis praeminent, regibus conferamus; metropolitanos autem ducibus comparemus, quia sicut duces singularum sunt provintiarum, ita et illi in singulis provintiis singuli ponuntur; unde in Calcedonensi concilio iubetur: « Ne una provintia in duos metropolitanos dividatur ». Quod comites vel praefecti in saeculo, hoc episcopi ceteri in Ecclesia explent. Ferunt enim in Orientis partibus per singulas urbes et praefecturas singulas esse episcoporum gubernationes. Sicut tribuni militibus praeerant, ita abbates monachis, athletis spiritalibus, praeesse noscuntur. Quemadmodum sunt in palatiis praetores vel comites palatii, qui saecularium causas ventilant, ita sunt et illi, quos summos cappellanos Franci appellant, clericorum causis praelati. Cappellani minores ita sunt sicut hi, quos vassos dominicos Gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus cappellani a cappa beati Martini, quam reges Francorum ob adiutorium victoriae in proeliis solebant secum habere, quam

ferentes et custodientes cum ceteris sanctorum reliquiis clerici cappellani coeperunt vocari (1). Porro sicut comites quidam missos suos praeponunt popularibus, qui minores causas determinent, ipsis maiora reservent, ita quidem episcopi chorepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus quae iniunguntur efficiunt. Centenarii qui et centuriones vel vicarii, qui per pagos statuti sunt, presbyteris plebium, qui baptismales ecclesias tenent et minoribus presbyteris praesunt, conferri queunt. Decuriones vel decani, qui sub ipsis vicariis quaedam minora exercent, minoribus presbyteris titulorum possunt comparari. Sub ipsis ministris centenariorum sunt adhuc minores. ... Ad horum, id est minorum, similitudinem sunt diaconi et subdiaconi, presbyterorum adiutores in verbo, baptismo et cottidiano officio. Sunt etiam archipresbyteri in episcopiis canonicorum curam gerentes. Habent et potentes saeculi consiliarios in domesticis et liberorum paedagogos suorum, habent ipsi procuratores rei familiaris; similiter in quibusdam ecclesiis archidiaconos familiae respicit gubernatio. Sunt in saecularibus quaestionarii, id est qui reos examinant, sunt in Ecclesia exorcistae, daemonum exclusores; habent aulae potentium ianitores, habet et domus Dei ostiarios; habet mundus veredarios, commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores, habet Ecclesia acolitos, lectores, cantores atque psalmistas. ...

(MGH Capitul. 2, 515 s.).

## LXXXII. S. LEO IV PAPA. (847-855).

Medias inter belli Saracenici (2) perturbationes electus, multum ad liberandam et tuendam urbem ab infensissimorum hostium invasionibus adlaboravit. Instauravit ornamenta basilicarum ss. Petri et Pauli, quas Saraceni mense Augusto a. 846 vastaverant; civitatem Leoninam muro

(1) De regia capella et capellanis aulicis conf. W. LÜDERS, *Capella. Die Hofkapelle der Karolinger bis zur Mitte des IX Jahrhunderts*, in Archiv für Urkundenforschung II, 1909, p. 1-100.

(2) De Saracenorum in Siciliam aliasque Italiae insulas incursionibus scribit iam aa. 812/813 Leo III ad Karolum M. (Conf. MGH EPP 5, p 96). Inter a. 827 et 878 totam Siciliam expugnant; plures Italiae inferioris urbes occupant, continuisque incursionibus terra marique Italiam vastant. Conf. L. M. HARTMANN, *Geschichte Italiens im Mittelalter* III, 1, p. 161 ss.

munivit (1). Opus a. 848 inceptum, a. 852 perfectum est; auctor *Vitae Leonis* (LP., ed. Duchesne, 2, p. 124) servavit 3 orationes a Leone in sollemni novae civitatis Leonianae dedicatione recitatas. A. 850 Ludovicum Lotharii filium, quem iam a. 844 Sergius II Langobardorum regem coronavit, imperatorem unxit. Magni momenti, pro historia praesertim iuris ecclesiastici, sunt fragmenta *Registri* Leonis, quae Collectio Britannica servavit (MGH EPP 5, 585-612; NA 5, 376-392). Inter quas, praeter epistulam ad episcopos Britanniae, maxime nota digna est epistula ad Honoratum abbatem, pro historia cantus Gregoriani documentum eximium.

325. Leo episcopis Britanniae. ... 3. Item nullam dampnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per XII episcopos, aut certe probata sententia per LXXII idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra IIII evangelia Christi sacramenta prestent, quod nichil falsi depromant, sicut nobis beatus Silvester tradidit (2), et Romana sancta tenere videtur aecclesia. Et si inter eos, quos dampnandos esse dixerint homines, fuerit episcopus, qui suam causam in presentia Romane sedis episcopi petierit audiri, nullus super illum finitivam presumat dare sententiam, sed omnino eum audiri decernimus. ...

10. Item. Eas possessiones, vel praedia, quae iusto titulo ad sacrosanctas pertinere videntur aecclesias vel sub aecclesiastico iure tenentur, indignum est, ut a quibuscumque laicis alienentur.

11. Item. Ecclesias, qui plures retinet, una quidem titulata, alie vero sub commendacione tenende sunt.

14. Item. De libellis et commentariis aliorum non conve-

---

(1) « Mandamus, ut murus firmissimus circa aecclesiam b. Petri construatur » (Lotharii capitulare a. 846, cap. 7. MGH Capitul. 2, p. 66).

(2) Conf. apocryphum *Constitutum Silvestri* (ed. COUSTANT, *Epistolae Rom. Pont.*, Paris. 1721, Appendix, p. 43 ss., can. 6, ib. p. 47). Inde concludendum est, Leonem non iam puram Dionysio-Hadrianam collectionem, sed Hadrianam, quam MAASSEN, *Geschichte der Quellen des kanon. Rechts*, p. 454 ss. auctam vocavit, adhibuisse. Constitutum illud Silvestri inter « Spuria Symmachiana » occurrit, de quibus vide supra n. XI.

nit aliquos iudicare et sanctorum canonum iudicia relinquere, vel decretalium regulas, id est, qui habentur aput nos simul cum illis in canone, et quibus in omnibus ecclesiasticis utimur iudiciis, id est apostolorum, Nicenorum, Ancyranorum, Neocesariensium, Gangrensium, Antiocensium, Laodicensium, Calcedonensium, Sardicensium, Carthaginiensium, Affricanensium, et cum illis regule Romanorum pontificum Silvestri, Siricii, Inocentii, Zosimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Simachi, Simplicii, Ormisde et Gregorii iunioris. Isti omnino sunt, et per quos iudicant episcopi et per quos episcopi et clerici simul iudicantur. Nam si tale emerserit vel contigerit inusitatum negotium, quod minime possit per istos finiri, tunc si illorum, quorum meministis dicta, Hieronimi, Augustini, Isidori vel ceterorum similiter sanctorum doctorum similium reperta fuerint, magnanimiter sunt retinenda ac promulganda vel ad apostolicam sedem referatur de talibus. Quam ob causam luculentius et magna voce pronunciare non paveo, quia illa que diximus sanctorum patrum statuta, que apud nos canones pretitulantur, sive sit ille episcopus sive clericus vel laicus non indifferenter receperit, ipse convincitur nec catholicam et apostolicam fidem, nec sancta vera Christi evangelia quatuor utiliter et efficaciter ad effectum suum retinere vel credere. (MGH EPP 5, 593 ss.).

**326.** Leo iudici Sardiniae. Celsitudinem vestram duximus obsecrandam ut nobis, quantos tua previderit magnificentia Sardos sive pueros, sive adultos ac iuvenes cum armis suis mandare dignemini, qui nobis in cotidiano obsequio iussa explere possint. ... Item. (M)issi vestri consuluerunt auctoritatem nostram, quid de presbiteris et ceteris gradus alterius clericis, qui ab episcopo inordinate sunt promoti, fieri debeat: utrum debeant omnino sacerdotalibus fungi officiis an non. Super quo respondemus, quoniam a beatissimo predecessore nostro Anastasio papa sententia probata est super his, quos Achatius ordinavit, quod qui in sacris studiose quesierit canonibus et decretalibus pontificum, evidenter inveniet. Huius apostolica sedes [1] prolationem et nos ipsi suscipimus, veneramur atque confirmamus, eodem ipso

[1] Sic. ed.; leg. *apostolicae sedis.*

Anastasio papa dicente : Mali bona ministrando sibi tantum non aliis nocent, et rursum : Sive a fure sive ab adultero aliquis aurum vel margaritas accipiat, tamen ad percipientem munus pervenit illibatum (1). Ille tantum qui accipit, de propriis videat conscientiis et existat securus. (MGH EPP 5, 596).

327. (Lotha)rio augusto. I. (D)e capitulis vel preceptis imperialibus vestris vestrorumque (2) etiam pontificum predecessorum inrefragabiliter custodiendis et conservandis, quanto valuimus et valemus Christo propicio et nunc et in evum conservaturos omnibusque modis profitemur, et si fortasse quilibet vobis aliter dixerit vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.

(MGH EPP 5, 601 s.).

328. Honorato abbati. (R)es una valde incredibilis auribus nostris insonuit, que si veritati coniungitur, magis ius nostre gravitati detrahit, quam perornat, magis tenebrat quam splendescit, id est cum dulcedinem Gregoriani carminis, cum sua, quam in Ecclesia tradicione canendi legendique ordinavit et tradidit, intantum perosam habeatis, ut in omnibus in huiusmodi ratione non tantum ab hac proxima sede, sed et ab omni pene occidentali aecclesia, et prorsus ab omnibus, qui Latinis vocibus laudem aeterno regi conferunt et sonos canoros persolvunt, dissentiatis. Que cuncte aecclesie cum tanta aviditate et amore arduo predictam tradicionem Gregorii susceperunt ut, cum ex integro recepissent, tantum eis idem est placabilis, ut adhuc magis de ipsa apud nos non desinant querere, existimantes amplius de illis apud nos remansisse. Qui plane sanctissimus papa Gregorius adeo Dei cultor et inclitus predicator et sapiens pastor fuit et copiosos ad humanam salutem edidit, et sonum iam dictum, quem in ecclesia vel ubique canimus, musicis artibus opera plurima ad excitandos vel commovendos intentius humanos fecerit animos, ita, ut non tantum ecclesiasticos, sed etiam rudes et duros animos artificiose modulationis sonitu ad aecclesias convocaret. Item.

---

(1) Conf. Anastasii II epistulam ad Anastasium imperatorem a. 496 scriptam, ed. THIEL, p. 621 et 622.

(2) Sic, ed.; leg. *nostrorumque*.

Deposco, ne ab hac, summo religionis capite, ecclesia, a qua nullus exorbitare vult, vel a tantis prefatis ecclesiis dissentire paciamini, si ex toto pacem et concordiam universalis Ecclesie habere diligitis. Nam si, quod non credimus, in tantum doctrinam nostram et tradicionem nostri sancti presulis exorrescitis, ut non per cuncta in cantilenis et lectionibus ritum nostrum sequamini, scitote, quod vos a nostra communione repellemus; quoniam convenit vos ea sequi salubriter, que Romana ecclesia, mater omnium et magistra vestra, non spernit, sed appetit atque insolubiliter tenet. Idcirco sub excommunicationis interpositione precipimus ut nequaquam aliter, quam et sanctus papa Gregorius tradidit et nos tenemus, in modulatione et lectione in ecclesiis peragatis, totisque viribus perpetim excolatis et decantetis. Nam, si quod minime credimus, in alteram vos tradicionem preter hanc, quam vobis presentibus vel futuris peragendam duximus reducere vel declinare quocumque modo conatus quis fuerit, non solum a sacro corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi (alienum) eum fore precipimus, verum in perpetuo anathemate mansurum ob sue presumptionis audatiam nostra immo et omnium antecessorum nostrorum auctoritate sancimus. (MGH EPP 5, 603 s.).

329. (Ignat)io patriarche (Constan)tinopolitano. (V)idimus animi puritate, et sola benivolentia pallium superhumerale a vestra dilectione directum, quod a nobis suscipi non potuit, quia non est mos istius ecclesie cum magistra et caput omnium videatur aecclesiarum existere, aliunde pallium erogatum accipere, sed per totam Europam, ad quos delaegatum est tradere. Hoc ne dure accipiatis precamur, quia hac ratione illum suscipere nequivimus, sed vobis remandare previdimus. (MGH EPP 5, 607).

## LXXXIII. HRABANUS MAURUS.

Maximus est inter Alcuini discipulos et inter Germaniae magistros ecclesiasticos saec. IX eruditissimus. Moguntia oriundus, in Fuldensis monasterii schola et in Alcuini schola Turonensi educatus est. Anno 801 diaconus, a. 814 sacerdos ordinatus, eodem fere tempore in Fuldensi monasterio magistri officium suscepit, quod per multos annos retinuit, etiam

postquam a. 822 Eigil [1] abbati successit in regendo monasterio. A. 842 litium inter Ludovici Pii filios pertaesus, abbatiae renuntiavit, a. tamen 847 a Ludovico Germaniae rege Moguntinus archiepiscopus creatus est. Obiit a. 856. Hrabani meritum in eo est, quod culturam, quam ab Alcuino Turonis accepit, magister scholae Fuldensis in Germaniae regionibus divulgavit. Fuldensis schola ipso rectore [2] maxime floruit, Fuldensis bibliotheca inter celeberrimas imperii numerabatur. Mirum ergo non est, scriptores posteriores Hrabanum nomine « praeceptoris Germaniae » honorasse. Inter eius opera eminent: *Commentarii* in omnes fere s. Scripturae libros (ML 107-112), ad Bedae et Alcuini normam ex Patrum operibus compilati; *ll. 3 de institutione clericorum* (ed. A. KNOEPFLER, Veröffentlichungen a. d. kirchenhist. Seminar München, 5, 1905; ML 107, 203-420), compendium earum rerum, quas clericis scitu necessarias existimabat, a. 819 scriptum. Quod opus, quamvis ex integro ex antiquorum auctorum christianorum, Augustini, Cassiodori, Bedae, Gregorii, Isidori aliorumque [3] scriptis compilatum sit, magni tamen faciendum est, quia ostendit, quidnam tantae auctoritatis magister de clericorum eruditione tum theologica, tum litteraria iudicaverit. Ex s. Isidori Etymologiis [4] compilavit magnam encyclopaediam: *De rerum naturis ll. 22*, (ML 111, 9-614). Inter Hrabani opera scholastica notandus etiam eius *Liber de computo* (ML 107, 669-728) compendium chronologiae ecclesiasticae ex Bedae operibus compilatum et per interrogationes et responsiones dispositum. Maioris momenti ut fontes historiae ecclesiasticae sunt eius epistulae et tractatus (MGH EPP 5, 379-533; ML 112, 1507-1576). Inter istos notandi: tractatus *De puerorum oblatione* (ML 107, 419-440); *Libellus paenitentialis* a. 842 ad Otgarium Moguntinum archiepiscopum missus (ML 112, 1397-1424; conf. MGH EPP 5, 462-465), tractatus *De chorepiscopis* (MGH EPP 5, 431-439; ML 110, 1195-1206). *Homiliarum* Hrabani duae servatae sunt collectiones (ML 110, 9-134; et 135-468), ut exempla sermonum illius aevi notandae, maxime cum perpauci super-

---

(1) Conf. eius *Vitam* a Candido prosa et metro enarratam: MGH SS 15, 222-233 et PL 2, 96-117 (ML 105, 383-418).

(2) Inter Hrabani discipulos praeter Walahfridum (supra n. LXXXI) eminet Lupus, aa. 841-862 abbas Ferrariensis, auctorum classicorum sollertissimus indagator. Conf. eius epistulas in MGH EPP 6, 7-117 (ML 119, 431-610), ubi inter alias notanda epistula 103 (a. 855/8), qua a Benedicto papa III Ciceronis, Quintiliani, Donati opera commodanda petit.

(3) Conf. in ALOYSII KNOEPFLER editione apparatum criticum et indicem auctorum p. 287 ss.

(4) Conf. supra n. XXXII.

sint sermones saec. IX[1] (1). Eius curae pastoralis testimonia praebent *canones* duorum conciliorum provincialium Moguntiae aa. 847 et 852 celebratorum (MGH Capitul. 2, 173-191). Eius *carmina* ed. E. DUEMMLER in MGH PL 2, 154-244. Hrabani vita coaeva nulla existit; quae praeclare in abbatiae Fuldensis regimine gessit, narrantur ab eius discipulo Rudolfo in opere *Miracula sanctorum in Fuldensem ecclesiam translatorum* (MGH SS 15, 329-341; ML 107, 41-68).

**330.** *Epist. 42.* Reverentissimo atque probatissimo viro Heberardo comiti (2) Hrabanus vilissimus servorum in Christo salutem. ... De cetero quoque, quia divulgatum in istis partibus constat quendam sciolum nomine Gotescalcum (3), apud vos manere, qui dogmatizet, quod predestinatio Dei omnem hominem ita constringat, ut etiam, si quis velit salvus fieri, et pro hoc fide recta atque bonis operibus certet, ut ad vitam aeternam per Dei gratiam veniat, frustra et incassum laboret, si non est predestinatus ad vitam, quasi Deus predestinatione sua cogat hominem interire, qui auctor est salutis nostre, non perditionis. Et iam hinc multos in desperationem suimet hec secta perduxit, ita ut dicant: Quid mihi necesse est pro salute mea et vita aeterna laborare? quia si bonum fecero, et predestinatus ad vitam non sum, nihil mihi prodest; si autem malum egero, nihil mihi obest, quia predestinatio Dei me facit ad vitam aeternam pervenire. Hec traditio multis in istis partibus scandalum est, et predicatoribus evangelii homines inobedientes facit, quia iam desperantes de semetipsis eos reddidit. Dicitur enim ipse doctor vester multa testimonia excerpsisse de opusculis beatissimi et doctissimi patris Augustini, quibus nititur suam sectam affirmare, cum memoratus pater et doctor ca-

---

(1) Conf. Homilias in ML 118, 1-816 inter Haimonis Halberstadiensis episcopi opera editas.

(2) Foroiuliensi, Ludovici Pii genero.

(3) Iam Fuldensem monachum. Contra eius « saecularisationem » a. 829 a synodo Moguntina pronuntiatam, Hrabanus suum libellum « De oblatione puerorum » scripsit, quo obtinuit, ut in Orbacense monasterium (Orbais) transferretur. Ibi suas theorias de praedestinatione elaboravit. A. c. 838 iter Romam suscepit; inde rediens in Italia septentrionali suam doctrinam diffundebat. Hrabanus duas contra eum epistulas scripsit, unam ad Veronensem episcopum, alteram ad Eberhardum comitem.

tholicus, contra Pelagianos scribens, qui gratiae Dei contrarii predicatores fuerunt, defensor eiusdem gratiae, non destructor rectae fidei fuerit. ... [1] (MGH EPP 5, 481 s.).

331. *Ep. 44.* Reverentissimo et desideratissimo fratri, et merito rectae fidei ac sanae professionis ab omnibus catholicis rite venerando, Hincmaro pontifici [2], Rhabanus servorum Dei servus in Domino aeternam optat salutem. ... Haec ergo de prescientia Dei et predestinatione, et quod ipse Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis vult pervenire, apostolicarum sententiarum sensum iuxta precedentium patrum expositionem, prout potui, et assidua infirmitas me sinebat, iuxta petitionem vestram breviter ac strictim hic collegi: sciens, quod vos plura inde colligere potestis, sicut eruditio vestra et valitudo, meam inperitiam et infirmitatem per omnia excellens, vos agere permittit. Ego autem, quantum presumo, vos ammoneo, ut has contentiones noxias in populo christiano fieri prohibeatis, et ipsum Gotescalcum, huius erroris auctorem, nec scribendo, nec loquendo ultra tam multis nocere permittatis. Miror enim prudentiam vestram, quod istum noxium virum, hoc est Gotescalcum, qui in omnibus vituperabilis inventus est, qui nec monachi votum, nec sacri ordinis ritum, sed neque predicandi officium legitime observavit scribere aliquid permisistis, in quo officio magis nocere potuit quam viva voce loquendo. Unde etiam in plurimis locis, ut audivi, sui veneni poculo non paucos inebriavit, et in erroris insaniam vertit. Quod nequaquam ita fieri oportet. Maxime cum apostolus doceat hereticum hominem post primam et secundam increpationem devitari, sicut in epistola quam ad Titum discipulum suum misit scriptum continetur. « Hereticum, inquit, hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quod subversus est eiusmodi, et deliquit proprio iudicio condempnatus »... Hoc au-

---

(1) Scripta c. a. 846.

(2) Hincmari custodiae Gotescalcus post damnationem suae doctrinae per synodum Moguntinam a. 848 deputatus est. A. 849 a synodo Carisiaci celebrata iterum condemnatur, (DENZINGER, n. 316-319) castigatur et in Altivillarense monasterium (Hautvillers) in custodiam relegatur. Inde magna controversia de predestinatione orta est, de qua vide infr. n. LXXXVIII

tem quod idem erroneus, quasi ad Deum loquens, petit examen ignis, ut per illud veritas eius fidei, immo perfidiae, comprobetur, magis mihi videtur ex elatione cordis prolatum esse quam ex constantia fidei. Optat enim, post blasphemiam, quam inpudenti ore protulit, ut coram undique collecta populorum multitudine, praesente etiam regni principe, simul cum pontificum et sacerdotum, monachorumque sive canonicorum agmine ad probandam suam sectam liceat sibi, quatuor doliis uno post unum positis, atque singillatim repletis aqua ferventi, oleo pingui, et pice, et ultime accenso igne copiosissimo, ad probandam traditionem suam transire, ut sic probetur eius professionis veritas: quod neminem preter eum ita optasse legi. Nam tres pueri, de quibus in Daniele scriptum est, hoc est Sidrac, Misac, et Abdenago, non simili pertinatia examen ignis petierunt, sed magis Dei iuditio omnia servantes responderunt regi Babilonis, qui eos statuam auream quam fecit adorare compulit et dixerunt: « Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis liberare. Quod si noluerit, notum tibi sit, rex, quia deos tuos non colimus, et statuam auream quam erexisti non adoramus ». Sic enim illi ex fidei firmitate et professionis humilitate de igne liberari meruerunt, pertinatia autem istius quem finem habeat, ignotum adhuc constat. Faciat Dominus de hoc quod bonum sit in oculis eius, et liberet nos ab omni malo, atque defendat ab omni errore, detque nobis sua gratia per fidem rectam et bona opera aeternam beatitudinem in conspectu eius promereri, et vita perfrui sempiterna. ... (1). (MGH EPP 5, 496 s., 498 s.).

**332.** *Epist. 49.* In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei eterni Hlotharius, divina ordinante providentia imperator augustus, Rhabano, venerabili archiepiscopo ortodoxoque magistro, salutem. Cum solito quadragesimali more divinarum lectionum studiis artius niteremur insistere, ob internam scilicet aedificationem animi plenius capessendam, non minus inheserunt desiderio nostro lectiones continuis feriis missarum sollemniis ad recitandum adhibite, iuxta congruentiam temporum a sanctis patribus ex evangelicis diversarumque historiarum sanctarum coadunatae ordinataeque sententiis, qua-

(1) Scripta a. 850.

rum expositiones, dum in priscorum modernorumque patrum collectariis summa indagine percontari libuisset, refectionis nobis tempore recitandas, ut inter deciduas epulas interior homo noster spiritalis alimoniae non fraudaretur inmarcescibilibus dapibus, nonnullas earum minus reperimus, praesertim cum memorati sancti patres illarum tantum expositiones ex magnorum inlustriumque virorum tractatibus collegerint, quae diebus dominicis vel praecipuis tantum festivitatibus catholico in unum populo confluente leguntur, praetermissis feriis, ieiuniis, rogationibus, tribulationibus hostium, famis inopiaeque penuriis, imbrium inundationibus nimiis, telluris squaloribus, frugum sterelitatibus, sanctorum crebris festivitatibus, mortuorum commemorationibus, sacris ordinibus, quattuor etiam temporum ieiuniis, Pasche et Pentecostes duodecim lectionibus et ceteris, que sanctitas vestra diligentius perpendens facile valet animadvertere, propter prolixitatem operis atque improbitatem laboris, quorum ambrosio liquore funditus nos tunc caruisse doluimus. Siquidem bene novit vestra paternitas omnem nos commentariorum copiam, in quibus iuxta gestarum rerum ordinem et expositionem prefate continentur lectiones, in cunctis expedicionibus non posse semper gerere et habere, cum sola historiarum bibliotheca difficile possit etiam haberi plerumque. Interea inmensas omnipotenti Deo laudes gratiasque rependimus, qui inter cetera largitionis dona non dispari nos quoque quam predecessores nostros doctrinae suae iubare inradiare dignatus est. Nam si illis Hieronimum, Augustinum, Gregorium Ambrosiumque et ceteros quam plurimos prebuit, et nobis idem opifex eiusdem meriti et scientiae contulit Rhabanum Maurum. Ergo age, pater sancte praestantissimaeque magister, postulantis precibus aurem benignus accommoda et votis indefessus exsecutor faveto, sucipe laboris ergastulum, ut per te desiderii nostri nancisci valeamus effectum. Igitur obnixis precibus almitatem tuam deposcimus, ut nobis in uno volumine omnium memoratarum lectionum expositiones colligens digeras, ita ut precedentibus semper epistolis vel lectionibus, que earum loco congruis temporibus ex quacumque historia recitantur, semper evangelia subsequantur iuxta ordinem huic epistole subnexum. Quod si minus quid ibi inveneritis, vos, quaesumus, sollicita cura uberius adhibeatis iunctis omeliis vel sermonibus diversorum temporum et ieiuniorum seu festivitatum a sanctis patribus in ecclesia ad populum ha-

bitis, ut nulla omnino in toto lectionario possit repperiri lectio, cuius in memorato codice a vobis colligendo plena non inveniatur expositio et omeliaticus sermo. His etiam quaesumus, addite benedictiones, quibus benedixit Iacob vel predixit ventura queque filiis suis; sed et benedictiones, quibus Moyses homo Dei filiis Israhel extremo vitae suae tempore benedixit; sermonem etiam in omnium sanctorum festivitate legendum, inventionem sancte crucis et exaltationem. ... [1] (MGH EPP 5, 503 s.).

## LXXXIV. S. EULOGIUS CORDUBENSIS.

Gothorum christianorum sub Saracenorum iugo in Hispania viventium [2] persecutionem et martyrum gesta heroica narrat testis coaevus, Eulogius presbyter, qui a. 859, postquam in Toletanum episcopum electus est, et ipse martyr occubuit. Cordubae natus et educatus, post iter a. 848 per diversa Pampilunensis regionis monasteria peractum, Cordubenses christianos in persecutione ab Abd-ar-Rahman II a. 851 excitata et sub Mohammed I perdurante, verbis et scriptis confortavit, ad martyrium excitavit, martyres adversus detractores defendit. Accusabantur enim, etiam a christianis, quod se ipsos sponte martyrio obtulerunt, in moscheis contra Mohamed et eius sectam publice disputantes. S. Eulogii opera ad historiam martyrum persecutionis arabicae spectantia sunt: *Memorialis sanctorum ll. 3* (ML 115, 735-818); *Documentum martyriale*, i. e. exhortatio ad Floram et Mariam virgines in carcere detentas (ML ib. 821-834); *Passio martyrum Florae et Mariae* (ib. 835-842); *Liber apologeticus Martyrum* (ib. 851-870). Ut fontes historiae magni faciendae sunt eius *epistulae*, illa praesertim, quam a. 851 ad Wiliesindum Pampilonensem episcopum scripsit (ML ib. 841-852). S. Eulogii *Vitam* et martyrium narravit Paulus Alvarus [3], eius amicus et in Cordubensi s. Zoili schola olim condiscipulus (FLOREZ, España sagrada, 10, 543-560; ML 115, 704-720) [4]

333. Reverentissimo et sanctissimo Dei ministro domino et patri meo Wiliesindo, Pampilonensis sedis episcopo, Eulo-

---

[1] Scripta a. c. 854.

[2] De eorum conditionibus vide F. SIMONET, *História de los mozárabes en España*, Madrid 1903.

[3] Inter eius opera nota *Indiculum luminosum* (FLOREZ, *España sagrada*, 11, 219-275; ML 121, 513-556) apologiam contra Mohametis sectam.

[4] Conf. I. PÉREZ DE URBEL O. S. B., *S. Eulogio de Córdoba*, Madrid 1928. Desideratur recens s. Eulogii operum editio, post Ambrosium Morales (Compluti 1574!) nemo ea retractavit.

gius presbyter salutem. Olim, beatissime papa, cum dira saeculi fortuna, quae fratres meos Alvarum et Isidorum a genitali solo abducens, pene in ulteriores Togatae Galliae partes apud Hludovicum regem Baioariae exsulare fecit, cum me etiam propter eos diversas adire regiones et ignota atque laboriosa itinera subire compelleret, quoniam stipata praedonibus via, et funeroso quondam Wilihelmi tota Gothia perturbata erat incursu : qui adversum Carolum (1) regem Francorum eo tempore, auxilio fretus Habdarraghmanis regis Arabum, tyrannidem agens, invia et inadibilia cuncta reddiderat, ad partes Pampilonenses diversus putaveram me inde cito migraturum. Sed ipsa iterum, quae Pampilonem et Seburicos limitat Gallia Comata, in excidium praedicti Caroli contumaciores cervices factionibus comitis Sancii Sancionis erigens, contra ius praefati principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum commeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et vere summi magistri typum gerens, et in veritate eius praeceptis obediens non distulisti hospitio recreare, quem tibi vera caritas Iesu Christi commendaverat. ... Et maxime libuit adire beati Zachariae ascysterium, quod situm ad radices montium Pyrenaeorum in praefatae Galliae portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim et Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur; quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinae studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater, iuvas anhelantem et salutari consultu instruis abeuntem, ploque fratrum comitatu foves pergentem. Prius autem quam ad eumdem locum accederem, plures apud Legerense monasterium (2) commorans dies, praecipuos in Dei timore viros ibidem manere cognovi. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem divino munere ad illud quod saepius desiderabam perveni coenobium. Praeerat quippe ei tunc Odoarius abbas, summae sanctitatis magnaeque scientiae vir, qui ultra quam referri potest, nos digne susci-

---

(1) Carolus Calvus, Ludovici Pii filius, qui iam in divisione imperii a. 839 Wormatiae facta « Aquitaneam et Wasconiam cum marchis ad se pertinentibus, Septimianam cum marchis suis » (MGH Capitul. 2, p. 58) acceperat.

(2) Leire; conf. P. KEHR, *Papsturkunden in Spanien*, 2, Berlin 1928, p. 33 ss.

piens, omnem erga nos humanitatem exhibuit. In illo etenim beatae congregationis collegio, quod pene centenarium numerum excedebat, veluti sidera coeli, alii quidem sic, caeteri vero sic, diversis meritorum virtutibus emicabant. (1) ... Et quia intercedente terrarum prolixa capedine, multis ab invicem disparamur spatiis, obstante quoque alio chaos immane, quo ego Cordubae positus sub impio Arabum gemam imperio, vos autem Pampilona locati, Christicolae principis tueri meremini dominio, qui semper inter se utrique gravi conflictu certantes, liberum commeantibus transitum negant; inde est, vel quod non debitum vestrae bonitati dependimus famulatum, vel quod non pio desiderio vestro satisfecimus in transmissione reliquiarum, seu quia non quibuscunque tales tantasque opes committere duximus ratum. Nunc autem, quia Deo dispensante, dominus Galindo Enniconis ad propria remeans, suos revisere fines exoptat, per ipsum vobis praefati martyris reliquias (2) destinavimus. ... Denique beatissime Pater, nolumus vos ignorare tribulationem nostram, quam his diebus nostro praepediente deliquio sustinemus, ut solito nos propensius orationum clypeo defendentes, vestrae intercessionis irrepudiabili merito, quod multum apud Dominum valere confidimus, e profundo taediorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno praesenti, qui est aera octingentesima octuagesima nona (3) exardescens saevus adversus Dei Ecclesiam furor tyrannicus omnia subvertit, cuncta vastavit, universa dispersit, retrudens carcere episcopos, presbyteros, abbates, levitas et omnem clerum, et quoscunque illa tempestate capere potuit, ferro devinctos, quasi mortuos saeculi subterraneis specubus immersit. Inter quos ego ille peccator amabilis vester devinctus sum, et una pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduavit Ecclesiam sacro ministerio, privavit oraculo, alienavit officio, et non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare Dominum nostrum; sed in anima contrita et in spiritu humilitatis reddimus Christo

(1) Paulus Alvarus in s. Eulogii Vita c. 3, enumerat codices, quos Eulogius ex S. Zachariae monasterio Cordobam detulit, opera scilicet Virgilii, Horatii, Iuvenalis, Aldhelmi , s. Augustini de Civitate Dei et alia.

(2) S. Zoili Cordubensis.

(3) Annus Christi 851.

vota laudationis, ita ut a conventu desinente psalmodiae cantu, resonent penetralia carceris murmure sancto hymnorum. Quae omnia prudenti relatione domnus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim moerore depressi, partim fastidium impolitae orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctavimus, ne in modum commentarii brevitas transiret epistolaris. Propter futurarum autem generationum saecula illustranda, et ut expertes nostrarum tribulationum et aerumnarum non fierent, saltim vel pauca e plurimis perstringamus. Quidam enim presbyterorum, diaconorum, monachorum, virginum, et laicorum repentino zelo divinitatis armati, in forum descendentes, hostem fidei repulerunt, detestantes atque maledicentes nefandum et scelerosum ipsorum vatem Mahomat; et hoc modo contra eum animosum spiritum erigentes, testimonium protulerunt: « Virum hunc, quem vos summa veneratione excolitis, et cuius sectam praestigiosam, instinctu daemoniorum elicitam tanto honore suscipitis, magum, adulterum, et mendacem esse cognovimus, eiusque credulos aeternae perditionis laqueis mancipandos confitemur. Quare ergo vos, cum sitis homines prudentissimi, talibus sacrilegiis communicatis, et non potius evangelicam veritatem intenditis? ». Haec et his similia, prout Spiritus dabat eloqui eis, in conspectu regum et principum confitentes, omnes gladio vindice interempti sunt. Quorum decisa corpora stipibus suspendentes post aliquot dies igne cremarunt, eorumque cineres fluvialibus aquis perdendos merserunt, pleraque vero inhumata praeforibus palatii relinquentes, volucribus canibusque devoranda exposuerunt, adhibitis custodiis militum ne quis Christianorum, intuitu humanitatis, carnibus nudata cadavera sepeliret, sicut scriptum est: « Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae; effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret ». Quorum nomina diesque allisionum in fine epistolae digeremus. Huius rei causa nos devincti manemus, propter hoc compediti existimus: nostro deputantes instinctui, nostraeque informationi ascribentes quidquid illi divinitus illustrati egerunt. Unde, quaesumus ut suffragia orationum vestrarum in defensionem nostram adhibeatis, nostrumque carcerem omnibus monasteriis vestris innotescere faciatis,

et ut proni pia exoratione invigilent iubeatis : ita post peractum luctamen mundi de aeterno praemio exsultetis. Sane salutationum officia, quae dudum, alias proferendo, omisimus, nunc cernua mente persolvimus vosque feliciori serie temporum vigere exposcimus. Petentes ut, salva honoris vestri reverentia, non dedignemini nobis salutare amabiles et charissimos patres nostros, id est Fortunium Legerensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Athilium Cellensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Odoarium Serasiensis monasterii abbatem, cum toto agmine suo, Scemenum Igalensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo, Dadilanem Hurdaspalensis monasterii abbatem, cum omni collegio suo. Salutamus etiam caeteros patres, quos in peregrinatione nostra tutores et consolatores habuimus, omnemque scholam dominicam in osculo sancto.

In nomine Domini, regnante in perpetuum Domino Iesu Christo, anno Incarnationis eius octingentesimo quinquagesimo , aera octingentesima octuagesima octava, decimo quarto Kalendas Maias, Perfectus presbyter occubuit. Sequenti vero anno, qui nunc est, aera octingentesima octuagesima nona, tertio Nonas Iunias, Isaac monachus decidit, post quem Sancio laycus de oppido Albensi, Nonas Iunias, in hac ipsa aera, martyriali obitu triumphavit. Deinde Petrus presbyter, Walabonsus diaconus, Sabinianus, Wistremundus, Habentius, et Ieremias monachi, uno die unaque hora, septimo Idus Iunias, in aera supradicta interempti sunt.

Sisenandus vero diaconus decimo septimo Kalendas Augustas eadem aera prostratus est.

Paulus diaconus decimo tertio Kalendas Augustas, aera qua supra, allisus est. Theodemirus monachus, octavo Kalendas Augustas, eadem aera, occisus est.

Isti sunt qui tradiderunt corpora sua in morte propter testimonium veritatis, ut in aeternum viverent. Siquidem et duas virgines Christi Floram et Mariam, nobiscum ob eamdem professionem nunc in ergastulum detruserunt, et quotidie de interitu comminantur. Data decimo septimo Kalendas Decembris per Galindum Ennigonis virum illustrem, aera octingentesima octuagesima nona (1).

(ML 115, 845 ss.).

(1) 15 Nov. a. 851.

# LXXXV. S. NICOLAUS I. PAPA (858-867).

Post s. Gregorium M. primus Papa est, cuius epistolarum maior numerus servatus est: recentissimus editor (E. Perels, 1925) 150 fere epistolas authenticas collegit (MGH EPP 6, 257-668) (1). Ipsas Nicolao mandante et inspirante ab Anastasio Bibliothecario (2) dictatas fuisse constat. Epistularum Nicolai maior pars tres magni momenti causas, tempore pontificatus sui agitatas, respicit: 1) Adulterium Lotharii II, qui Theutberga legitima uxore repudiata, a. 862 Waldradam duxerat; Nicolaus imperterrite legitimi matrimonii indissolubilitatem defendit (epp. 1-53); 2) Causae Rothadi Suessionensis et Wulfadi Biturícensis episcoporum a Hincmaro metropolitano depositorum, quos ad sedem apostolicam appellantes Nicolaus restituit (epp. 55-81); 3) Lis de sede Constantinopolitana, quam Ignatio patriarcha deiecto, Photius usurpaverat (epp. 82-102). Cum Photii causa intime cohaeret historia conversionis Bulgarorum; sicut enim Bulgarorum petitio Nicolao occasionem praebuit ad mittendos a. 866 Paulum et Formosum episcopos aliosque fidei nuntios cum celeberrimis illis 106 responsis ad consulta Bulgarorum (ep. 99), ita missionariorum latinorum in Bulgariam adventus Photio ansam praebuit dirigendi epistulam suam encyclicam ad Orientis episcopos (MG 102, 721-742), qua in Latinorum usus et doctrinas, praesertim « Filioque » in symbolo additum, acerrime invehebatur. Photii crimina Nicolaus in ultima magna epistula sua, data d. 23 Octobris a. 867 (obiit d. 13 Novembris), ad Hincmarum aliosque episcopos in regno Karoli Calvi constitutos, exponit, eosque ad refutandos eius errores hortatur (3). Nicolai epistulae summae auctoritatis fontes sunt, non solum ad eius modum agendi et normas regiminis cognoscendas, sed quam maxime ad ipsarum causarum historiam enucleandam; ampla enim expositione ipsarum origo et progressus in epistulis evolvitur. Auctor *Vitae*

---

(1) Inter 159 epistulas apud ML 119, 769-1182 habentur etiam spuriae et dubiae ab E. Perels (MGH EPP 6, 669 ss.) separatim editae.

(2) Conf. infra n. LXXXIX; insuper E. Perels, *Papst Nikolaus I und Anastasius Bibliothecarius*, Berlin 1920, p. 242 ss. et A. Lapôtre, *De Anastasio Bibliothecario sedis apostolicae*, Paris 1885, p. 13.

(3) Cui exhortationi obsequentes episcopi Franci in synodo Wormatiensi a. 868 ediderunt *Responsionem de fide s. Trinitatis contra Graecorum haeresim* (ML 119, 1201-1212), Aeneas Parisiensis episcopus scripsit suum *Librum adversus Graecos* (ML 121, 865-762); et Ratramnus Corbeiensis ll. 4 *Contra Graecorum opposita Romanam ecclesiam infamantia* (ML 121, 225-346).

Nicolai in LP (ed. Duchesne 2, 151-167), forte Anastasius Bibliothecarius, perfectius quam ab aliis vitarum pontificum auctoribus fieri solebat, historiam magni pontificis narravit.

**334.** *Ep. 71.* Nicolaus episcopus servus servorum Dei reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis per Gallias constitutis. ... Nimis namque absurdum est, quod dicitis Rothadum (1), postquam ad iudicium sedis apostolicae provocavit, iterum mutata voce vestra iudicia postulasse. Quod etiamsi ita fuisset, a vestra fuerat fraternitate corrigendus et, ne a maioris ad minoris auctoritatis provocasset iudicium, emendandus. Licet certis non pateat ullis indiciis a nostro illum ad vestra cucurrisse iudicia, quem constat in ipso articulo contra se proferendae sententiae sedem apostolicam appellasse et, qui se ab illa iudicari popposcerat, coram omnibus exclamasse, aequum non foret, si ad vestra se iudicia convertisset; quamvis, etsi sedem apostolicam nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta vos decretalia efferri statuta et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus caritate dicam, postposuisse dolemus et diversorum sedis apostolicae praesulum decreta in hoc vos contempsisse negotio non immerito reprehendimus. Absit enim, ut cuiuscumque ipsorum, qui usque ad ultimum vitae suae diem in fide catholica perseveravit, vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quaelibet exposita debito cultu et summa discretione non amplectamur opuscula, quae dumtaxat et antiquitus sancta ecclesia Romana conservans nobis quoque custodienda mandavit et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur. Absit inquam, ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda ducamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam aut roseo cruore floridam (2) aut rorifluis sudoribus et salubribus eloquiis ador-

(1) Suessionensem episcopum a Hincmaro depositum, a Nicolao a. 864 restitutum. Conf. H. SCHRÖRS, *Hinkmar, Erzbischof v. Rheims*, Freiburg, 1884, p. 237 ss.

(2) Quae scripta, si ad Romanorum pontificum martyrum decretales a Nicolao referri intelliguntur, vix negari potest, eum Pseudo-Isidori falsas decretales pontificum priorum 3 saeculorum (vid. infr. n. LXXXVIII et 351)

natam. Si enim ipsorum decreto ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod sedes apostolica probavit hodie teneatur acceptum et quod illa reppulit hactenus inefficax habeatur, quanto potius quae ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis et multifariis Ecclesiae necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit omni debentur honore praeferri et ab omnibus prorsus in quibuslibet oportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi. Quamquam quidam vestrum scripserint haud illa decretalia priscorum pontificum in toto canonum codicis corpore (1) contineri descripta, cum ipsi ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur et solum nunc ad imminutionem sedis apostolicae potestatis et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quae non solum quorumcumque Romanorum pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis praeferre noscuntur. At nunc, ubi suis animis resultare et privilegia Romanae sedis ab his defendi conspiciunt, repudiare illa festinant; quae videlicet privilegia tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universae Ecclesiae profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est, ut, ubi universa fabricae moles innititur, ibi firmum validumque habeatur in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur asscriptae, ergo nec Gregorii sancti nec ullius alterius, qui ante ipsum vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur asscriptum, Ergo doctrinam eorum et sanctiones, quae ab omni lingua venerantur, quia in codice canonum non habentur asscriptae, de codicibus suis eradant; ut quid vel membranas occupant, postquam non habentur acceptae? Sed quare multum immoremur, cum nec

---

prae oculis habere. Nullius enim martyris pontificis decretalis epistula authentica superest. Vid. infra « decretalia priscorum pontificum », et supra n. 325 p. 420. Conf. I. B. SÄGMÜLLER, *Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts*, ed. 4, Freiburg, 1926, p. 227 et P. FOURNIER, *Etude sur les fausses décrétales* in RHE 8, 1907, p. 29 ss.

(1) Intellige collectionem Dionysio-Hadrianam (ML 67, 135-346).

ipsas divinas Scripturas Novi et Veteris Testamenti iam recipiemus, si istos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in codice ecclesiasticorum canonum habetur insertum. Sed responsuri sunt isti, qui non ad oboediendum potius quam ad resistendum semper parati sunt, aientes, quod inter canones inveniatur capitulum sancti papae Innocentii (1), cuius auctoritate doceatur a nobis utrumque Testamentum esse recipiendum, quamquam in ipsis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur insertum. Quibus ad haec asserendum est, quoniam, si Vetus Novumque Testamentum recipienda sunt, non quo codici canonum ex toto habeantur annexa, sed quod de his recipiendis sancti papae Innocentii prolata videtur esse sententia, restat nimirum : decretales epistolae Romanorum pontificum sint recipiendae, etiamsi non sunt canonum codici compaginatae, quoniam inter ipsos canones unum beati Leonis capitulum constat esse permixtum, quo ita omnia decretalia constituta sedis apostolicae custodiri mandantur, ut, si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari. Ait enim capitulo quinto suorum decretalium (2) : « Ne quid vero sit, quod praetermissum a nobis forte credatur, omnia decretalia constituta tam beatae recordationis Innocentii quam omnium decessorum nostrorum, quae de ecclesiasticis ordinibus et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari ». Dicendo vero omnia decretalia constituta nullum de decretalibus constitutis praetermisit, quod non mandaverit esse custodiendum. Et rursus asserendo « omnia decessorum nostrorum » nullum Pontificum Romanorum, qui ante se fuerunt, excepit, cuius ita non praeceperit decretalia constituta ab omnibus custodiri, « ut, si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari ». Itaque nihil interest utrum sint omnia necne decretalia sedis apostolicae constituta inter canones conciliorum immixta, cum omnia in uno corpore compaginari non possint et illa eis intersint, quae firmitatem his, quae desunt, et vigorem suum assignent;

---

(1) Innocentii I epistula « Consulenti tibi » ad Exsuperium Tolosanum ex a. 405, ML 67, 248, cap. XXVII.

(2) ML 67, p. 280.

praesertim cum synodalia gesta, inter quae ipsi canones statuti sunt, in codice canonum non habentur, sed a nobis omni cultu debito venerentur. Consonat autem huic beatissimo papae Leoni sanctus et facundissimus in decretis suis papa Gelasius: « Item, inquiens, decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas » (1). In quo notandum quia non dixit decretales epistolas, quae inter canones habentur, nec tantum, quas moderni pontifices ediderunt, sed « quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt ». Dictis autem « diversis temporibus » etiam illa tempora vir sanctus comprehendit, quae crebrescentibus paganorum persecutionibus ad sedem apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant. His ita divina favente gratia praelibatis ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta, quae in codice canonum habentur sedis apostolicae praesulum, et ea, quae prae multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur, cum omnia et omnium decessorum suorum decretalia constituta atque decretales epistolas, quas beatissimi papae diversis temporibus ab urbe Roma dederunt, venerabiliter fore suscipiendas et custodiendas eximios praesules, Leonem scilicet et Gelasium, mandasse probavimus. (2) ...

(MGH EPP 6, 392 ss.).

**335.** *Ep. 82.* Nicolaus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Michaheli glorioso imperatori Graecorum.

---

(1) Decretum Gelasianum de libris recipiendis, ed. E. v. DOBSCHÜTZ, TU. ser. III, vol. 8, n. 4, 1912, p. 39. Conf. J. CHAPMAN, *On the Decretum Gelasianum* in RB 30, 1913, p. 187 ss., 315 ss.

(2) Conf. can. 5 synodi Romanae a. 863, in qua Theutgaudus Treverensis et Guntharius Coloniensis archiepiscopi, Lotharii praecipui adiutores eiusque uxoris Theutbergae persecutores depositi sunt: « De sententiis atque interdictis sedis apostolicae. Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a sedis apostolicae praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit ». (MGH EPP 6, 286).

... Oportet enim vestrum imperiale decus, quod in omnibus ecclesiasticis utilitatibus vigere audivimus, ut antiquum morem, quem nostra ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanae sedis vicem per Eperum veterem Eperumque novum atque Illiricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam riperensem, Daciam mediterraneam, Misiam, Dardaniam et Praevalim, beato Petro apostolorum principi contradicere nullus praesumat; quae antecessorum nostrorum temporibus, scilicet Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, Caelestini, Xysti, Leonis, Hilari, Simplicii, Felicis atque Hormisdae sanctorum pontificum sacris dispositionibus augebatur (1). Quorum denique institutiones ab eis illis in partibus destinatas per nostros missos, ut rei veritatem cognoscere quaeatis, vestrae augustali potentiae dirigere curavimus. Praeterea Calabritanum patrimonium Siculumque, quae nostrae ecclesiae concessa fuerunt et ea possidendo optinuit et disponendo per suos familiares regere studuit, vestris concessionibus reddantur, quoniam irrationabile est, ut ecclesiastica possessio, unde luminaria et concinnationes ecclesiae Dei fieri debent, terrena quavis potestate subtrahantur; sed domui Dei restituta meritum redditoris multiplicent et suscipientis votum spiritalis desiderii lucris exerceatur. Inter ista et superius dicta volumus, ut consecratio Syracusano archiepiscopo nostra a sede impendatur, ut traditio ab apostolis instituta nullatenus vestris temporibus violetur. ... (2) (MGH EPP 6, 438 s.).

**336.** *Ep. 86.* Nicolaus episcopus servus servorum Dei prudentissimo viro Photio. Postquam beato Petro principi apostolorum dominus ac redemptor noster Iesus Christus ex

---

(1) Maximi momenti testimonium pro historia collectionis epistolarum Romanorum pontificum ad vicarios suos per Illyricum constitutos; ed. L. Holste, *Collectio Romana bipartita,* Romae 1662, p. 1-163 (Mansi 8, 739-784). Conf. R. v. Nostitz-Rieneck, *Die päpstlichen Urkunden für Thessalonike* in ZKTH, 21, 1897, p. 1-50; F. Streichhan, *Die Anfänge des Vikariats von Thessalonich,* ZSS XXXIII, KA XII, 1922.

(2) Scripta a. 860.

utero Virginis pro nostra redemptione, ut erat verus Deus ante saecula, verus homo in fine saeculorum apparere dignatus est, ligandi atque solvendi in caelo et in terra potestatem tribuit et ianuas regni caelestis reserandas concessit, supra soliditatem fidei suam sanctam dignatus est stabilire Ecclesiam, secundum illius veridicam vocem dicentis : « Amen dico tibi, tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ; et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis ». Ad quam promissionem sanctae apostolicae institutionis cimento coeperunt huius fundamenta ex preciosis succrescere lapidibus et annuente divina clementia per studium structorum et apostolicae auctoritatis sollicitudinem usque ad culmen insolubiliter perducta perpetualiter mansura sine sinistrae aurae inpulsu consistere. Cuius primatum, sicut omnibus orthodoxis manifestum est viris, ceu in superioribus praemodicum declaratum est, beatus Petrus princeps apostolorum et ianitor regni caelestis, merito promeruit : post quem et huius vicarii sincerissime Deo famulantes carentes nebularum densitatibus, quae recto itineri impedire assolent, dignius perceperunt et cura regiminis, quam pro dominicis ovibus susceperant, sollicite permanserunt. Inter quos et nostram parvitatem omnipotentis Dei misericordia connumerare dignata est; pro quibus tantum consistimus pavidi, quantum consideramus in aeterno examine pro omnibus et prae omnibus, qui Christi censentur nomine, rationem reddituri. Et quia universitas credentium ab hac sancta Romana ecclesia, quae caput omnium est ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt et gratia Dei redempti exorant, oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse et ad speculationem dominici gregis tantum ferventius anhelare, quantum hunc avidi lupi ad dilaniandum hinc inde patientia ora exquirunt, quod et audiendo cognoscimus et experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia aut tumentes marinos fluctus nequimus visitare praesentiam, saltem series apicum quasi viva ora declarent, ut nec a nobis silentii equiratur culpa nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas, quia et illud a nobis cavendum est, quod per prophetam dicitur : « Canes muti non valentes latrare ». Nam et apostolus ait : « Insta oportune, inportune ». Constat

enim sanctam Romanam ecclesiam per beatum Petrum principem apostolorum, qui dominico ore primatum Ecclesiae suscipere promeruit, omnium ecclesiarum caput esse et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus, quas secundum canonicas et synodicas sanctorumque patrum sanctiones inviolabiliter atque inrefragabiliter retineret, exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut, quod ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur· (1) ...

(MGH EPP 6, 447 s.).

**337.** *Ep. 130. Karolo Calvo.* Relatum est apostolatui nostro, quod opus beati Dionysii Ariopagitae (2), quod de divinis nominibus vel caelestibus ordinibus Graeco descripsit eloquio, quidam vir Iohannes genere Scottus (3) nuper in Latinum transtulerit. Quod iuxta morem nobis mitti et nostro debuit iudicio approbari, praesertim cum idem Iohannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omissum est vestra industria suppleat et nobis praefatum opus sine ulla cunctatione mittat, quatenus, dum a nostri apostolatus iudicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter nostra auctoritate acceptius habeatur.

(MGH EPP 6, 651).

---

(1) Scripta a. 862.

(2) De Pseudo-Dionysii Areopagitae operum in Occidente saec. IX divulgatione conf. G. Thery, *Histoire de l'aréopagitisme au IX^e siècle*, in Moyen Age, 1923, 111-153 et *Hilduin et la première traduction des écrits du Pseudo-Denis* in Rev. d'histoire de l'église de France, IX, 1923, 23-40.

(3) Iohannes Scottus Eriugena, ab a. 847-877 magister scholae palatinae Karoli Calvi, philosophus Neo-Platonicus, certe inter eruditos saec. IX vir eminentissimus, sed a Neo-Pletonismi speculationibus, quas ex Pseudo-Dionysio hauserat, in errores graves seductus. Conf. F. Ueberweg, *Grundriss der Geschichte der Philosophie* 2, ed. 11, curante B. Geyer, Berlin 1928, p. 164 ss., 693 s.

# LXXXVI. HADRIANUS II. PAPA.

Hadriani Papae II (a. 867-872) epistulae (MGH EPP 6, 691-765; ML 122, 1259-1320) multo quidem pauciores quam magni praedecessoris Nicolai supersunt, non tamen minores momento, cum praecipuae causae a Nicolao Papa tractatae ab Hadriano demum absolutae sint, ut Lotharii causa matrimonialis, Photii causa, in synodo universali VIII (5 Octobr. 869-28 Febr. 870) (1) saltem pro tempore finita, Wulfadi Bituricensis causa. Apostoli Slavorum, ss. Cyrillus et Methodius ab Hadriano Romae benigne suscepti sunt (2); epistularum tamen ad eos datarum, una tantum superest, et haec a multis ut spuria vel dubia reiecta. Eius tamen authenticitatem post recentes P. Kuniberti Mohlberg indagines vix iam in dubium vocare licet (3). Hadriani *Vita* in LP vel potius vitae fragmentum (ed. Duchesne, 2, 173-185) ultima est, quae in antiqua Romanorum Pontificum chronica, Libro Pontificali proprie dicto, occurrit. Eius auctor synodo VIII interfuit, et narrationem eorum, quae legati papae Constantinopoli egerunt, vitae Hadriani inseruit.

**338.** Hadrianus episcopus servus servorum Dei reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris archiepiscopis et episcopis, qui apud Duziacensim Remensis provintiae synodum (4) convenerunt· Caritatis vestrae litteras per Actardum (5) venerabilem coepiscopum et gloriosi regis Karoli legatum suscepimus et, quid de eo ad suggestionem et deprecationem nostram ageretis, non solum in eis, verum et per ipsum cognovimus. Egistis enim, ut decebat, ostendentes in ipso verae fraternitatis fervorem et in nobis ecclesiae, cui licet indigni, vicarii tamen dignissimi principis apostolorum praesidemus, debitum cum reventia honorem. De quo, prout significastis, peregimus. Nam, sicut synodus expostulavit, plebs et Turonicus

(1) Acta graeca synodi in Mansi 16, 209-515 (versio latina Anastasii Bibliothecarii ib. 1-208; ML 129, 9-196).

(2) Conf. infr. n. 364.

(3) *Il Messale Glagolitico di Kiew (sec. IX) ed il suo prototipo Romano del sec. VI/VII*, p. 297 ss. (PARA, Memorie 2, 1928).

(4) Synodus Duziacensis (Douzy) prima, mense augusto a. 871, cuius acta habes apud Mansi XVI, 569 ss.

(5) Namnetensem (Nantes); conf. L. Duchesne, *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule* 2, 365 s.

clerus eum concorditer elegit, per nostrae apostolicae auctoritatis decretum constituimus cardinalem metropolitanum et archiepiscopum Turonicae ecclesiae atque provinciae, quoniam dicente Antero papa in epistola sua quibusdam eum de mutatione episcoporum de civitate in civitatem consulentibus [1]: « Scitote eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cuiusquam aut dominatione. Petrus namque sanctus magister noster et princeps apostolorum de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Similiter et Felix de civitate, qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam et bonam vitam, quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est Ephesum. Non enim transit de civitate in civitatem, qui non suo libitu hoc facit aut ambitu, sed utilitate quadam aut necessitate aliorum hortatu et consilio potiorum transfertur. Nec transfertur de minore civitate ad maiorem, qui hoc non ambitu, non propria voluntate facit, sed aut vi a propria sede pulsus aut necessitate coactus aut utilitate loci aut populi, non superbe, sed humiliter ab aliis translatus et inthronizatus est, quia homo videt in facie, Deus autem in corde »; et alios nonnullos, sicut tripartitae historiae series prodit [2], legimus pro temporis necessitate de una ecclesia fuisse mutatos in aliam, quia aliter tractanda est necessitatis ratio, aliter voluntatis; unde sancti Patres Niceni capitulo secundo dicunt, quoniam plura aut per necessitatem aut alias cogentibus hominibus adversus ecclesiasticam facta sunt regulam; et sanctus Leo papa capitulo XLIIII decretalium suorum [3] dicit « omittendum esse et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit »: ita tamen hoc permittentes, ut Namneticae ecclesiae, cui fuerat ordinatus, in eo quod remansit, quod destructa habetur, iura potestatemve nullo modo subtrahamus, interponentes pastoralis vigoris censu-

---

[1] Conf. *Decretales Pseudo-Isidorianae*, ed. P. Hinschius, p. 152 (conf. ML 130, 145 s.). Primum certum exemplum decretalis Pseudo-Isidorianae a cancellaria Romani Pontificis adhibitae.

[2] Conf. supra n. XXII; refertur ad Hist. trip. l. 12, cap. 8.

[3] Conf. ML 67, 297.

ram, ut, si quandocumque vel quicumque alium ipso superstite in praefata metropoli et in ista vel in earum pertinentiis locare temptaverit aut ordinare praesumpserit, ecclesiasticae dumtaxat communionis consortio careat. Sane post eius decessum electio canonica et ordinatio a suffraganeis episcopis eiusdem metropoleos Turonicae canonice celebretur ex more. Quodsi Namneticae contigerit ecclesiae ad priorem Christo auxiliante statum redire, nihil officiat ei haec necessitatis unitio, quam videlicet exigit paganorum vastatio, quominus proprium valeat habere pontificem. Sed vidimus eum valde tristissimum propter persecutionem paganorum et, cum pene omnes sint res ipsius ecclesiae depopulatae, vestrae dirigimus fraternitati, ut fraterna eum caritate commoti viribus totis adiuvare apud excellentissimum regem vestrum humiliter intercedendo viriliter satagatis, quatinus vestro ingenti certamine Christi Ecclesia quieta et secura et propriis rebus ditata gloriosaque consistat. Igitur de Hincmari Laudunensis [1] episcopi depositione pontificio nostro scripsistis, quatinus de eo secundum quod canonicum est vobis rescribere iuberemus. Primo denique vestrae debemus respondere caritati, quia, cum clamaret in synodo se ad sedem apostolicam velle incunctanter venire atque in praesentia eius pro obiectis sibi ab adversario criminibus respondere, dampnationis in eum non erat proferenda sententia. Tamen, sicut ipsius concilii actionibus legitur, quoniam salvo in omnibus iudicio sedis apostolicae illum ab episcopis fuisse iudicatum asseritis, nos — non aliqua contra quoslibet commoti invidia nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes — volumus et auctoritate apostolica — nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestae veritatem magis invenire cupientes — iubemus ipsum Hincmarum Laudunensem episcopum vestra fretum potentia ad limina sanctorum apostolorum nostramque venire praesentiam. Quo sane veniente veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui. Et tunc in praesentia nostra et totius sedis Romanae synodali collegio causa illius prudenti ventilata examine ac diligenter inquisita secundum Deum et sacrorum canonum constitutiones spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur; ... [2]

(MGH EPP 6, 738 ss.).

---

(1) Nepotis Hincmari Rhemensis: conf. infra n. LXXXVIII.

(2) Scripta a. 871.

339. Hadrianus episcopus et servus (servorum) Dei Rostislavo et Svjatopolco et Kozelo (1). Gloria in excelsis Deo et in terra pax, in hominibus bona voluntas. De vobis spiritualia audivimus, que cum desiderio et precibus vestrae salutis gratia sitiebamus, quomodo Dominus corda vestra excitaverit, ut quaereretis eum, et ostenderit vobis non modo fide, verum etiam bonis operibus oportere Deo servire : fides enim sine operibus mortua est, et perduntur, qui sibi Deum nosse videntur, operibus tamen ab eo desciscunt. Non enim ab hac tantum sede sancta magistrum petiistis, verum etiam a pio imperatore Michaele (2), et misit vobis beatum philosophum Constantinum cum fratre (3), priusquam nos veniremus. Illi vero, scientes regiones vestras esse sedis apostolicae, nihil contra canonem fecerunt, sed ad nos venerunt sancti Clementis reliquias ferentes. Nos vero triplici gaudio affecti constituimus scrutati Methodium mittere, postquam eum cum discipulis ordinavimus, filium nostrum, in regiones vestras, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut vos instituerent, quemadmodum rogastis, Scripturam in lingua vestra interpretans, plene secundum omnem ordinem ecclesiasticum una cum sancta missa (4), id est liturgia, et cum baptismo, ut Constantinus philosophus gratia divina et precibus sancti Clementis facere coepit. Ita etiam si quis alius

---

(1) Textus epistulae slavice tantum exstat in *Legenda* q. v. *Pannonica* s Methodii (conf. infra n. XCII); ibi cap. 8 Hadrianum epistulam Kozelo Slavorum Pannoniae principi per s. Methodium mississe narrat auctor legendae: « ... omnibus partibus illis Slovenicis mitto illum magistrum a Deo et a sancto apostolo Petro... Et dimisit illum, postquam scripsit epistolam hanc » (ed. F. Pastrnek, *Dêjiny slovanskych apostolu Cyrilla a Methoda*, Praha 1902, p. 227 ss.; conf. *Codex diplomaticus regni Bohemiae*, I, ed. G. Friedrich, Pragae 1904-7, p. 7 ss.).

(2) Michael III, 842-867.

(3) i. e. Cyrillum et Methodium. Conf. infra n. 362 et V. Jagic, *The conversion of the Slavs* in The Cambridge medieval history 4, Cambridge 1927, p. 215 ss.

(4) Sacramentarii Romani versio slavica antiquissima servatur in foliis Kievensibus q. v., ed. K. Mohlberg, *Il Messale glagolitico di Kiew (sec. IX) ed il suo prototipo del sec. VI/VII* (PARA, Memorie 2), Roma 1928, p. 310-317.

digne et orthodoxe interpretari potest, sanctum sit et benedictum a Deo et a nobis et a tota catholica et apostolica Ecclesia, ut facile praecepta divina ediscatis. Unus vero hic servandus est mos, ut in missa primum apostolus et evangelium legantur lingua Romana, postea Slovenica, ut impleatur verbum Scripturae : Laudabunt Dominum omnes gentes, et alio loco : Omnes loquentur variis linguis magnalia Dei, prout iis Spiritus sanctus dedit respondere. Si vero quis e magistris ad vos confluentibus et aures vestras vexantibus et a veritate in errorem avertere vos parantibus ausus erit vos aliter docendo perdere, vituperans libros linguae vestrae, ne excommunicetur, sed tantum in iudicium detur Ecclesiae, donec corrigatur. Hi enim sunt lupi, non oves quos e fructibus eorum oportet cognoscere et cavere. Vos vero, filii dilecti, audite praecepta divina, neve institutionem ecclesiasticam repudiate, ut veri cultores Dei inveniamini, patris nostri coelestis et omnium sanctorum. Amen (1).

(MGH EPP 6, 763 s.).

## LXXXVII. IOHANNES VIII PAPA (872-882).

Registri eius maior pars, epistulas 314 aa. 876-882 comprehendens (ed E. Caspar aa. 1912/28 in MGH EPP 7, 1-272; conf. ML 126, 651 ss.) servata est in exemplari (2) saec. XI in Cassinensi monasterio ex authentico registro, nunc deperdito, transscripto. Epistulae aa. 872-876 paucae quidem, sed non minoris momenti supersunt, fragmenta ut plurimum ex collectionibus canonum Cardinalis Deusdedit et collectione Britannica collecta (MGH ib. 273-329). Quanti aestimandus sit fons iste, tum ex epistularum numero, tum ex causarum quae tractantur diversitate et momento colligitur. Maior certe epistularum pars agit de miseris Italiae et imperii Carolini ad ruinam vergentis conditionibus; quibus salvandis Iohannes maximam curam impendit, quin tamen, ut ipse in epistula ad Richardim imperatricem paucis mensibus ante mortem scripta, innuit, desideratum effectum obtinuerit. Maximi momenti in historia conversionis Slavorum sunt epistulae de s. Methodio eiusque missione in Pannonia et Moravia agentes (3).

---

(1) Scripta a. 869.

(2) Nunc primus tomus in serie Regestorum tabularii Vaticani (Reg. Vat. 1).

(3) Separatim editae a G. Friedrich in *Codex diplomaticus et epistolaris regni Bohemiae* I, Pragae 1904/7, nn. 13-25; et apud F. Pastrnek, *Dêjiny slovanskych apostolu Cyrilla a Methoda*, Praha 1902, p. 249-258.

Epistulae in causa ecclesiae Bulgarice et Photii [1] scriptae, novum periodum in historia dissidii inter Romanam et Byzantinam ecclesiam inducunt.

**340.** *Fragm. 15.* Iohannes episcopus dilecto filio Hludoico glorioso regi [2]. (1) *Inter cetera.* Multis ac variis manifestisque prudentia tua poterit indiciis comprehendere Pannonicam dioecesin ab olim apostolice sedis fuisse [3] privilegiis deputatam, si apud excellentiam tuam iustitia Dei locum, sicut decet, invenerit. Hoc enim synodalia gesta indicant, hoc ystorie conscripte demonstrant. Verum quia quibusdam hostilium turbationum simultatibus impedientibus illuc ab apostolica sede non est diu ex more directus antistes, hoc apud ignaros venit in dubium.

(2) *Et infra.* Nemo autem de annorum numero [4] resultandi sumat fomentum, quia sancte Romane, cui Deo auctore servimus, ecclesie privilegia, que in firma Petri stabilitatis petra suscepit, nullis temporibus angustantur, nullis regnorum particionibus praeiudicantur. Sed et venerande Romane leges divinitus per ora piorum principum promulgate rerum eius prescriptionem nonnisi post centum annos admittunt [5]. (MGH EPP 7, 281).

---

(1) Vide praesertim in ed. MGH epistulas 207 et 208 ex quarum versione Graeca, a Photio confecta, ab editore iuxtaposita, eius fraus manifeste apparet; et Gesta synodi Constantinopolitanae aa. 879/80, Mansi 17, 373-524. Conf. I. HERGENRÖTHER, *Photius* 2, Regensburg 1867, p. 379 ss. De Iohanne VIII et Bulgaris vid. A. LAPÔTRE, *L'Europe et le St. Siège à l'époque Carolingienne.* I. Le Pape Jean VIII, Paris 1895, p. 30 ss.

(2) Ludovicus, Germaniae rex, ob. 876.

(3) Conf. *Fragm. 16.* « Itaque reddito ac restituto nobis Pannoniensium episcopatu liceat predicto fratri nostro Methodio qui illic a sede apostolica ordinatus est, secundum priscam consuetudinem libere, que sunt episcopi, gerere » (MGH EPP 7, 281).

(4) Conf. *Libellum de conversione Bagoariorum et Carantanorum,* in quo narrantur quae a 75 annis a Salisburgensi ecclesia in illis regionibus Pannoniae gesta sunt (MGH SS 11, p. 14), et instructionem Paulo Anconitano episcopo, Iohannis legato in Germania et Pannonia a. 873 datam (ib. p. 284).

(5) Conf. *Corpus Juris civilis* edd. SCHOELL-KROLL, III, Berolini 1912, p. 91: Nov. Iustiniani 9 ex a. 535.

**341.** *Fragm. 36.* Iohannes episcopus reverentissimis et sanctissimis confratribus nostris Adelfredo Cantuariorum et Uulfredo Eburaci archiepiscopis seu omnibus episcopis presbiteris et diaconibus et universis clericis per Anglorum patriam constitutis. *Inter cetera.* Congregatis itaque omnibus Anglorum proceribus, qui tunc ad beatum Petrum degebant apostolum, post alterutrarum partium congruas ratiocinationes apostolice sententia usque adeo sedis prevaluit, ut voluntarie omnes Anglorum clerici sub ipsis vigiliis sancti Gregorii laicalem et sinuosum set et curtum habitum deponentes talares tunicas secundum Romanum morem induerent. Huius rei gratia, quia et vos pari modo in sancte Ecclesie nostre corpore veluti propria membra complectimus, pro deponendis laicalibus vestimentis et resumendis clericalibus infulis secundum Romane ecclesiae morem auctoritate apostolica monemus (1). (MGH EPP 7, 293 s.).

**342.** *Fragm. 40.* (Iohannes imperatori Grecorum). (P)lurimorum relatu quedam de Ignacii Constantinopoleos patriarche fraternitate audivimus, que sacerdotalibus officiis congruere non agnoscuntur, que ideo credenda putamus, quia capud suum erigere contra sanctam apostolicam aecclesiam, a qua episcopatus sortitus est dignitatem, non dubitavit, cum contra omnium patrum prohibitus invadere ausu temerario presumpsit novam Bulgarorum gentem (2), beati Petri celestis regni clavigeri et Pauli gentium doctoris precibus divinitus illustratam et per apostolicae sedis legatos ad fidem Christi conversam et sancto ablutam baptismate. Decuerat enim propriis eum fore contentum limitibus et non extollentie cornu aliena appetere et alienos terminos invadendo diripere. Verum quia hec aliis presumptionibus molitus est addere, necessario eum vocare duximus et apostolice sedi, cui

---

(1) Scripta inter aa. 873 et 875.

(2) Conf. epistulas ex a. 872/3 ad Domagoi Chrobatorum ducem fragmentum: « Ad mentem reducimus, qualiter Greca falsitas Bulgarorum nobis iure pertinentem patriam per Ignatium, quam nos recuperaveramus, occupare non timuit... » (MGH EPP 7, 278) et epistularum ad Michaelem Bulgarorum regem fragmenta (ib. 277 et 294).

auctore (Deo) presidemus, presentari sancimus, quatinus de his et aliis excessibus racionem reddere valeat (1).
(MGH EPP 7, 296).

**343.** *Fragm. 49.* [Im]peratori [et Im]peratrici. [C]um reversi fuissemus, omnia littora nostra depredata, etiam et in Fundis et in Terracina velut in domo propria multos Sarracenos invenimus residere; pro quibus non plus quam quinque diebus in Urbe manentes, quamvis corporis non modica detineremur molestia, exivimus cum fidelibus nostris, quorum Deo adiuvante cepimus naves decem et octo. Sarraceni autem multi occisi sunt, captivos autem fere sexcentos liberavimus. Ideo vobis venientibus necesse valde est, ut talis in littoribus marinis fortitudo virorum remaneat, quorum virtute nostra omnia salva consistant et ea, que nondum depredata sunt loca, non depredentur (2).
(MGH EPP 7, p. 303).

**344.** *Epist. 22.* Iohannes (episcopus) Karolo imperatori (3). Quanta et qualia per impiam gentem patiamur Saracenorum, quid dicam, quia scribere quilibet stilus non sufficit, cum omnia ligna silvarum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant? Quorum quia ex his quaedam vestra iam didicit excellentia, predisposuit exercitum suum ad hec removenda cum valida manu dirigere. Quo nos audito mox elevatis manibus Dominum collaudavimus eiusque clementiam pro imperio vestro letantes protinus exoravimus. Sed quanto, fili karissime, letati sumus in his, que dicta sunt nobis, tanto, heu! tristati et amaricati, quia, que dicta sunt, rerum non sunt effectibus consumata. Reversi quippe sunt, ut audivimus, et solis paganis gaudium, nobis autem nonnisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt. Et ecce, pro dolor! inimicis Crucis Christi gratulantibus solus fidelium cetus magna mestitudine consumitur, Christianorum sanguis effunditur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam, qui evadit ignem vel gladium, preda efficitur, captivus trahitur et

---

(1) Scripta a. 874 vel 875.

(2) Scripta a. 875.

(3) Karolo Calvo, qui a. 875 in festo Nativitatis Domini a Iohanne imperator coronatus est.

exul perpetuus constituitur. En civitates, castra et ville destitute habitatoribus perierunt et episcopi hac illacque dispersi, sola illis apostolorum principum limina derelicta sunt in refugium, cum episcopia eorum in ferarum sint redacta cubilia et, ipsi vagi et sine tectis inventi, non iam eis liceat predicare, sed mendicare... Ecce, inquam, revera « dies tribulationis et angustie, dies calamitatis, et miserie ». Preterito quippe anno seminavimus quidem, sed non recollegimus; hoc vero anno, quia non seminavimus, nec est recolligendi fiducia. Quid de paganis dicimus, cum Christiani nil melius operentur, quidam videlicet ex confinibus et vicinis nostris, quos marciones solito nuncupatis. Nam, ut prophetice dicamus, « residuum locuste comedit bruchus », et, quod (a) Saracenis incredulis, qui sunt filii ancille, forte relinquitur, ab illis, qui per fidem libere deberent existere filii, usque ad terram depascitur. Quid enim illi faciunt, et isti peiora non faciunt? Illi terram occupant, isti compariter nichil ex civitatibus vel ex rure dimittunt: illi occidunt gladio, isti ablatis omnibus fame trucidant: illi in captivitatem ducunt, isti sibi in servitutem redigunt: et cum queritur, quis adversus hostes dimicet, inveniuntur nulli, cum scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere (nulli) prorsus inveniantur. Sed cum undique angustati clamamus, non est qui audiat, non est qui adiuvet, non est qui salvum faciat, nisi tu, fili karissime et imperator clementissime, qui post Deum datus es nobis in refugium et solacium et auxilium. Quocirca totis precordiis totisque commoti visceribus cum episcopis et presbyteris ac proceribus totisque plebis nobis olim commisse reliquiis deprecamur: velis tandem aperire aures, audire gemitum et singultus omnium nostrum, porrigere manum et prestare patrie periclitanti, civitati inter multas miserias et erumnas iacenti et huic ecclesie matri vestre a qua non solum regnandi, sed et in Deum unum et verum credendi exordium percepistis, queque in ultimo, spreto magno et bono fratre, vos more Dei gratuita voluntate tanquam alterum regem David elegit et preelegit atque ad imperialia sceptra provexit. Cogitate itaque, Dei cultor semper auguste, a propheta premoniti, si hec humiliatur, « ad cuius confugietis auxilium vel ubi relinquetis gloriam vestram? ». Perpendite quia, si hec humiliatur, non solum gloria imperii

vestri periclitabitur, sed et ipsa profecto Christiane religionis cultura maxima ex parte peribit. Et idcirco talia scientes nolite, obsecro iam differre, nolite de die in diem indutiis non profuturis abuti. Cum proverbiatore clamo et cum Salomone vociferor: « Ne dicatis amico vestro: Vade et revertere, cras enim dabo tibi », et alias: « Quod potest », inquit, « manus tua facere, instanter operare » et cetera. Nescitis namque, ut cum venia vestra dicam, « quid superventura pariat dies ». Ita ergo, fili Christianissime, de hac ecclesia necnon et patria velociter et prudenter excogitate et ordinate, ut saltem ipse paucissime reliquie salve sint, que remanserunt queque cotidie catervatim gladio et preda dispereunt. Occurrite strenue, subvenite celeriter et manu consolationis vestre ab oculis nostris tandem abstergite lacrimas, quatinus super illis et presentialiter Deo propitio gaudeatis et in futuro frequenti ac laudabili relicta fama superstite cum Christo perpetes in celestibus imperetis. Data XVII. Kalendas Decembris, Indictione X. (1)

(MGH EPP 7, 19 ss.).

**345.** *Epist. 201.* Reverentissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis ecclesie. Predicationis tue doctrinis populum Domini tibi quasi spiritali pastori commissum salvare instruereque cum debeas, audivimus, quod non ea, que sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit et cottidie predicat, tu docendo doceas et ipsum populum in errorem mittas. Unde his apostolatus nostri litteris tibi iubemus, ut omni occasione postposita ad nos de presenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus et veraciter cognoscamus doctrinam tuam, utrum sic teneas et sic predices, sicut verbis et litteris te sancte Romane ecclesie credere promisisti, aut non. Audimus etiam, quod missas cantes in barbara, hoc est in Sclavina lingua, unde iam litteris nostris per Paulum episcopum Anconitanum (2) tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra missarum sollempnia celebrares, sed vel in Latina vel in Greca lingua, sicut Ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa et in omnibus gentibus dilatata cantat. Predicare vero aut sermonem ad populo facere tibi licet, quoniam psalmista omnes

(1) A. 876, Nov. 15.

(2) Conf. supra n. 340, not. 4, et infra n. 361.

ammonet Dominum gentes laudare et apostolus : « Omnis », inquit, « lingua confiteatur, quia dominus Iesus in gloria est Dei patris ». Data ut supra (1). (MGH EPP 7, 161).

**346.** *Epist. 255.* Dilecto filio Sfentopulcho (2) glorioso comiti. Industrie tue notum esse voluimus, quoniam confratre nostro Methodio reverentissimo archiepiscopo sancte ecclesie Marabensis (3) una cum Semisisno, fideli tuo ad limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli nostramque pontificalem presentiam veniente (4) atque sermone lucifluo referente didicimus tue devotionis sinceritatem et totius populi tui desiderium, quod circa sedem apostolicam et nostram paternitatem habetis. Nam divina gratia inspirante contemptis aliis seculi huius principibus beatum Petrum apostolici ordinis principem vicariumque illius habere patronum et in omnibus adiutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis et cum omni populo terre tue amore fidelissimo elegisti et usque ad finem sub ipsius et vicarii eius defensione colla summittens pio affectu cupis auxiliante Domino utpote filius devotissimus permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua et populi tui apostolatus nostri ulnis extensis te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur et cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostre gremio veluti oves Domini nobis commissas recipimus viteque pabulo clementer nutrire optamus atque nostris assiduis precibus omnipotenti te Domino commendare studemus, quatenus sanctorum apostolorum suffragantibus meritis et in hoc seculo adversa omnia superare et in celesti postmodum regione cum Christo Deo nostro valeas triumphare. Igitur hunc Methodium venerabilem archiepiscopum vestrum interrogavimus corampositis fratribus nostris episcopis, si orthodoxe fidei symbolum ita crederet et inter sacra missarum sollempnia caneret, sicuti sanctam Romanam ecclesiam tenere et in sanctis sex universalibus synodis a sanctis patribus secundum evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum atque traditum constat. Ille autem professus est se iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam, sicuti sancta Romana ec-

(1) a. 879.

(2) Svatopluk, Moraviae princeps.

(3) i. e. Moraviae.

(4) Conf. epistulam praecedentem.

clesia docet et a patribus traditum est, tenere et psallere. Nos autem illum in omnibus ecclesiasticis doctrinis et utilitatibus orthodoxum et proficuum esse reppperientes vobis iterum ad regendam commissam sibi ecclesiam Dei remisimus, quem veluti pastorem proprium ut digno honore et reverentia letaque mente recipiatis, iubemus, quia nostre apostolice auctoritatis precepto eius archiepiscopatus privilegium confirmavimus et in perpetuum Deo iuvante firmum manere statuimus, sicuti antecessorum nostrorum auctoritate omnium ecclesiarum Dei iura et privilegia statuta et firmata consistunt, ita sane, ut iuxta canonicam traditionem omnium negotiorum ecclesiasticorum curam habeat ipse et ea velut Deo contemplante dispenset, nam populus Domini illi commissus est et pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipsum quoque presbiterum nomine Uuichinus, quem nobis direxisti, electum episcopum consecravimus sancte ecclesie Nitrensis, quem suo archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti canones docent, esse iubemus et volumus, ut pariter cum ipsius archiepiscopi consensu et providentia et alterum nobis apto tempore utilem presbiterum vel diaconem dirigas, quem similiter in alia ecclesia, in qua episcopalem curam noveris esse necessariam, ordinemus episcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis episcopis prefatus archiepiscopus vester iuxta decretum apostolicum per alia loca, in quibus episcopi honorifice debent et possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbiteros vero, diacones seu cuiuscumque ordinis clericos sive Sclavos sive cuiuslibet gentis, qui intra provincie tue fines consistunt, precipimus esse subiectos et obedientes in omnibus iamdicto confratri nostro, archiepiscopo vestro, ut nichil omnino preter eius conscientiam agant. Quodsi contumaces et inobedientes existentes scandalum aliquod aut scisma facere presumpserint et post primam et secundam ammonitionem se minime correxerint, quasi zizaniorum seminatores ab ecclesiis et finibus vestris auctoritate nostra precipimus esse procul abiciendos secundum auctoritatem capitulorum, que illi dedimus (et) vobis direximus. Litteras denique Sclaviniscas a Constantino quondam philosopho (1) reppertas, quibus Deo lau-

(1) S. Cyrillo; conf. supra n. 339, et infra n. 362.

des debite resonent, iure laudamus et in eadem lingua Christi domini nostri preconia et opera enarrentur, iubemus; neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, que precipit dicens: « Laudate Dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi », et apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei: hinc et Paulus celestis quoque tuba insonat monens: « Omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris »; de quibus etiam linguis in prima ad Corinthios epistola satis et manifeste nos ammonet, quatenus linguis loquentes Ecclesiam Dei edificemus. Nec sane fidei vel doctrine aliquid obstat sive missas in eadem Sclavinica lingua canere sive sacrum evangelium vel lectiones divinas Novi et Veteris Testamenti bene translatas et interpretatas legere aut alia horarum officia omnia psallere, quoniam, qui fecit tres linguas principales, Hebream scilicet Grecam et Latinam, ipse creavit et alias omnes ad laudem et gloriam suam. Iubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terre vestre propter maiorem honorificentiam evangelium Latine legatur et postmodum Sclavinica lingua translatum in auribus populi Latina verba non intelligentis adnuntietur, sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur; et, si tibi et iudicibus tuis placet missas Latina lingua magis audire, precipimus ut Latine missarum tibi sollemnia celebrentur. Data mense Iunio, indictione XIII. (1) (MGH EPP 7, 222 ss.).

**347.** *Epist. 309.* Richardi Auguste (2) seu Liutuuardo Vercellensi episcopo a paribus. [T]anta cordis angustia tantusque dolor et gemitus hinc et inde cum inriguis lacrimarum rivulis nostram etatem quatiunt et conquassant tantusque etiam luctus pro desolatione terre istius, quam iam funditus a Christiani nominis inimicis et Deo odibilibus

(1) a. 880.

(2) Uxori Karoli III imperatoris (881-888), quem Iohannes die 12 Februarii a. 881 imperatorem coronaverat.

Saracenis depredatam cernimus, nos afficit et intima nostra dissolvit, ut et somnus ab oculis et a gustu cibus effugiat. Etiam cum Hieremia decantare compellor: « Quis dabit capiti meo aquam aut oculis meis fontem lacrimarum? » et reliqua. Siquidem expectavimus lucem, et ecce tenebras, quesivimus adiutorium, et iam muros Urbis egredi non audemus. Nam ante vestrum Romam adventum qualiscumque nobis erat tranquillitas, modo vero intolerabilis et importabilis persecutionis extat tempestas, quia neque spiritalis filius noster augustus neque alicuius alterius gentis homo nobis confert auxilium et, nisi Divinitas summa subveniat, aut in desperationem aliquam lapsi, quia non solum duplum, sicut Dominus dicit, sed etiam triplum et quadruplum exercitum contra nos venire conspicimus, ea, que pacis sunt postulabimus aut certe non solum iugo illorum coacti subdemur, sed etiam ab eis capti impie iugulabimur, quia, sicut scitis, sepissime reclamavimus et neque ipse augustus, ut pretulimus, qualemcumque defensionem nobis exhibuit, neque homines civitatum nostrarum, qui contra Deum et contra omne privilegium nostrum ab alienigenis, acsi nostri non fuerint, detinentur, ad servitium sancte Romane ecclesie faciendum, sicut solitum erat, ab eorundem alienigenarum iugo subtraxit. His ergo, karissima filia, clamoribus ac eiulatibus nostris auditis, quia sapientibus loquimur, continuo propter Deum et propter sanctos eius apostolos iamdicto spiritali filio nostro augusto flexo poplite suggere, ut omnibus omnino necessitatibus aut omissis aut certe suspensis sancte matris sue calamitati subveniat et conculcationem, immo perditionem illius advertens, antequam pereamus, citissimum conferat adiutorium aut congruum sine mora donet consilium, quia vita nostra nobis non prodest et in extremo positi, etiamsi non optaremus, iam mors se palam prebet videndam. (1)... (MGH EPP 7, 267 s.).

---

(1) Epistula scripta est mense Martio a. 882; die 15 Decembris eiusdem anni Iohannes « a propinquo suo » interfectus obiit. Conf. Annal. Fuldenses ad a. 883 in MGH SS 1, p. 398.

# LXXXVIII. HINCMARUS RHEMENSIS ARCHIEPISC.

Vix ullus est inter omnes scriptores ecclesiasticos saec. IX, cuius scripta ad cognoscendas Ecclesiae in regno Francorum conditiones, relationes episcopos inter et Romanum Pontificem, imperatores et reges, mores cleri et laicorum, institutiones tum ecclesiasticas tum civiles tantum conferunt, quantum Hincmari opera. Eximia enim eius in iure canonico et civili eruditio (1), scriptorum Patrum intima cognitio simul cum impavida mentis et animi fortitudine, qua mala, ubicumque ipsi occurrebant vel occurrere videbantur, reprehendit et — nimia forte erga subditos asperitate — persequitur, necnon singulari ingenii alacritate, qua longe coaevos superans summam sibi apud Karolum Calvum eiusque successores auctoritatem acquisivit, Hincmarum distinguunt. Natus c. a. 806, in s. Dionysii monasterio educatus, magistrum suum Hilduinum abbatem in aulam Ludovici Pii secutus est. Postquam Hilduino a. 830 in exilio Corbeiae Novae socius fuit, ab a. 832 ad s. Dionysium regressus, plurimum in restauranda regulari monasterii disciplina adlaboravit (2). Anno 845 a synodo Bellovacensi in sedem Rhemensem electus est, quae post Ebonis depositionem ab a. 833 (3) vacabat. Haec Ebonis depositio eiusque temporanea restitutio a. 840 et ordinationes ab ipso tunc factae Hincmarum in graves lites induxerunt; in synodo Suessionensi a. 853 (Mansi XIV, 982-990) clerici ab Ebone ordinati « ecclesiasticis gradibus privati » declarantur. Ipsis ad apostolicam sedem appellantibus diuturnae sequuntur inter Hincmarum et Romanos Pontifices Leonem IV, Benedictum III, Nicolaum I, Hadrianum II discussiones; quorum pontificum epistulae (4), praesertim Nicolai I in causa Wulfadi scriptae, praecipua documenta huius litis sunt, cuius exitus Hincmaro contrarius fuit, sicut et Rothadi Suessionensis episcopi causae, quem, Hincmaro instigante, a synodo Suessiinensi a. 862 depositum, ad apostolicam sedem appellantem, Nicolaus I restituit. Inter arma, quibus clerici Romam adversus eum appellantes, utebantur, praecipuum locum obtinent Decretales Pseudo-Isidorianae, quarum origo, etsi non parum obscura, certe initiis eius episcopatus coaeva et ab eius sede episcopali non multum aliena est. In

(1) Confer conspectum canonum et legum quas adducit in operibus suis apud H. SCHRÖRS, *Hinkmar, Erzbischof von Rheims*, Freiburg 1884, p. 391 ss. et 411 ss.

(2) Conf. MGH Concil. 2, 683 ss.

(3) Conf. MGH ib. 696-703 et supra n. 303 et LXXIX.

(4) Conf. Hincmari epistulas ML 126, 25-68 et 76-92.

impugnandis adversariorum Pseudo-Isidorianorum theoriis Hincmarus multum adlaboravit (1). Praecipui eius in hac causa operis *De variis capitulis ecclesiasticis* non supersunt nisi fragmenta a Bernoldo Constantiensi saec. XI in suum libellum De excommunicatis vitandis, de reconciliatione lapsorum et de fontibus iuris ecclesiastici inserta. (MGH Libelli de lite, 2, 112-142; ML 148, 1181-1218) (2).

Iam in hac causa, magis vero in ea quam cum nepote Hincmaro Laudunensi episcopo habuit (3). Hincmaro nostro auctoritas et iura episcopi metropolitani in suffraganeos, prout ipsa concipiebat, defendenda erant, quod praesertim fecit a. 870 in *Opere LV capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem* (ML 126, 282-494) et a. 871 in *Libello expostulationis adversus eundem* (ib. 566-634). A. 876 in synodo apud Pontigonem (Pontion) in qua Ansegis Sennonensis episcopus ut vicarius Papae per Gallias et Germaniam et primas Galliae renuntiatus est (4), Hincmarus per hanc primatiam iura sua et privilegia sedis imminui aestimans, obtulit suum tractatum *De iure metropolitanorum* (ML ib., 189-210), simul cum aspera critica iuramenti fidelitatis, quod ipsi et ceteris episcopis et fidelibus Karolo Calvo imperatori praestandum fuit (ML 125, 1125-28). Eodem anno scripsit tractatum Romano Pontifici per Karolum imperatorem offerendum: *De iudiciis et appellationibus episcoporum et presbyterorum* (ML ib. 230-244), a. 877 opusculum *De presbyteris criminosis* (ML 125, 1093-1110) quo modum inquirendi in presbyteros et poenas in ipsos statuendas exponit. Aliam et magis laudandam occasionem suam eminentem iuris peritiam ostendendi invenit Hincmarus in causa divortii quod Lotharius II rex contra Theutbergam uxorem (5) attentavit, conniventibus Guntharo Coloniensi et Theutgaudo Treverensi aliisque episcopis. Totum processum contra Theutbergam modumque quo usque ad a. 860 actus est, Hincmarus in libro *De divortio Lotharii regis et Theutbergae reginae* (ML 125, 633-745) acutissimae crisi subiecit, episcoporum

---

(1) Etsi Hincmarus nonnulla documenta collectionis Pseudo-Isidorianae pro spuriis cognoverit et impugnaverit, totam tamen collectionem, decretales praesertim, etiam eruditissimus ille canonum indagator cum coaevis pro authenticis habuit, et ab a. 852 adhibuit.

(2) L. Saltet, *Les réordinations*, Paris 1907, p. 395, ea quae in Bernoldi libello Hincmari sunt, distinxit.

(3) De initiis huius litis conf. ML 126, 279 ss.

(4) Conf. Iohannis VIII epistulam d. d. 2 Ian. 376 in MGH EPP 7, 315 s.

(5) Conf. supra n. LXXXV.

aulicorum fraudes detexit, matrimonii legitimitatem validissime defendit. Quaestiones iuris matrimonialis Hincmarus tractavit etiam in duobus opusculis: *De uxore Bosonis comitis, quae maritum reliquerat* (ML 126, 154-161) et *De nuptiis Stephani et filiae Regimundi comitis* (ib. 132-153). Fieri non potuit, quin vir tantae auctoritatis a quaestionibus iuris publici, ad regis praesertim munus et personam spectantibus tractandis abstineret. Maximi momenti hac ex parte sunt: *De regis persona et regio ministerio* (ML 125, 833-856) et *De ordine palatii* (BEHE 58, 1885 ed. M. Prou; FIGA, 1894 ed. V. Krause; ML 125, 993-1008). Privatam regis vitam respicit tractatus asceticus: *De cavendis* (regi) *vitiis et virtutibus exercendis* (ML 125, 857-930). Morti iam proximus, Sparnaci (Epernay) quo Nortmannorum invasionem fugiens Rhemis secesserat d. 8 Nov. a. 882, Hincmarus ultimam scripsit *Admonitionem* pro Karlomanno rege (ML 125, 1007-1018). Obiit ibidem d. 21 Decembris eiusdem anni. Quanto zelo Hincmarus disciplinae ecclesiasticae a clericis suis observandae invigilaverit, testantur varia *Statuta* ab eo edita (ML 125, 773-803). Ad tractandas quaestiones dogmaticas Hincmarum induxit quaestio de praedestinatione, a Gotescalco monacho suscitata [1]. Quae in hac materia supersunt opera eius: *Opusculum ad reclusos et simplices* (ed. W. Gundlach in ZKG X, 1890, 258-309), *De praedestinatione et libero arbitrio adversus Gothescalcum* (ML 125, 65-474) et *De una et non trina Deitate adversus eundem* (ML 125, 473-618) magnam eius eruditionem patristicam ostendunt. Doctrinam de praedestinatione exposuit etiam in epistula synodali Synodi Dusiacensis a. 860 (ML 126, 122-125). Magni momenti ut fons praecipuus historiae saec. IX sunt *Annales* q. v. *Bertiniani*, in quibus Hincmarus opus a Prudentio Tricassino episcopo ad a. 861 perductum assumens, historiam temporis sui usque ad a. 882 deduxit, multa facta historiae etiam ecclesiasticae, non solum regni Francorum sed etiam Italiae narrans (ed. G. Waitz in SSUS 1883; ML 125, 1203-1302). Dolendum sane tanti viri opera maxima ex parte nonnisi in Iacobi Sirmond editione a. 1645 prostare (ML 125, 126). Fons magni momenti ad cognoscendam Hincmari historiam est Flodoardi Historia ecclesiae Rhemensis (a. 948), in cuius libro III Hincmari regestum epistularum [2] inseruit (MGH SS 13, 474-555; ML 135, 137-262).

**348.** *Capitula presbyteris data.* Anno DCCCLII Kalendis Novembris conventu habito presbyterorum in metropoli civitate Rhemorum, inter caetera monita saluberrima, dum de legibus, atque rebus eclesiasticis ab Hincmaro praesule tractare-

---

(1) Conf. supra n. 330, 331.

(2) Conf. H. Schrörs, *Hinkmar*, p. 518-561: *Regestum Hincmari.*

tur, haec in ultimo prolata sunt memoriae comendanda, et summopere observanda :

... *Cap. 4. Ordinem reconciliandi*, iuxta modum sibi canonice reservatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes memoriter discat. Similiter ordinem et preces in exsequiis atque agendis defunctorum, nec minus exorcismos et benedictiones aquae et salis.

*Cap. 5.* Ut omni dominico die quisque presbyter in sua ecclesia ante missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase nitido et tanto ministerio convenienti, de qua populus intrans ecclesiam aspergatur : et qui voluerit in vasculis suis nitidis ex illa accipiant, et per mansiones, et agros, et vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non et super cibos et potum suum conspergant.

*Cap. 7.* Ut de oblatis, quae offeruntur a populo, et consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenienter partes incisas habeat in vase nitido et convenienti ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die Dominico, et in diebus festis, exinde accipiant. Et illa, unde eulogias presbyter daturus est, ante in haec verba benedicat, et sic accepturis distribuat, et micas ne incaute defluant custodiat : « Domine sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta et spiritali benedictione, ut sit omnibus cum fide, et reverentia, ac gratiarum tuarum actione sumentibus salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos, et universas cunctorum inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, panem vitae, qui de coelo descendit, et dat vitam ac salutem mundo, et tecum vivit, et regnat Deus in unitate Spiritus Sancti, per omnia saecula saeculorum. Amen ».

*Cap. 8.* Homilias XL Gregorii quisque presbyter studiose legat et intelligat; et ut cognoscat se ad formam LXXII discipulorum in ministerio ecclesiastico esse promotum, sermonem praedicti doctoris de LXXII discipulis a Domino ad praedicandum missis, plenissime discat, ac memoriae tradat. Computo etiam necessario, et cantu per anni circulum plenissime instruatur.

*Cap. 9.* Mane matutinali officio expleto,

pensum servitutis suae canendo primam, tertiam, sextam, nonamque persolvat : ita tamen, ut postea horis competentibus, iuxta possibilitatem, aut a se, aut ab scholasticis publice compleatur. Deinde peractis missarum solemniis, et fessis infirmis visitatis, ad opus rurale, et quod sibi competit, exeat ieiunus : ut iterum necessitatibus peregrinorum hospitum, sive diversorum commeantium, infirmorum quoque atque defunctorum, sucurrere possit, usque ad statutam horam pro qualitate temporis et opportunitate.

*Cap. 11.* Ut nullus presbyter praesumat calicem vel patenam, aut pallam altaris vel vestimentum sacerdotale aut librum ecclesiasticum tabernario vel negotiatori, aut cuilibet laico vel feminae in vadimonium dare. ... Et cui in tabernas ad bibendum a sacris canonibus ingredi prohibetur, sanctificata sacro ministerio nec ad contingendum immundis, quanto minus in vadimonium exhibere debet, sicut Stephanus sanctus papa et martyr ad sanctum Hilarium in suis decretalibus (1) docuit. ...

(ML 125, 773 ss.).

**349.** Haec omni anno investiganda sunt a magistris et decanis presbyteris per singulas matrices ecclesias, et per capellas parochiae nostrae, et nobis Kalendis Iuliis renuntianda. Similiter etiam investigandum et renuntiandum est nobis qualiter observentur et custodiantur illa quae capitulatim observanda presbyteris dedimus (2).

*1.* Inquirendum in qua villa, aut cuiuslibet sancti honore, praetitulatus sit presbyter, vel a quo fuerit ordinatus.

*2.* Si habeat mansum (3) habentem bunnuaria duodecim, praeter coemeterium, et curtem, ubi ecclesia et domus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor.

---

(1) Conf. *Decretales Pseudo-Isidorianae* ed. P. HINSCHIUS, Lipsiae 1863, p. 183 et E. LESNE, *La hiérarchie épiscopale en Gaule et Germanie 742-882*, Lille 1905, p. 299 ss.

(2) Conf. supra n. 348.

(3) Conf. Capitulare ecclesiasticum Ludovici Pii aa. 818/19, cap. 10 (MGH Capitul. 1, 277).

*3.* Quot mansos habeat in sua parochia ingenuiles et serviles aut accolas unde decimam accipiat.

*4.* Qualia sint indumenta altaris, quot nova et quot vetusta, qualiter nitida; quo metallo sint capsae et cruces coopertae, aut si diligenter reconditae sunt reliquiae in altari; si ipsae capsae seris munitae sunt.

*5.* Quos et quot libros habeat, aut si bene sint recitati.

*6.* Qualia aut quot sacerdotalia vestimenta habeat, et qualiter sint nitida, aut in nitido loco collocentur.

*8.* Quo metallo sit calix et patena, aut qua diligentia custodiantur, aut si habeat pyxidem, ubi congrue possit recondi sacra oblatio reservanda ad viaticum infirmis.

*9.* Ut chrisma et oleum consecratum sub sera recondantur.

*10.* Si ipse presbyter visitet infirmos, et inungat oleo sancto, et communicet per se et non per quemlibet et ille ipse communicet populum nec tradat comunionem cuiquam laico ad deferendum in domum suam causa cuiuslibet infirmi.

*11.* Si habeat clericum qui possit tenere scholam aut legere epistolam aut canere valeat prout necessarium sibi videtur.

*14.* Quo metallo habeant ibidem signa.

*16.* Ut ex decimis quatuor portiones fiant iuxta institutionem canonicam, et ipsae sub testimonio duorum aut trium fidelium studiose et diligenter dividantur: et ut de duabus portionibus, ecclesiae et episcopi, ratio reddatur per singulos annos quid inde profecerit in ecclesia.

*17.* Ut matricularios habeat [1] iuxta qualitatem loci, non bubulcos aut porcarios, sed debiles et pauperes, et de eodem dominio. Nisi forte ipse presbyter habeat fratrem, aut aliquem propinquum debilem, aut pauperrimum, qui de eadem decima sustentetur: reliquos autem propinquos, si iuxta se habere voluerit, de sua portione vestiat atque pascat.

*18.* Investigandum similiter, si nihil patrimonii habens, quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit praedia, cuius iuris sint: quoniam eccle-

---

[1] Conf. supra n. 233.

siae, ad quam de nihil habentibus promotus est, esse debent iuxta canonicae auctoritatis decretum. ... (ML 125, 777 ss.).

**350.** *Capitula presbyteris data a. 856. 1.* Ut unusquisque sacerdos maximam providentiam habeat, quatenus, si forte in parochia sua publicum homicidium, aut adulterium, sive periurium, vel quodcunque criminale peccatum publice perpetratum fuerit, statim, si auctorem facti vel consentientem adire potuerit, hortetur eum quatenus ad poenitentiam veniat coram decano et compresbyteris suis, et quidquid ipsi inde invenerint vel egerint, hoc comministris nostris, magistris suis, qui in civitate consistunt, innotescat: ut infra quindecim dies ad nostram praesentiam publicus peccator, si intra parochiam nostram fuerimus, veniat, et iuxta traditionem canonicam poenitentiam cum manus impositione accipiat: et si longius a parochia nostra fuerimus, annus et dies Kalendarum subtiliter describatur, quando peccatum publicum quisque admisit, et quando ad poenitentiam coram ministris venit, vel quando ad impositionem manus nostrae pervenit. Et semper de Kalendis in Kalendis mensium, quando presbyteri de decaniis simul conveniunt, collationem de poenitentibus suis habeant, qualiter unusquisque suam poenitentiam faciat, et nobis per comministrum nostrum renuntietur, ut in actione poenitentiae pensare valeamus, quando quisque poenitens reconciliari debeat. Et si forte quis ad poenitentiam venire noluerit infra quindecim dies post perpetrationem peccati, et exhortationem presbyteri in cuius parochia actum fuerit, et sedulitatem decani ac compresbyterorum suorum, atque instantiam comministrorum nostrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetravit, et ad poenitentiam redire contemnit, a coetu Ecclesiae, donec ad poenitentiam redeat, segregetur. Et sciat quisque presbyter, quia si per alium nobis cognitum fuerit quod in sua parochia admittatur, et tardius ad nostram notitiam perlatum fuerit, tantos dies a ministerio suspensus in pane et aqua excommunicatus morabitur, quantos dies nostram vel comministrorum nostrorum notitiam ipsa actio, sine illius suggestione, et debita ac iussa commonitione, supertransierit: et in cuius negligentia peccator publicus non commonitus post tantos dies sicut praefiximus obierit, sciat se quisque presbyter gradum amissurum. Hoc tamen

omnimodis ab omnibus caveatur, ut nemo poenitens, et cum devotione petens, ultima poenitentia vel ultimo viatico defraudetur : ea convenientia, ut si convaluerit, secundum ecclesiaticas regulas poenitentiam agat, et reconciliationem, quantum Deus sibi concesserit, in ordine poenitentium expetat et expectet. ... (ML 125, 793 ss.).

**351.** *Opus LV capitulorum adv. Hincmarum Laudunen.* c. 24. ... De sententiis vero, quae dicuntur ex Graecis et Latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac ducum Romanorum collectae ab Adriano papa, et Engelramno Metensium episcopo datae, quando pro sui negotii causa agebatur, ex quibus quaedam tuis commentis interposuisti (1), quam dissonae inter se habeantur, qui legit satis intelligit, et quàm diversae a sacris canonibus , et quam discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis iudiciis habeantur, ut hic quaedam de plurimis ponam, evidenter manifestatur. .. Si vero ideo talia quae tibi visa sunt, de praefatis sententiis, ac saepe memoratis epistolis, detruncando et praeposterando, atque disordinando collegisti (2), quia forte putasti neminem alium easdem sententias, vel ipsas epistolas, praeter te habere, idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus (3) in huiusmodi sicut et in

(1) Sic dicta « Capitula Angilramni » (ed. P. Hinschius, *Decretales Pseudo Isidorianae*, p. 757 ss.). Eorum fons praecipuus est spuriorum capitularium collectio, cuius compilator « Benedicti Levitae » nomen sibi usurpavit (ed. MGH ed. Pertz LL II, 2, 17-158). Singulorum capitulorum fontes egregie enucleavit E. Seckel, *Studien zu Benedictus Levita* in NA 1901-1917.

(2) Contra Rhemensem Laudunensis libellum ex Pseudo-Isidorianis scriptis compilaverat, quem in codice olim Suessionensi, nunc Berolinensi Phillippsiano 1764 invenit E. Seckel (Conf. SBA 1916, p. 419 et V. Rose, *Verzeichniss der latein. Handschriften der kgl.-Bibliothek zu Berlin*, I, Berlin 1893, p. 190 ss.

(3) « Haec vero capitula... sparsim invenimus, et maxime in sancte Mogontiacensis metropolis ecclesie scrinio a Riculfo eiusdem sancte sedis metropolitano recondita »... (Benedictus Levita, in praefatione, MGH ed. Pertz, LL II, 2, p. 39).

capitulis regiis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit. In cuius praefatione idem Isidorus dicit de apostolorum canonibus (1), quod a quibusdam dicantur apocryphi, et plures eos recipiant, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, et inter canonicas constitutiones posuerunt: quod de quibusdam sententiis verum est, sicut alibi in hoc opusculo potes legere. Differentiam quoque inter epistolas quas collegit et sacros canones, ex verbis beati Gelasii, quibus et sua verba interposuit, fecit. De Nicaeno autem concilio non est ita ut scripsit, sicuti multis auctoritatum testimoniis approbatur: et quod de pascha ex epistola Theophili protulit, qui ecclesiasticas historias legit, in eodem concilio de pascha cum capitulis ibidem constitutis epistolam conditam reperit. De cuius scilicet Isidori dictis, sed et de epistola Damasi, quam suae praefationi supposuit, et collectioni praeposuit, quaedam possem prolixius ostendere. Sed cum ad ea quae hinc sunt opus, apostolicae sedis Leonis, et Gelasii, ac caeterorum pontificum Romanorum post Damasum, sufficientissime auctoritas et explanatio suppetat, superfluum duxi non necessaria in medium devocare, ne illud poeticum mihi obiiceres: « Tu ne forte feras in silvam ligna, viator ». Tu dicis, ut audivi, quia non ego solus sapio canones et verum dicis. Accepto prorsus hoc dictum, non quia tuum est, sed quia verum est. Et ego dico, quia non tu solus bene intelligis canones, et verum dico. Recipe igitur hoc dictum, non quia meum est, sed quia verum est. Et si tu te putas scire quae non didicisti, ego illum hominem solum dico esse, qui scivit quae non ab homine didicit, de quo admirantes dicebant Iudaei: « Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? ». Et ideo potuit per idiotas et piscatores docere oratores, et subiugare sibi imperatores. Et quia ego dico illum solum hominem esse, qui scivit quae ab homine non didicit, tu videbis de Paulo, qui dicit se non didicisse ab homine, sed per revelationem Iesu Christi, quem idem Paulus hominem esse non denegavit, quando dicit se nihil scire, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum: quia Iesus Deus et homo, quoniam divinitas crucifigi non potuit, homo est qui crucifixus fuit. Tu me reprehendis quia dico, quoniam antequam tu fuisses natus, ego canones scivi, iactans te cur non tibi liceat scire, qui post me didicisti, quod ego scio qui ante te didici. ... (ML 126, 377, 379 s.).

(1) Conf. infr. n. 356, p. 474.

352. *Libellus expostulationis adv. Hincmarum Laudunen.* cap. 26. De eo autem quod dicit idem Hincmarus : « Sed non est mirum, si parvitatis meae excommunicationem parvipenditis, ac forte irrationabilem iudicatis, quando apostolicae sedis excommunicationem et pro nihilo ducendam, utpote absurdam, praedicatis »; cum eo legaliter, ac regulariter est mihi, consilio et auxilio vestro agendum. Qualiter autem de apostolicae sedis, quae est omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum mater et magistra, et cuius pontifex, patriarcha est patriarcharum, et primas primatum cunctarum provinciarum, ligatione atque solutione sentiam atque teneam, ut sciatis mendaciter hinc me ab Hincmaro calumniatum; quanquam decernat Africanum concilium, « ut quotiescunque clericis ab accusatoribus multa crimina obiiciuntur, et unum ex ipsis, de quo prius egerit, probare non valuerint, ad caetera iam non admittantur » : coram vobis expono, sicut corde credo ad iustitiam, et ore confiteor ad salutem. Et sicut ex doctrina beati Leonis, eiusdem sanctae et primae sedis pontificis didici, qui in sermone sui natalis, inter caetera dicit : « Quod dicitur beatissimo Petro, " Tibi dabo claves regni coelorum, et quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis " transivit quidem etiam in alios apostolos ius istius potestatis, et in omnes Ecclesiae principes decreti huius constitutio commeavit : sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiae rectoribus Petri forma proponitur ». Manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur aequitate iudicium : nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nihil est ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus aut ligarit, aut solverit : qui regem coelorum ut Augustinus et caeteri doctores exponunt, maiore prae ceteris devotione confessus est; merito prae ceteris ipse collatis clavibus regni coelestis munere donatus est : ut constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum coelorum nullus possit intrare. Claves autem regni coelorum ipsam discernendi scientiam, potentiamque iudiciariae potestatis nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos secludere debet a regno. Unde Dominus manifeste subiunxit : « Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis ». Quae solvendi ac ligandi potestas, quamvis soli Petro data videatur a Domino; absque ulla tamen dubietate noscendum est, quia et caeteris apostolis da-

tur, ipso teste, qui post passionis resurrectionisque suae triumphum apparens eis insufflavit et dixit omnibus: « Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ». Nam sicut interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit unus pro omnibus; ita et quod Petro Dominus respondit, in Petro omnibus respondit: necnon etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni Ecclesiae officium idem committitur, ut videlicet agnitis peccantium causis, quoscunque humiles ac vere poenitentes respexerit, hos iam a timore perpetuae mortis miserans absolvat: quos vero in peccatis quae egerunt persistere cognoverit, illos per (eam) omnibus suppliciis obligandos insinuet. Unde alias Dominus, de correpto semel et iterum ac tertio, sed non poenitente fratre, praecepit dicens: « Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus ». Et ne leve quisque putaret Ecclesiae se iudicio condemnari, mox terribiliter adiunxit: « Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo ». Omni igitur electorum Ecclesiae, iuxta modum culparum, vel poenitentiae, ligandi ac solvendi datur auctoritas. Sed idem beatus Petrus, qui Christum vera fide confessus, vero est amore secutus, specialiter claves regni coelorum, et primatum iudiciariae potestatis, et curam pascendarum ovium Dominici ovilis accepit; et in primatu illius successores ipsius in sede eius acceperunt: ut omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab unitate fidei, vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possunt regni coelestis ingredi. De qua obligatione vel solutione episcopali, quod nobis apostolicae sedis filiis ac discipulis, satis tremendum, et cavendum, atque observandum est, S. Gregorius in homilia Evangelii dicit: « Saepe in ligandis ac solvendis subditis pastor suae voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur. Unde fit, ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subiectorum moribus exercet. Unde recte per prophetam dicitur: Mortificabant animas, quae non moriuntur: et vivificabant animas, quae non vivunt ». Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: et non victurum vivificare nititur, qui reum supplicio absolvere conatur: ac saepe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus

solvat. Causae ergo pensandae sunt, et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Caeterum sicut B. Augustinus, et caeteri catholici doctores dicunt, non sunt ligamenta vel solutiones sanctae Ecclesiae, qua contra sanctam Ecclesiam fiunt; vel ab his fiunt, qui contra dogmata catholicae Ecclesiae sentientes, contraria ipsi Ecclesiae ligant, vel solvunt. Sancta quippe Ecclesia dicit: « Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo, lavabo inter innocentes manus meas ». In cuius solius catholicae Ecclesiae unitate, quae per haereses et schismata non est divisa, ut vera sunt sacramenta, ita vera sunt ligamenta atque solutiones; quae edificata est super petram: quae unica columba appellatur: quae sponsa pulchra sine macula et ruga: et hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae vivae, paradisus cum fructu pomorum, locus penes Deum in quo solide statur, et locus auro in quo confletur; et domus Dei quae claves regni coelorum accepit, ac potestatem ligandi et solvendi. Hanc domum si quis corrigentem corripientemque contempserit, praecipitur a Domino, ut sit sicut ethnicus et publicanus. Ita de ligatione et solutione sanctae catholicae Ecclesiae, et apostolicae sedis pontificis, sed et subiectorum sibi episcoporum ex eiusdem apostolicae sedis doctrina credendum et tenendum, atque sequendum accepi: et ita credo teneo, et sequor. Et qui aliter de me dixit atque dixerit, ostendet se esse malivolum, et me probare non poterit non esse catholicum: se autem comprobavit mendacem criminatorem, et non criminis esse me reum. Quae autem mihi discenda sunt, et libenter et obedienter ab illius summae sedis catholicae doctrina paratus sum discere, tenere et loqui; quae in primatu B. Petri, cui Dominus trina repetitione pascendas suas oves commisit, et ut confirmaret fratres suos praecepit, privilegium primatus omnium Ecclesiarum in toto orbe terrarum accepit. (ML 126, 608 ss.).

353. *Iuramentum episcoporum in synodo apud Pontigonem a. 876* (1). Sic promitto ego, quia de isto die in antea

(1) Idem est ac illud, quod episcopi Italiae in conventu Papiae mense Februario eiusdem anni iuraverunt. Contra hoc iuramentum Hincmarus scripsit suas animadversiones: ML 125, 1125-1128. Conf. infra n. 373.

isti seniori meo (1), quamdiu vixero, fidelis et obediens et adiutor, quantumcumque plus et melius sciero et potuero, et consilio et auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude et malo ingenio et absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione et absque respectu alicuius personae, et neque per me neque per missum neque per literas, sed neque per emissam vel intromissam personam vel quocumque modo vel significatione contra suum honorem et suam ac Ecclesiae atque regni sibi commissi quietem et tranquillitatem atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam, neque aliquod umquam scandalum movebo, quod illius praesenti vel futurae saluti contraria vel nociva esse possit. Sic me Deus adiuvet, et ista sanctorum patrocinia.

(MGH Capitul. 2, 100).

**354.** *Synodus apud s. Macram (Fismes), a. 881.*

... *1.* Haec namque sunt sacerdotalis officii, et regii ministerii: quia sicut in sacris legimus litteris, duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regia potestas. Solus enim Dominus noster Iesus Christus vere fieri potuit rex et sacerdos. Post incarnationem vero, et resurrectionem, et ascensionem eius in coelum, nec rex pontificis dignitatem, nec pontifex regiam potestatem sibi usurpare praesumpsit, sic actionibus propriis dignitatibusque ab eo distinctis, ut et Christiani reges pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro temporalium rerum cursu regum dispositionibus uterentur: quatenus spiritalis actio a carnalibus distaret incursibus, et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus. Et tanto est dignitas pontificum maior quam regum, quia reges in culmen regium sacrantur a pontificibus, pontifices autem a regibus consecrari non possunt: et tanto gravius pondus est sacerdotum, quam regum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem: et tanto in humanis rebus regum cura est propensior, quam sacerdotum, quantum pro honore et defensione ac quiete sanctae Ecclesiae, ac rectorum et ministrorum ipsius, et leges pro-

(1) Karolo Calvo imperatori; ad vocem « senior » conf. supra n. 224 c. g.

mulgando, ac militando, a Rege regum est eis curae onus impositum. Et legimus in sacris historiis quia cum sacerdotes in regimine regni reges ungebant, et diademata capitibus illorum imponebant, legem in manibus eis dabant, ut discerent et scirent qualiter se et subiectos sibi regere, et sacerdotes Domini honorare debeant. Legimus etiam in sacra historia quia Ozias rex praesumpsit incensum ponere quod non regii, sed sacerdotalis erat ministerii : lepra est a Deo percussus, et de templo a sacerdotibus eiectus, et in domo sua est usque ad mortem reclusus.

*2.* Denique si pro salute regis ac reipublicae ministrorum et pro ministerio indignitati nostrae commisso in processu aliqua dixerimus, quae carnalibus animis valeant displicere ... n o s p r i u s verbis sancti Gregorii, ex homilia quam de evangelio tractavit tempore synodi episcoporum, a c c u s a m u s : quoniam ad exteriora negotia, partim necessitate barbarici timoris, partim negligentia nostri temporis dilapsi sumus, et aliud ex honore susçepimus, atque aliud officio actionis exhibemus. Ministerium praedicationis relinquimus, et ad poenam nostram, ut video, episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutem tenemus. Relinquunt namque Deum hi, qui nobis commissi sunt, et tacemus; in pravis actibus iacent, et correctionis manum non tendimus; quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quando nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? ... Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo vitae suae merito vulgi transcendit actiones. E c c e i a m p e n e n u l l a e s t s a e c u l i a c t i o, q u a m n o n s a c e r d o t e s a d m i n i s t r e n t. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicimus, quibus quotidie percussionibus intereat populus, videmus. Cuius hoc nisi n o s t r o praecipue p e c c a t o agitur? Ecce depopulatae urbes, eversa castra, ecclesiae ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacti sunt [1], sed n o s p e r e u n t i p o p u l o a u c t o r e s m o r t i s e x i s t i m u s, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex n o s t r o etenim p e c c a t o populi turba prostrata est, quia , faciente nostra negligentia, ad vitam erudita non est. ... (ML 125, 1071 s.).

---

[1] Ab a. 880 Normanni Rheni inferioris ripas vastabant; conf. Böhmer, *Reg. Imp.* I, ed. 2, p. 665, 667 ss.

355. Domino Ludovico (1) regi glorioso Hincmarus episcopus ac plebis Dei famulus. Episcopi qui apud martyrium canctae Macrae in nomine Christi convenimus, non pro ulla indebita voluntate, sed pro sanctae Ecclesiae ac vestro et regni vobis commissi honore ac salvamento, sicut scripta demonstrant, quae vobis per consacerdotes nostros transmisimus, reiecta praesumptione cleri et plebis ecclesiae Belvacensis (2), qui personam regulis sacris incongruam, cum decreto singulorum manibus roborato, nobis praesentaverunt in synodo, veluti iam fuit actum, quando Fromoldum quemdam elegerunt, et reiecto illo propter insipientiam et improbitatem. Odo ex vicina parochia ibidem cum decreto canonico fuit electus. Relectis coram omnibus qui adfuerunt sacris canonibus, secundum easdem sacras leges constituimus designatos ex nomine dilectos fratres et venerabiles coepiscopos nostros, per quos vestrae dominationi litteras direximus, in quibus inter caetera haec continentur : « Ut sicut sacrae leges et regulae praecipiunt, archiepiscopis et episcopis collimitanearum dioceseon electionem concedere dignemini, ut undecunque, secundum formam regularem electionis, episcopi talem eligant, qui et sanctae Ecclesiae utilis, et regno proficuus, et vobis fidelis ac devotus cooperator existat : et consentientibus clero et plebe eum vobis adducant, ut secundum ministerium vestrum res et facultates Ecclesiae, quas ad defendendum et tuendum vobis Dominus commendavit, suae dispositioni committatis, et cum consensu ac litteris vestris eum ad metropolitanum episcopum ac coepiscopos ipsius dioeceseos, qui eum ordinare debent transmittatis, et sic sine scandali macula ad sanctum sacerdotium provehatur ». Et reliqua quae inde ibi sequuntur. In quibus verbis nulla indebita cuiuscunque voluntas, nihil contra Domini voluntatem, nihil contra vestrum honorem, nihil contra regni vobis commissi resonat salvamentum : sed ordinis plenitudo, qualiter electus vitae merito et sapientiae doctrina a metropolitano et provinciae coepiscopis debeat iuxta Nicaenum sanctum et magnum concilium regulariter ordinari. ... Debetis igitur incunctanter advertere, sicut sanctus papa Leo ad Leonem Augu-

(1) Ludovico III, Ludovici Balbi filio, 779-882.

(2) Beauvais, cuius episcopus Odo obierat die 26 Ianuarii 881.

stum scripsit, regiam potestatem vobis non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendatis, et veram pacem his quae sunt turbata restituatis. Quod et optare et quaerere atque servare debetis, sicut antecessores vestri imperatores et reges fecerunt. Et non debetis inflexibilem Dei voluntatem, qui si mutat sententiam non mutat consilium, ad humanam et fragilem voluntatem vestram velle inflectere, quod fieri non potest, sed vestram voluntatem Dei voluntati subdere, sicut Christus nobis et omnibus Christianis, ex humanitate sua loquens, sequendum dedit exemplum, dicens : « Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem eius qui misit me Patris »; et : « Fiat non sicut ego volo, sed sicut tu vis, Pater ». Si enim a divina voluntate humana voluntas vestra perseveranter, quod non permittat Dominus, discordaverit, respondenda sunt ministerio episcopali apostolorum verba : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus »; et « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui ». Nam si quod a quibusdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent episcopi et clerus ac plebs eligere, quem vos vultis, et quem iubetis, quae non est divinae legis electio, sed humanae potestatis extorsio, si ita est, ut dici a quibusdam audivi, ille malignus spiritus, que per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit et inde illos eiecit, per tales adulatores in aures vestras haec sibilat; quia hoc in Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti non continetur, neque in catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus a christianis imperatoribus et regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur, sed talia dicta infernus evomuit. ...

Sunt qui dicunt, ut audivi, quia res ecclesiasticae episcopiorum in vestra sint potestate, ut cuicunque volueritis eas donetis. Quod si ita est, ille malignus spiritus, qui, ut superius praemissum est, primos parentes nostros perdidit perditionem vestram in aures vestras susurrat. ... Recordamini, quaeso, professionis vestrae, quam in die

consecrationis vestrae (1) promisistis, sicut ab illis qui interfuerunt accepimus, quamque manu propria subscripsistis, et super altare coram episcopis omnibus qui adfuerunt Domino obstulistis : et diligenter relegi eam facite coram vobis et fidelibus vestris, quorum consilio et auxilio sanctam Ecclesiam et regnum vobis commissum gubernare debetis, et si aliquid per ignorantiam, vel aliorum suggestionem, ab ea exorbitastis, nolite negligere inde Domino satisfacere. Et quod in epistola mihi directa et in synodo relecta scripsistis, sicut vobis expedit attendite. Sic enim ibi est scriptum : « Iungamur simul, ut ego rex, et vos sacerdos Dei, ministerium condigne tam in divinis quam in humanis adimplere valeamus officiis ». Quatenus devotione et operatione ostendatis, quia Christus, a quo legitimus omnis episcopatus cepit exordium, et omnis principatus accepit provectum, auctor sit vestri regiminis, et protector fiat vestrae sublimitatis. Per quem vos obsecro episcopali ministerio, talia vestro tempore in sanctam Ecclesiam introducere non tentetis, qualia magni imperatores et antecessores vestri suis temporibus introducere non praesumpserunt. ...

De eo quod scripsistis, quia si vestrae voluntati, ecclesiasticis videlicet regulis contrariae, obsecutus fuero, eos quos mihi chariores et familiariores cognoveritis honorare in omnibus curabitis, tantummodo ut in hac petitione vestra vobis consentiam, non meis, sed sacrorum canonum verbis respondeo, quia secundum eosdem sacros canones, pro indigentibus, et mihi coniunctis, et pro aliis sicut praecipiunt, ad salutis vestrae augmentum et potestatis honorem, regiam potestatem vestram petitionibus adire curabo, quandiu Dominus me in corpore morari praeceperit. Verum, sicut sanctus Innocentius papa dicit : « Sollicitos vos pro salute libenter audio; contra caput autem non libenter admitto ». Et sanctus Gregorius exponens sententiam Evangelii : « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus », dicit : « Quoniam quisquis iam aeterna concupiscit, in ea quam aggreditur causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra uxorem, extra filios, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet, ut eo verius cognoscat Deum, quo in eius causa neminem recognoscit ». Unde in hoc episcopali ministerio carnalem pro-

(1) Conf. Capitula electionis Ludovici Balbi a. 877 MGH Capitul. 2, 363 s s. Ludovicus III coronatus est mense Septembri a. 879.

pinquum, nec amicum videlicet animi familiarem, carnali affectu recognosco, sed sententiam Domini attendo, qui dicit: « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, hic fur est et latro ». Et ideo neminem eligo, neminem cognosco, neminem recipio, nisi qui vita et moribus, et scientiae catholicae doctrina, per claves Ecclesiae ad hoc episcopale ministerium accedit, et sciat et faciat quod sacrum ministerium postulat. Et quoniam « Non est Deus personarum acceptor, sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi », in hac causa nullius personam accipio, sicut sanctus propheta virum iustum describens dicit: « Qui excutit manus suas ab omni munere ». Neque enim dixit tantum a munere, sed addidit ab omni, id est a munere manus, a munere linguae, a munere obsequii, sicut iam vobis scripsi, si mente voluissetis recondere. ... (ML 126, 110 ss.).

## LXXXIX. ANASTASIUS BIBLIOTHECARIUS

Qua in Francorum regno pollebat auctoritate Hincmarus, hac eodem tempore Romae valebat Anastasius, immo eruditione Hincmarum vir graecis litteris apprime excultus superabat. Initia quidem vitae eius publicae minus laudanda: Anno c. 847 a Leone IV consecratur presbyter cardinalis tituli s. Marcelli, mox tamen Roma fugit et non obstantibus gravissimis intimationibus non rediit. A. 850 excommunicatur, a. 853 anathemate et depositione plectitur (1). A. 855 vix electo Leonis successore Benedicto III, Anastasius a factione, ut videtur, imperiali antipapa eligitur, et Romam ingressus Benedictum custodiae mancipari iubet. Post 3 dies eicitur, Benedictus restituitur (2). Post aliquot tempus ab ipso Benedicto ad communionem laicam admissus, vitam mutasse videtur. A Nicolao I abbas monasterio S. Mariae trans Tiberim praeficitur et mox, certe ab a. 862, dictandis epistulis papae adhibetur. Hadrianus II ei communionem ecclesiasticam concessit, eumque munere bibliothecarii Romanae ecclesiae insignivit, quo certe adhuc a. 873 fungebatur. A. 869 legatus imperatoris Ludovici II Constantinopolim missus est, ibique synodo VIII interfuit. Ipsius cura servatum est exemplar actorum huius synodi. Captis enim a Slavis piratis legatis papae (3), exemplar, quod ipsi ferebant, periit,

(1) Conf. quae Hincmarus in Annalibus Bertinianis fuse de hac re narrat (SSUS p. 92 ss.; ML 125, 1238-1242.

(2) Conf. LP ed. Duchesne, II, 141 ss.

(3) Conf. LP II, p. 184

solum Anastasii exemplar Romam pervenit. Post a. 877 eius nomen in documentis non apparet, quando vero obierit, ignoramus. Eius opera fere omnia, graecorum textuum versiones in linguam latinam sunt. Inter istas historiam ecclesiasticam praecipue respiciunt: *versiones gestorum synodorum VII et VIII* (ML 129, 205-542 et 27-196); *Collectanea*, i. e. versiones documentorum ad causam Monotheletismi et Honorii papae I pertinentium (ML ib. 557-690); *Acta s. Martini I papae* (ML ib. 585-604, ab editore inepte inter Collectanea inserta); Anastasii *Historia ecclesiastica* (ed. C. DE BOOR, *Theophanis Chronographia* II, Lipsiae 1885,. p. 31-346) compilata est ad instar Historiae tripartitae Cassiodori ex Nikephori, Synkelli et Theophanis historiis (1), in latinum sermonem ab Anastasio translatis. Caetera eius opera sunt versiones vitarum sanctorum Graecorum. Singulis operibus praefationes vel epistulas nuncupatorias praemisit (MGH EPP 7, 395-442), quarum nonnullae singularis momenti sunt, praesertim eae, quas actorum conciliorum VII et VIII translationibus praeposuit (MGH ib. 403-415 et 415-418). Inter eius epistulas illa praecipue notanda, quam ad Gaudericum Veliternensem episcopum scripsit a. 875 (MGH ib. 435-438) in qua complura de inventione reliquiarum s. Clementis per s. Cyrillum in Chersoneso narrat. Inepte a saec. XVI Anastasius auctor Libri Pontificalis putabatur; ne quidem Vitam Nicolai I eum scripsisse certe constat. De apostolica sede optime meritus est, trium pontificum Nicolai I, Hadriani II, Iohannis VIII epistulis scribendis operam navans.

**356.** *Epistula, versioni actorum VII synodi universalis praemissa.* Domino coangelico Iohanni (2) summo pontifici et universali papae Anastasius exiguus. Interpretata nuper decessore vestrae beatitudinis Hadriano reverendae memoriae papa sancta octava et universali synodo indecorum et inconveniens arbitratus sum septimam universalem synodum, quae praesidente in vicariis suis beatae recordationis praedecessore vestro Hadriano apud Nicaeam secundo conveniens sub Hirene seu Constantino imperatoribus celebrata est, non habere Latinos. Nam nulla ratione octava dicitur vel teneri poterit, ubi septima non habetur, non quod ante nos minime fuerit interpretata, sed quod interpres pene per singula relicto utriusque linguae idiomate adeo fuerit verbum e verbo secutus, ut, quid in eadem editione intelligatur,

(1) Conf. K. KRUMBACHER, *Geschichte der byzant. Litteratur*, München 1897, p. 344 s.

(2) Iohanni VIII.

aut vix aut numquam possit adverti in fastidiumque versa legentum pene ab omnibus hac pro causa contemnatur (1). Unde a quibusdam nec ipsa lectione, ut non dicam transscriptione, digna penitus iudicatur. Quod ipse intuens nec proprio infirmo corpori parcens auxiliante Domino hanc nisus sum interpretari Latinis, indecens et incongruum censens vestram maxime, omnium ecclesiarum magistram, Romanam videlicet ecclesiam, eadem synodo defraudari, cum videam posteriori, id est octava, magnificentissime decorari (2); praesertim cum sacrae bibliotecae vestrae, cuius minister vestra dignatione consisto, ex hoc, quod desuper mihi datum est, debitor sim ministrare, si tamen emulatus apostolum ministerium meum studeam honorare. Sane notandum est quaedam in hac synodo ex apostolorum et sextae universalis synodi canonibus et sententiis inveniri, quae penes nos interpretata nec habentur nec admittuntur. Et certe de apostolorum canonibus liquido novimus quoniam his quidam facilem non praebuere consensum. Sed et praedecessor vester beatissimus papa Stephanus non amplius ex his quam quinquaginta recipiendos synodice promulgavit, licet quaedam constituta pontificum ex ipsis canonibus assumpta esse videantur. Unde apostolatu vestro decernente non solum illos solos apostolorum quinquaginta canones Ecclesia recipit, sed et omnes eorum utpote Spiritus sancti tubarum, quin et omnium omnino probabilium patrum et sanctorum conciliorum regulas et institutiones admittit, illa dumtaxat, quae nec rectae fidei nec probis moribus obviant, sed nec sedis Romanae decretis ad modicum quid resultant, quin potius adversarios, id est hereticos, potenter impugnant. Ergo regulas, quas Greci a sexta synodo perhibent editas (3), ita in hac synodo principalis sedes admittit, ut nullatenus ex his illae recipiantur, quae prioribus canonibus vel decretis sanctorum sedis

(1) Conf. supra p. 327, et n. 277, cap. 2.

(2) Ipso Anastasio interprete; conf. eius praefationem ex a. 871 in MGH EPP 7, 403-415.

(3) Agitur de canonibus concilii Quinisexti sive Trullani a. 692 (Conf. KIRCH, n. 1089-1107).

huius pontificum aut certe bonis moribus inveniuntur adversae, quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitae, quia nec interpretatae, sed nec in ceterarum patriarchalium sedium, licet Greca utantur lingua, reperiantur archivis : nimirum quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans aut consentiens aut saltim praesens inventa est, qanquam eosdem patres illas Greci promulgasse perhibeant, qui in sexta synodo sunt inventi, sed hoc nullis probare certis possunt indiciis. In eo sane, quo frequenter universalem in hac synodo Greci patriarcham suum inconvenienter appellant (1), apostolatus vester adolationi veniam det saepe praelatis suis non sine reprehensione placere studentum. Verum cum apud Constantinopolim positus frequenter Grecos super hoc vocabulo reprehenderem et fastus vel arrogantiae redarguerem, asserebant, quod non ideo oecomenicon, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat praesulatum, sed quod cuidam parti praesit orbis, quae a christianis inhabitatur. Nam quod Grece oecumeni vocatur, Latine non solum orbis, a cuius universitate universalis appellatur, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur. Sed et illud notandum, quoniam ubicumque in huius synodi textu subsistentiam posui, personam intelligi volui. Quod enim Grece hypostasis dicitur, hoc nonnulli personam, nonnulli vero subsistentiam interpretati sunt. Porro subsistentiam multi personam, multi vero substantiam esse intellexerunt. At ego illos secutus, qui subsistentiam non substantiam, sed personam intellegi voluerunt — magni quippe sunt — ubicumque Grece in hoc codice hypostasin repperi, in subsistentiam transtuli, hanc personam, sicut et alii quam plurimi, volens intelligi. Tanta igitur auctoritate sancta Ecclesia praedita non potest dissimulare; non potest quisquam semet rationabiliter ab i[illegible]um adoratione sacrarum avertere. Alioquin vestra debet pia doctrina doceri censuraque apostolica corrigi, praesertim cum nulli sit fas a suo capite dissidendi nec, quod vestram viderit tenere sedem, quae omnium est magistra, quoquomodo respuendi. Quae enim super venerabilium imaginum adoratione

(1) Conf. supra p. 82 not. 1.

praesens synodus docet, haec et apostolica vestra sedes, sicut nonnulla conscripta innuunt, antiquitus tenuit (1) et universalis Ecclesia semper venerata est et hactenus veneratur, quibusdam dumtaxat Gallorum exceptis, quibus utique nondum est harum utilitas revelata. Aiunt namque, quod non sit quodlibet opus manuum hominum adorandum, quasi non sit codex evangeliorum opus manuum hominum, quem cotidie osculantes adorant, venerabilior cane, quem non esse opus manuum hominum procul dubio non negabunt. Similiter et forma sanctae crucis, qam se adorare omnes ubique christiani fatentur. In quo videlicet considerare libet, quia si quamlibet crucem auream vel argenteam aut ligneam adoramus, quae utique non est eadem ipsa crux, in qua salus nostra patrata est, sed figura et imago eius, quare non adoremus figuram et imaginem eius, qui eandem salutem operatus est in medio terrae? Venerabilior namque est, qui salutem operatus est, quam ea materia, in qua idem salutem operatus est. Ac per hoc magis est adoratione digna imago Christi salutem operantis quam imago crucis salutem tantummodo baiulantis. Quam ob rem, beatissime papa, super montem excelsum ascende, sta in fortitudine, quasi tuba vocem exalta. Ecce enim Deo auctore, angelo tuo, ut quondam Petri, percutiente latera surrexisti, lumbos accinxisti, lucernam accendisti, zelo Dei comederis. Superest tantum, ut fidem, quam credis, doceas, viam, quam tenes, cunctis ostendas, quatinus Deo auctore, te filio excussorum, prophetarum scilicet et apostolorum, ductore ac praevio nos omnes oves Christi sollertiae tuae per Petrum et in Petro commissae inoffensis gressibus incedamus et ad amoena vitae perennis pascua Christo aperiente, qui claves regni in ipso et per ipsum tibi tradidit, feliciter ingredi mereamur. Apostolatum vestrum ad exaltationem Ecclesiae suae ac omnium nostrum salutem per multos annos gratia superna custodiat, domine sacratissime papa. (2)

(MGH EPP 7, 416 ss.).

## XC. RIMBERTUS, HAMMABURGENSIS ARCHIEP.

Pretiosissimus fons, ex quo origines et progressus conversionis gentium Scandinaviae cognoscimus, est Rimberti, discipuli et successoris

(1) Conf. supra n. 247, p. 294.

(2) Scripta a. 873

s. Anskarii primi Hammaburgensis archiepiscopi *Vita s. Anskarii* (ed. G. Waitz, SSUS 1884; ML 118, 959-1024) c. a. 876 scripta. Anskarius, Corbeiensis monachus, c. a. 823 Novae Corbeiae (1) scholam regebat. A. 826 primum iter ad Danos suscepit, a. 829 prima vice in Sueciam pervenit. A. 831 episcopus Hammaburgensis consecratus est et Romae a Gregorio IV pallium accepit. Post civitatis vastationem per Danos (a. 845), sedes Hammaburgensis in Sinodo Moguntina a. 848 cum Bremensi unita est. Quod Nicolaus I a. 864 confirmavit, sublata quavis Coloniensis archiepiscopi in Bremensem ecclesiam iurisdictione. Inde Anskarius, ut archiepiscopus Hammaburgensis et Bremensis, apostolatum inter Danos et Suecos exercuit usque ad obitum suum a. 865, quonam fructu, praeter Anskarii Vitam, eius epistula ad omnes Germaniae episcopos manifestat (MGH EPP 6, 163). Eius opus prosecutus est Rimbertus eius successor et biographus (ob. a. 888; eius Vita: SSUS 1884 post Anskarii Vitam; ML 126, 991-1010) (2). De instrumentorum pontificalium et imperialium ad origines Hammaburgensis ecclesiae spectantium integritate et authenticitate lis est inter doctos (3).

357. *Vita Anskarii c. 26.* Profectionem itaque hanc suscepturus, iam dicti regis Horici (4) missum pariter et signum secum habuit. Qui regi Sueonum nomine Olef partis suae mandatum tale intimari iussit: servum Dei, qui ex parte Hludowici regis missus fines regni eius peteret, sibi per omnia cognitum fore, ac se in vita sua numquam tam bonum vidisse hominem nec in quolibet mortalium aliquando tantam fidem invenisse. Ideoque, cognita eius sanctissima bonitate, omnia quae ille in regno suo causa christianae religionis disponere vellet, se ei concessisse. Ipsumque petere, ut similiter in regno suo ei permitteret culturam christianitatis, quam optabat, statuere, quia ipse nihil aliud quam quod bonum et rectum foret vellet perficere. Susceptum itaque peragens iter, viginti ferme diebus navigio transactis, pervenit ad Byrca (5). Ubi invenit regem et multitudinem populi

(1) Conf. supra n. LXXVII.

(2) Vide BHL, n. 7258; conf. ib. 544-554.

(3) Conf. W. M. Peitz, *Die Hamburger Fälschungen*, Freiburg 1919, et *La sede apostolica e gl'inizi del Cristianesimo nell'Europa settentrionale*, in Civ. Catt. 77, 1926, vol. 4, p. 213-219; sed vide etiam NA 43, 1921, p. 454, n. 142.

(4) Danorum.

(5) Björkö, in lacu Mälar.

nimio errore confusam. Instigante enim diabolo, adventum beati viri omnimodis praesciente, contigit eo ipso tempore, ut quidam illo adveniens diceret, se in conventu deorum, qui ipsam terram possidere credebantur, affuisse, et ab eis missum, ut haec regi et populis nunciaret: « Vos », inquam, « nos vobis propitios diu habuistis et terram incolatus vestri cum multa abundantia nostro adiutorio in pace et prosperitate longo tempore tenuistis. Vos quoque nobis sacrificia et vota debita persolvistis, grataque nobis vestra fuerunt obsequia. At nunc et sacrificia solita subtrahitis et vota spontanea segnius offertis et, quod magis nobis displicet, alienum deum super nos introducitis. Si itaque nos vobis propitios habere vultis sacrificia omissa augete et vota maiora persolvite. Alterius quoque dei culturam, qui contraria nobis docet, ne apud vos recipiatis et eius servicio ne intendatis. Porro, si etiam plures deos habere desideratis, et nos vobis non sufficimus, Ericum quondam regem vestrum nos unanimes in collegium nostrum asciscimus, ut sit unus de numero deorum ». Hoc ergo diabolicum mandatum publice denunciatum in adventu domni episcopi mentes cunctorum perturbabat, et error nimius ac perturbatio corda hominum confuderat. Nam et templum in honore supra dicti regis dudum defuncti statuerunt et ipsi tanquam deo vota et sacrificia offere coeperunt. Adveniens itaque illuc domnus episcopus, ab amicis suis quondam ibi cognitis quaerere coepit, quomodo regem super hac re interpellaret. Qui omnes toto annisu contradicentes, asserebant, nihil omnino ea vice legationem eius proficere posse, sed, si aliquid haberet pretii, ea ratione illum dare debere, ut vivus inde evaderet. Quibus ille: « Non », inquit, « pro vitae meae redemptione aliquid hic daturus sum, quia, si Dominus meus ita disposuerit, pro eius nomine hic paratus sum et tormenta subire et mortem pati ». Cum ergo pro hac re in maxima esset positus anxietate, tandem accepto consilio regem ad suum invitavit hospitium. Cui convivium exhibens, dona quae potuit obtulit et legationis suae mandata retulit. Nam et antea per missum Horici et per fideles domni episcopi, qui ibi manebant, causa adventus ipsius eidem regi denunciata fuerat. Delectatus itaque et caritatis eius benivolentia et munerum datione, se quidem quae ille suggesserat gratanter velle, respondit. « Antea tamen hic », inquit, « fuerunt clerici, qui populari hinc seditione, non regio iussu, eiecti sunt. Quapropter et ego hanc legationem vestram confirmare nec possum nec audeo, priusquam sortibus deos no-

stros consulam et populi quoque super hoc voluntatem interrogem. Sit missus tuus in placito mecum proximo, et ego pro te loquar populo. Et, si quidem diis fautoribus illi tuae consenserint voluntati, quod quaesisti prosperabitur. Sin autem, et hoc tibi notum faciam ». Sic quippe apud eos moris est, ut quodcumque negotium publicum magis in populi unanimi voluntate quam in regia constet potestate. Hoc ergo pastor noster devotissimus responso regis accepto, totum se convertit ad Domini refugium, ieiuniis et orationibus vacans atque in contritione et afflictione cordis semet ipsum in conspectu Dei humilians. (SSUS, 55 ss.).

358. *Vita Anskarii c. 27.* Verum ipso inter has pressurarum angustias posito, cum dies placiti appropinquaret, quadam die inter sacra missarum sollemnia, dum sacerdos altari astans mysteria sancta benediceret, illi in terram prostrato caelestis effusa est inspiratio. Siquidem Spiritus sancti dono interius roboratus et fiducia maxima in animo confortatus, cognovit, omnia sibi proventura uti vellet. Unde eidem sacerdoti sibi in omnibus familiarissimo post missam denuntiavit ,nihil se trepidationis habere debere, quia secum gratia Dei comitaretur. Cui interroganti, quomodo hoc sciret, divinitus sibi inspiratum respondit. Quam mentis eius illustrationem frater ille satis recognovit, quia taliter eum divinitus consolari multis ante probavit indiciis. Hanc ergo animi eius fiduciam statim rei confirmavit eventus. Nam rex, congregatis primo principibus suis, de hac patris nostri legatione cum eis tractare coepit. Qui sortibus quaerendum statuerunt, quae super hoc deorum esset voluntas. Exeuntes igitur more ipsorum in campum miserunt sortes; ceciditque sors, quod Dei voluntate christiana religio ibi fundaretur. Quod factum unus ex primoribus, amicus domni episcopi, statim ei innotuit et, ut consolaretur animo, admonuit, dicens: « Confortare et viriliter age, quia Deus voluntati et legationi tuae non abnuit ». Sicque ipse, fiducia sumpta, spiritu interiori laetificatus, exultabat in Domino. Deinde cum dies placiti advenisset quod in praedicto vico Byrca habitum est, sicut ipsorum est consuetudo, praeconis voce rex, quae esset eorum legatio, intimari fecit populo. Quo illi audito, sicut erant antea errore confusi, diversa sentire et tumultuare coeperunt. Quibus ita perstrepentibus, consurgens unus, qui erat senior natu, in medio plebis, dixit:

« Audite me, rex et populi. De cultura istius dei pluribus nostrum bene iam est cognitum, quod in se sperantibus magnum possit praestare subsidium. Nam multi nostrum iam saepius et in marinis periculis et in variis necessitatibus hoc probaverunt. Quare ergo abicimus, quod necessarium nobis et utile scimus? Aliquando nempe quidam ex nobis Dorstadum adeuntes, huius religionis normam profuturam sibi sentientes, spontanea voluntate suscipiebant. Nunc multae interiacent insidiae, et pyratarum infestatione periculosum valde nobis iter illud factum est. Quod ergo tam longe positum prius sollicite quaerebamus, hic nobis modo oblatum quare non suscipimus? Et qui eius dei gratiam nobis in multis utilem probavimus, quare servos eius nobiscum manere non libenter assentiamus? Attendite, populi, consilium vestrum et nolite abicere utilitatem vestram. Nobis enim, quando nostros propitios habere non possumus deos, bonum est huius dei gratiam habere, qui semper in omnibus potest et vult ad se clamantibus auxiliari ». Hoc ergo ita perorante, omnis multitudo populi unanimis effecta, elegit, ut secum et sacerdotes essent, et quae competebant mysteriis Christi apud eos sine contradictione fierent. Rex itaque surgens a placito, statim cum misso domni episcopi suum direxit nuncium, mandans populi unanimitatem ad suam voluntatem conversam : sibique hoc per omnia placere, necdum tamen se plenam licentiam ei concedere posse, donec in alio placito, quod erat in altera parte regni sui futurum, id ipsum populis ibi positis nuntiaret. Tunc iterum bonae memoriae pater noster consueta sua requirens subsidia, divinam clementiam intentius exorabat; cum ecce placiti tempus advenit, et rex praeconis voce legationem domni episcopi atque omnia pariter quae in priori placito dicta et acta fuerant intimari fecit. Divina ergo providentia largiente, omnium corda ita adunata sunt, ut prioris placiti consensum cuncti laudarent et se quoque his assentire velle modis omnibus faterentur. (SSUS, 57 ss.).

359. *Vita Anskari c. 28.* Hoc itaque facto, convocato ad se rex domno episcopo quae fuerant gesta retulit. Sicque omnium unanima voluntate et consensu decrevit, ut apud eos et ecclesiae fabricarentur, et sacerdotes adessent, et quicumque vellet de populo absque contradictione christianus fieret.

Dominus autem et pastor noster praedictum nepotem venerabilis Gauzberti episcopi Erimbertum nomine manibus regis commendavit, ut suo auxilio et defensione munitus mysteria divina ibidem ageret. Cui etiam rex in praefato vico atrium unum ad oratorium dedit fabricandum: domnus quoque episcopus presbitero ad habitandum alterum cum domo emit. Praebensque idem rex benignissimum circa domnum episcopum dilectionis suae favorem, fidelissimum quoque in omni parte suis circa christianae religionis cultum se fore velle promisit. Sicque per Domini gratiam rite omnibus peractis, domnus episcopus ad sua reversus est. ... (SSUS, 59).

**360.** *Epistula Anskarii ad Germaniae episcopos.* In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ansgarius gratia Dei archiepiscopus omnibus sanctae Dei Ecclesiae praesulibus in regno duntaxat Ludowici regis commanentibus. Nosse vos cupio quia in hoc libello continetur, qualiter Ebo Rhemensis archiepiscopus divino afflatus Spiritu, temporibus domini Ludowici imperatoris, cum consensu ipsius ac pene totius regni eius synodi congregatae, Romam adiit; ibique a venerabili papa Pascali publicam evangelizandi licentiam in partibus Aquilonis accepit (1). Et qualiter postea Ludowicus imperator hoc opus sublimavit; seque in omnibus largum praebuit et benivolum (2), et caetera quae huic legationi contigerunt. Quapropter suppliciter deprecor, ut apud Deum intercedatis, quatenus haec legatio crescere et fructificare mereatur in Domino. Iam enim Christo propitio et apud Danos et apud Sueones Christi fundata est Ecclesia et sacerdotes absque prohibitione proprio funguntur officio. Precor etiam, ut has literas in bibliotheca vestra ad perpetuam memoriam reponi faciatis et, prout locus dictaverit, tam vos quam successores vestri, ubi utilitatem perspexeritis, notum istud omnibus faciatis. Omnipotens Deus faciat vos omnes huius operis pia benivolentia participes, et in caelesti gloria Christi cohaeredes. (3)
(MGH EPP 6, 163).

(1) Conf. supra n. 303.

(2) Donans Hammaburgensi ecclesiae villam Thorout in Flandria (conf Böhmer, *Reg. Imp.*, I, n. 928); quam Karolus Calvus a. 843 abstulit.

(3) Scripta aa. 864/5.

# XCI. STEPHANUS V PAPA (885-891)

Successorum Iohannis VIII: Marini I (882-884) et Hadriani III (884-885) perpaucae supersunt epistulae. Stephani vero V sat multa habentur fragmenta ex Registro eius excerpta et in collectionibus canonum, Brittannica praecipue, servata (MGH EPP 7, 334-353). Nonnullae eius epistulae integrae in diversis codicibus exstant, inter quas notandae illae, quae ad Photii causam spectantes Graece tantum servatae sunt (MGH ib. 354-365 et 371-382; Mansi XVI, 419-439). Magni momenti in historia s. Methodii (ob. 885) est Stephani instructio ad legatos suos in Moraviam missos a. 885 (MGH EPP 7, 352 s.). Stephani epistulae ad « Zventopulcum (Svatopluk) regem Slavorum » (ib. 354-358) iudicia severrima de Methodio continentis textus, si non ex integro fictus, certe in multis locis interpolatus est (1).

**361.** Commonitorium Dominico episcopo, Ioanni et Stefano (presbyteris) euntibus ad Sclavos. Cum Deo propitio ingressi Sclavorum fines fueritis, tanta vos ornate modestia, ut vestri vestrorumque omnium actus exemplum religionis praebeant rudi populo, habentes prae oculis monentem Dominum, « ut videant vestra opera bona et glorificent patrem vestrum qui in caelis est ». Cum veneritis ad ducem patriae, dicite ei: « Visitant vos apostolorum principes beatus Petrus regni caelestis claviger et Paulus doctor gentium. Domnus autem Stephanus sanctissimus pontifex sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae et universalis papa, spiritalis videlicet pater vester, visitat vos et mandat vobis amabilem paternitatem. Amplectitur enim vos spiritaliter et diligit sicut unicum et carissimum filium. Omnes sanctissimi episcopi, reverentissimi presbyteri et diaconi cum reliquo clero sanctae Romanae ecclesiae optant vobis salutem; habent enim assidue vestri memoriam in suis Deo dignis orationibus apud beatissimorum apostolorum principum limina. Omnis honorabilis senatus a Deo conservandae Romanae urbis cum reliquo coetu fidelis populi mandat vobis salutes. Desiderant enim omni prosperitate vos in Christi

(1) Conf. F. Dvornik, *Les Slaves, Byzance et Rome au IX^e siècle*, Paris 1926, pp. 286-298.

Dei nostri fide pollere et saeculi gloria gaudere ». Primo die haec dixisse sufficiant, et si de patriae salute interrogaverint, quam ad honorificentiam pertinent christianae religionis, Ecclesiae honoris, decentiae imperialis, prudenter respondete!

*Item.* Spiritus sanctus a Patre et Filio nec ingenitus dicitur, ne duo patres, nec genitus, ne duo filii, sed procedens dicitur. Si dixerint: « Prohibitum est (a) sanctis patribus symbolo addere aliquid vel minuere » dicite: « Sancta Romana ecclesia custos est et confirmatrix sanctorum dogmatum, quia in catholica fide principis apostolorum vicariatione in nullo vacillat ipso dicente Domino: « Simon ecce Satanas expetiit vos, ut cribraret quasi triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Haec omnes errantes ad fidem duxit ecclesias et vacillantes roboravit, non immutando sancta dogmata, sed aut non intelligentibus aut male sentientibus exponendo [1].

*Cap. XII.* Missas et sacratissima illa ministeria, quae Sclavorum lingua idem Methodius celebrare praesumpsit, quamvis decessoris sui temporibus, domni videlicet Iohannis sanctissimi papae iuraverit se ea ulterius non praesumere [2], apostolica auctoritate, ne aliquo modo praesumatur, penitus interdicit. Verumtamen si aliquis Sclavorum lingua tam doctus invenitur, ut post sacratissimam evangelicam apostolicam lectionem eius explicationem doctus sit dicere ad aedificationem eorum, qui non intelligunt, et laudat, si fiat, et concedit et approbat.

*Cap. XIII.* De veneratione ieiuniorum firmiter tenere, sicut in sua decrevit epistola, quia assidue pro viribus ieiunare laudabile est, corpori etiam consulere naturale et festis diebus largiori papulo corpus sobrie reficere peccato non im-

---

(1) Desunt in fragmento, quod coll. Brittannica servavit, omnia usque ad cap. 12 ss.

(2) Huius tamen iuramenti nulla notitia in aliis documentis habetur. Conf. supra n. 339, 345, 346.

putatur, si tamen cum gratiarum actione et corpus reficitur et salubre poculum animae ministratur.

*Cap. XIIII.* Successorem, quem Methodius sibimet contra omnium sanctorum patrum statuta constituere praesumpsit [1], ne ministret, nostra apostolica auctoritate interdicite, donec suam nobis praesentiam exhibeat et causam suam viva voce exponat. (MGH EPP 7, 352 s.).

## XCII. LEGENDAE PANNONICAE DE SS. CYRILLO ET METHODIO.

Inter fontes, ex quibus historiam laborum apostolicorum ss. Cyrilli et Methodii inter Slavos Pannoniae et Moraviae cognoscimus, primum locum obtinent *Vitae* duorum sanctorum fratrum, quae mox post eorum obitum ab eorum discipulis lingua palaeoslavica conscriptae sunt; istae sunt quae vocantur legendae Pannonicae, distinguendae a legenda latina s. Cyrilli, saec. X Romae, ut videtur, conscripta. Utriusque legendae Pannonicae textum palaeoslavicum simul cum latina translatione ed. F. PASTRNEK, in *Dejiny slovanskych apostolu Cyrilla a Methoda*, Praha 1902, p. 154-238, ubi et textum legendae latinae (p. 239-245), epistulas Iohannis VIII et Stephani V de s. Methodio (p. 249-264), aliosque fontes ad historiam apostolorum Slavorum spectantes invenies.

362. *Legenda Pannonica de s. Cyrillo*, c. XIV. Laetante vero in Deo philosopho [2] iterum alia res accidit et labor non minor prioribus. Rastislavus enim, Moravicus princeps [3], a Deo incitatus, consilium habuit cum principibus suis et cum Moravis, et misit ad imperatorem Michaelem [4], dicens: « Populo nostro, postquam paganismum abiecit, christianam legem observante, doctorem non habemus talem, qui nos nostra lingua veram fidem christianam edoceat, ut etiam aliae

---

(1) Gorazd, conf. infr. n. 368. Mox post Methodii obitum ex Moravia cum sociis expulsus est.

(2) i. e. Constantino vel Cyrillo.

(3) A. 846-870; conf. supra n. 339.

(4) Michael III (842-867).

regiones, illud videntes, similes fiant nobis. Mitte igitur nobis, domine, episcopum et magistrum talem, a vobis enim in omnes partes semper bona lex emanat ». Congregato vero concilio imperator advocavit Constantinum philosophum, et fecit eum audire orationem hanc. Et dixit : « Scio, te fatigatum esse, philosophe, sed oportet te illuc ire; hanc enim rem nemo alius perficere potest quam tu ». Respondit vero philosophus : « Licet fatigatus sim et aeger corpore, cum laetitia illuc ibo, si habent litteras linguae suae accommodatas ». Dixit autem imperator ei : « Avus meus et pater meus et alii multi, quamquam quaerebant illud, non invenerunt id : quomodo igitur ego possum id invenire ?». Philosophus autem dixit : « Quis potest in aquam orationem scribere et haeretici nomen comparare ?». Respondit ei iterum imperator cum Barda, avunculo suo : « Si tu vis, potest id tibi Deus dare, qui etiam dat omnibus, qui petunt sine dubitatione, et aperit, qui pulsant ». Philosophus vero abiit et secundum antiquam consuetudinem precibus se dedit cum aliis adiutoribus. Mox autem ei Deus apparuit, qui exaudit preces suorum servorum, et illico composuit litteras et coepit orationem scribere evangelicam (1) : « In principio erat verbum et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum » et caetera. Laetatus est autem imperator, et Deum laudavit cum suis consiliariis, et misit eum cum donis multis, scripta ad Rastislavum epistola eiusmodi : « Deus, qui vult ut unusquisque ad cognitionem veritatis perveniat et maiorem dignitatem attingat, postquam vidit fidem tuam et studium, fecit nunc nostris temporibus, ut ostenderet litteras in vestra lingua, quod antea non erat, sed tantum primis temporibus, ut et vos adnumeraremini magnis gentibus, quae laudant Deum sua lingua. Itaque tibi misimus eum, cui eas Deus ostendit, virum pium et orthodoxum, eruditum valde et philosophum. Et ecce, accipe donum maius et pretiosius omni auro et argento et gemmis et divitiis praetereuntibus. Stude cum eo strenue firmare rem et toto corde quaerere Deum, neve communem salutem repudia, sed omnes impelle, ne cunctentur, sed ut ingrediantur veritatis viam, ut etiam tu, cum adduxeris eas labore tuo ad cognitionem Dei, accipias tuam

(1) De inventione litterarum Slavicarum per s. Cyrillum conf. F. Dvornik, *Les Slaves, Byzance et Rome au IX^e siècle*, Paris 1926, p. 160 ss.

mercedem illius loco, et in hac aetate et in futura, pro omnibus illis animabus, quae credent in Christum, Deum nostrum ab hoc tempore usque ad finem, memoriam tuam relinquens caeteris generationibus, ad instar magni imperatoris Constantini ». (ed. Pastrnek, p. 199 ss.)

**363.** *Legenda Pannon. de s. Cyrillo*, c. XV. Cum vero vensset in Moraviam (1), magno cum honore excepit eum Rastislavus, et discipulis collectis, tradidit, ut eos erudiret. Mox vero toto ecclesiastico ordine translato, edocuit eos officium matutinum, horas, vesperas, breve officium vespertinum et sacramentorum officium. Et apertae sunt, secundum prophetae verba, aures surdorum, ut audirent verba Scripturae, et lingua plana facta est balborum. Deus autem laetatus est his, et diabolus pudore affectus. Crescente vero divina doctrina, malus invidus ab initio, maledictus diabolus, non tulit hoc bonum sed ingressus in sua vasa coepit multos incitare, dicens iis : « Non laudatur Deus hac re, si enim ei ita gratum esset, nonne potuisset efficere, ut hi quoque a principio, litteris scribentes orationes suas, laudarent Deum? Sed tres linguas tantum elegit : Hebraicam, Graecam et Latinam, quibus fas est laudem Deo tribuere ». Erant autem, qui hoc loquebantur, Latini clerici, archipresbyteri, presbyteri et discipuli. Pugnans autem cum iis, sicut David cum alienigenis, scripturae verbis vicit eos et nominavit eos trium linguarum cultores (2) (et Pilaticos), quoniam Pilatus ita scripsit in titulo domini. ...

(ed. Pastrnek, p. 201 ss.).

**364.** *Leg. Pannon. de s. Cyrillo*, c. XVII. Et certior factus de eo Romanus papa, accersivit eum;. Et cum venisset Romam, obviam ei ivit ipse apostolicus Hadrianus (3) cum omnibus civibus, cereos ferentes, quia et sancti Clementis reliquias ferebat, martyris et papae Romani. Et illico Deus miracula celeberrima perfecit ibi. Nam paralyticus homo ibi sanatus

---

(1) A. 863.

(2) Conf. supra n. 277, cap. 52.

(3) De Sanctorum adventu Romam a. 867 ex. vel 868 in. conf. Vitam latinam s. Cyrilli c. 9 ss., ed. PASTRNEK, p. 243 ss.

est aliique multi a variis morbis liberati sunt, quin etiam captivi, Christum invocantes et sanctum Clementem, ab iis, qui eos ceperant, liberati sunt. Acceptis vero libris Slovenicis papa consecravit et deposuit eos in ecclesia sanctae Mariae, quae dicitur Phatne [1], et cecinerunt super eos sanctam liturgiam. Deinde iussit papa duos episcopos, Formosum et Gondricum [2], consecrare Slovenicos discipulos, et postquam consecrati sunt, illico cecinerunt liturgiam in ecclesia sancti apostoli Petri Slovenica lingua, et sequente die cecinerunt in ecclesia sanctae Petronillae, et tertio die cecinerunt in ecclesia sancti Andreae, ac deinde in ecclesia magni doctoris catholici Pauli apostoli, et per totam noctem cecinerunt, glorificantes, Slovenice, et sequente die iterum liturgiam super sanctum eius sepulcrum, adiuti ab Arsenio episcopo, qui unus erat ex septem episcopis, et ab Anastasio bibliothecario. [3] ...

(ed. Pastrnek, p. 210 ss.).

**365.** *Legenda Pannonica de s. Methodio*, c. VIII. ... Excepit autem illum Kocel cum magno honore et iterum misit eum ad apostolicum et viginti viros, honestos filios, ut illum ordinaret episcopum in Pannonia in sedem sancti Andronici apostoli e septuaginta, quod etiam factum est.

c. IX. Post hoc vero antiquus inimicus, invidus bono et adversarius veritati, sustulit cor hosti Moravici regis contra illum, cum omnibus episcopis, « quia in nostro (inquiunt) imperio doces ». Ille autem respondit : « Ego quoque, si intelligerem, vestrum esse, abscederem, sed sancti Petri est. Et in veritate, si vos propter ambitionem atque appetitum antiquos fines exceditis praeter canones, prohibentes institutionem divinam, cavete ne volentes ferreum montem osseo vertice pertundere, cerebrum vestrum effundatis ». Dixerunt ei iracunde loquentes : « Malum accipies ». Respondit ille : « Veritatem loquor coram imperatoribus neque me pudet, vos autem facite voluntatem vestram in me. Non sum

---

(1) S. Maria ad Praesepe.

(2) Gaudericus, episcopus Veliternensis.

(3) Conf. supra n. LXXXIX; de 7 episcopis supra p. 293, not. 3.

enim praestantior illis, qui veritatem loquentes cruciatibus et vitam hanc amiserunt ». Multis autem verbis factis cum non possent adversus eum respondere, dixit rex pronus : « Ne fatigetis meum Methodium, iam enim sudare coepit, ac si esset prope fornacem ». Dixit ille : « Nae domine, philosopho sudanti quondam obviam facti homines dixerunt ei : Quid sudas? Inquit ille : Cum rudi gente (idiotis) disceptavi ». De hoc verbo cum contendissent, discesserunt; illum vero miserunt in Suevos et detinuerunt annos duos et dimidium (1). (ed. Pastrnek, p. 230 s.).

**366.** *Legenda Pannon. de s. Methodio*, c. X. Venit (nuntius) ad apostolicum, et (is de hac re) certior factus misit anathema contra illos, ne ullus regis episcopus (2) caneret missam id est officium, dum eum detinerent. Atque ita eum dimiserunt, dicentes Cocelo : « Si hunc retines apud te, haud facile te absolves a nobis ». Sed illi, non sunt absoluti a iudicio sancti Petri, nam quattuor ex illis episcopis obierunt. Accidit vero tunc temporis, (ut) Moravi, postquam cognoverunt presbyteros Germanicos, qui apud se vivebant, non favere sibi, sed insidias statuere, omnes expellerent. Ad apostolicum autem miserunt (nuntium) : « Quoniam et antea patres nostri a sancto Petro baptisma acceperunt, da nobis Methodium archiepiscopum et doctorem ». Illico autem misit eum apostolicus. Et accipiens illum Sventopulcus princeps (3) cum omnibus Moravis commendavit ei omnes ecclesias et clericos in omnibus oppidis. Ab isto autem die valde coepit crescere doctrina Dei et clerici multiplicari in omnibus civitatibus et pagani credere in verum Deum, ab erroribus suis deficientes; tanto magis etiam Moravicum im-

---

(1) De episcoporum Salisburgensis metropoleos in Methodium hostilitate a. 870 conf. praesertim Iohannis VIII epistulas MGH EPP 7, p. 283-286 et A. Lapôtre, *L'Europe et le St. Siège à l'époque Carolingienne*, p. 118 ss., F. Dvornik, *Les Slaves, Byzance et Rome aau IX^e siècle*, Paris 1926, p. 209 ss.

(2) Conf Iohannis VIII epistulam ad Hermericum Pataviensem episcopum, quem increpat, quod « in episcoporum concilium tractum (Methodium) equino flagello percuteres, nisi prohiberetur ab aliis. (MGH EPP 7, 285 s.).

(3) Conf. supra n. 346.

perium dilatare coepit omnes fines et hostes suos vincere cum prosperitate, quemadmodum et ipsi narrant semper. (ed. Pastrnek, 231 s.).

**367.** *Legenda Pannon. de s. Methodio*, c. XV, Post ista autem relicto omni tumultu et dolore suo Deo commendato, prius vero ex discipulis suis duobus presbyteris constitutis, qui valde velociter scribebant, vertit brevi tempore omnes libros (Scripturae) plene, exceptis Maccabeis, ex Graeca lingua in Slovenicam, intra sex menses, inchoans a Martio sque ad vicesimam sextam diem Octobris mensis. ... Psalterium enim tantum et evangelium cum apostolo et electis officiis ecclesiasticis cum philosopho antea converterat (1). Tunc autem et nomocanonem id est legis regulam et patrum libros transtulit (2). (ed. Pastrnek, 235 s.).

**368.** *Legenda Pannon. de s. Methodio*, c. XVII. Ita omnibus causis dimotis ex omnibus partibus, et ora multiloquorum obseravit, cursum autem perfecit, fidem servavit, expectans iustitiae coronam; et quoniam sic Deo gratus et ab eo amatus erat, appropinquabat tempus pacem accipiendi a passione et multorum laborum mercedem. Interrogaverunt autem eum et dixerunt: « Quem agnoscis pater et doctor honorabilis, inter discipulos tuos, ut in institutione tua sit tibi successor »? Monstravit vcero illis unum ex fidis discipulis suis, dictum Gorazd (3), dicens: « Hic est vestrae terrae ingenuus vir, eruditus autem bene in Latinis libris, orthodoxus; hoc sit Dei voluntas et vester amor sicuti et meus ». Congregatis vero per illum dominica palmarum omnibus hominibus, ingressus in ecclesiam et non potens, benedixit imperatorem et principem et clericos et omnes homines et dixit: « Custodite me, liberi, usque ad tertiam diem », quomodo etiam factum est. Cum tertia dies illucesceret, dixit porro: « In manus tuas, Domine, animam meam commendo ». In manibus autem presbyterorum

(1) Conf. supra n. 363.

(2) De scholiis huius nomocanonis slavici canonem 28 concilii Chalcedonensis impugnantibus cf. M. D'HERBIGNY, *Theologica de Ecclesia*, 2, Paris 1928, p. 164 ss.

(3) Conf. supra n. 361, c. XIIII.

requievit sexta die mensis Aprilis tertia indictione anno sexies millesimo et trecentesimo et nonagesimo et tertio a creatura totius mundi (1). Re autem considerata discipuli eius debitos honores reddiderunt et officium ecclesiasticum Latine et Graece et Slovenice peregerunt et collocaverunt eum in synodali ecclesia. (2). ... (ed. Pastrnek, 237 s.).

## XCIII. FORMOSUS PAPA (891-896)

A Nicolao I a. 866 legatus ad Bulgaros missus est (3). Anno 876 a Iohanne VIII in synodo Romana « quoniam iam dudum per ambitionem a minori ecclesia in maiorem, videlicet s. sedem apòstolicam, prosilire conatus plurimos sibi consolatores effecit » (4), depositus et excommunicatus est. A. 883 a Marino papa (882-884) restitutus et a iuramento in synodo Trecensi a. 878 emisso, numquam scil. se Romam rediturum neque episcopatum suum recepturum esse, absolutus est. A. 891 Stephano V in sede apostolica successit. Paucae tantum supersunt epistulae eius; quae de Hammaburgensis et Bremensi ecclesia agunt, editae sunt in MGH EPP 7, 366-370; ibi etiam p. 382 s. epistulae ad Neocesareae episcopum a. 891 datae textus graecus; alias epistulas et privilegia nonnulla in ML 129, 837-854. Gravissimas sequelas habuit Arnulfi, Carinthiae ducis, coronatio in imperatorem per Formosum. Iam sub Stephani V pontificatu monarchia Karolinorum misere corruerat. A. 888 Karolus III (Crassus) deponitur, Arnulfus, dux Carinthiae in regem Germaniae eligitur. In Italia Wido, Spoleti marchio et Berengarius Foroiuliensis marchio de potestate decertant. Berengarius a. 887/8 rex Italiae coronatur, sed a Widone vincitur, qui a. 889 rex Italiae Papiae (5), a. 891 imperator Romae a Stephano coro-

---

(1) a. 885.

(2) Nomen sedis episcopalis s. Methodii in fontibus non indicatur. Conf. F. Grivec, *Die heil. Slavenapostel Cyrillus und Methodius*, Olmütz 1928, p. 132 ss.

(3) Conf. LP ed. Duchesne, 2, p. 164 s. Nota magnas laudes quas auctor Vitae Nicolai Formoso tribuit: « Paulum... et Formosum Portuensem, magnae sanctitatis episcopos » (p. 164); « Formosum, vita et moribus episcopum » (p. 165).

(4) Conf. MGH EPP 7, 327 et A. Lapôtre, *L'Europe et le St. Siège*, p. 60 s.

(5) Conf. infra n. 374, et P. Hirsch, *Die Erhebung Berengars I von Friaul zum König in Italien*, Strassburg 1910, p. 171 ss.

natur. Formosus a. 892 Lambertum Widonis filium imperatorem coronavit, sed iam a. 893 et iterum a. 895 Arnulfum in Italiam advocavit, qui ineunte a. 896 urbem ab Agiltrude Widonis vidua defensam, cepit; mense Februario a Formoso imperator coronatur, mox in Germaniam rediit. Formosus obiit die 4 Aprilis. Lambertus et Berengarius Italiam inter se diviserunt. Factionum inter se decertantium odia Romam mox horrendo crimine in Formosi defuncti corpore commisso foedarunt. Ineunte a. 897 Formosi corpus ex violato sepulcro ereptum per vias urbis trahitur in synodum, ubi iudicii simulacro praesente Stephano VI (896-897) subicitur; mox in Tiberim proicitur. Formosus ipse damnatur eiusque ordinationes omnes iritae (1) declarantur. Quam quidem sententiam iam Theodorus II in Synodo a. 897 cassavit, Iohannes IX in synodo a. 898 clericos a Formoso ordinatos restituit; Arnulphi « unctione barbarica » damnata, Lambertum imperatorem confirmavit (2). Lites autem de Formosi ordinationibus usque ad a. fere 930 durant; praecipui fontes, ex quibus tristissimorum illorum gestorum historiam cognoscimus, primis saeculi X decenniis scripti sunt (3).

**369.** Formosus episcopus servus servorum Dei reverentissimo et sanctissimo confratri nostro Herimanno archiepiscopo Coloniensi. Visitatione tua, carissime confrater, laetificati sumus a te directis venerabilibus sacerdotibus receptis. Verum cum de tua incolomitate eos per ordinem inquirere studeremus, comperimus ipsis indagantibus te incommoditate corporis laborare et condoluimus plurimum. Attamen in hoc consolamur, quia novimus scriptum in eloquio : « Quem diligit Dominus castigat, et corripit omnem quem recipit ». Sit ergo, oramus, infirmitas haec ad salutem ac celerem Christo largiente mereatur consequi sanitatem. Arbitrabamur equidem sanctimoniam tuam ad apostolorum limina, prout mandaveramus, venire et viva voce tecum de generali illius barbaricae gentis salute tractare sed quia aliter quam obtaveramus accidit, infirmitati imputantes calumniam pro hoc inferre desinimus. Contentio itaque, quae inter te et Adalgarium (4) reverentissimum archiepiscopum Hamburgensis ecclesiae ventilata est pro ecclesia Bremensi, pro qua ad venerabilem archiepisco-

(1) Conf. L. SALTET, *Les réordinations*, Paris 1907, p. 152 ss.

(2) Vide infra n. 376.

(3) Conf. capitula Auxilius et Vulgarius in vol. II huius operis

(4) Rimberti (supra n. XC) successor, a. 888-909.

pum Mogontiae scribere praeterito anno praevidimus, quatinus eius studio rei veritas inquisita ablata ambiguitate in clariorem lucem erumperet, ipso prout scribente didicimus testificantibus sanctissimis episcopis, qui Francanofrut convenerunt, apparet tuae diocesis ecclesiam esse. Ideoque dispensative id determinari oportuit eo videlicet ordine, ut et Coloniensis ecclesia non privaretur facultatibus et Hamburgensis ecclesia pio labori dedita non pateretur penuriam, unde oporteat Deo acceptabile opus cessari. Quapropter statuimus, ut quousque dispensatore bonorum omnium largiente, cuius nutu omnia dispensantur, Hamburgensis ecclesia infra paganorum terminos dilatari valeat, ubi episcopia fundari possint, Bremensem ecclesiam teneat ad subsidium et ob hoc fraterno caritatis affectu, non subiectione aliqua, quoties pro maioribus ecclesiasticis negotiis librandis certa ratio exigit, invitatus ipse per se in adiutorium Coloniensis ecclesiae accedere non pigeat, vel si praedicationis opere implicatus per se venire nequiverit, vicarium saltem deleget, qui eius vicem repraesentet et canonicae deliberationi adiutor intersit. Divina autem ditione suffragante cum Hamburgensis ecclesia augmentata, ceu praetulimus, fuerit, Coloniensis ecclesia sua recipiat, quia inter saecularia negotia non expedit cuiquam aliena iura pervadere, quanto minus religiosis episcopis, qui suo ducatu per viam iustitiae ad caelestia regna commissum sibi populum debent perducere. Aliter autem nostro apostolatui deliberare visum non est, ne saepe dicta Hamburgensis ecclesia ad vocationem gentium instituta ablato adnihiletur subsidio et inopia cogente a Deo digno opere cesset, praesertim cum et decessor noster recolendae memoriae Nikolaus Ludowico glorioso rege per Salomonem reverentissimum Constantiae episcopum intercedente suo privilegio Bremensem ecclesiam Ansgario Hamburgensi archiepiscopo confirmaverit (1). Sed quia indignum censuimus sacerdotum quem-

(1) « Ut episcopus Bremonensis ... cum nostra auctoritate in praedicto loco Bremon potestatem et honorem archiepiscopatus super Danos et Swevos habeat et simili modo sui successores per tempora futura perpetualiter teneant atque possideant ». (Nicolai epistula ad Ludowicum ex a. 864, MGH EPP 6, p. 291 s.); conf. supra n. XC.

piam aliena iura pervadere propriis transgressis limitibus, proinde id dispensative instituimus tempori consulentes, ut et iustitia proprium vigorem teneat et misericordia compassionem impendat, contentio cesset et caritas inviolata persistat. Privilegium etiam tuae ecclesiae, prout petiveras, renovavimus ac tuae venerabilitudini per praesentes presbyteros delegavimus, commonentes, ut in omnibus ac prae omnibus pacem diligas et eidem semper insistas, quae specialis est arrabona omnium fidelium, sine qua nullum munus Deo est acceptabile. Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat cor tuum et intelligentiam tuam in Christo Iesu Domino nostro (1).

(MGH EPP 7, 369 s.).

**369-a.** *Iuramentum Romanorum Arnulfo praestitum a. 896.* Iuro per haec omnia Dei mysteria, quod salvo honore et lege mea atque fidelitate domno Formoso papae, (2) fidelis sum et ero omnibus diebus vitae meae Arnulfo imperatori et nunquam me ad illius infidelitatem cum aliquo homine sociabo et Lantberto filio Agildrudae vel ipsi matri suae ad secularem honorem nunquam adiutorium praebebo et hanc civitatem Romam ipsi Lantberto vel matri eius Agildrudae vel eorum hominibus per aliquod ingenium aut argumentum non tradam (3). (MGH Capitul. 2, 123).

## XCIV. CANONES SYNODORUM ET CAPITULARIA AA. 850-900.

Quae per disciplinae ecclesiasticae in regno Francorum restaurationem medio saec. VIII renovata est synodorum frequentia, viguit per totum saeculum IX. 130 fere synodorum aa. 843-918 in Francia occidentali et orientali et in Italia celebratarum acta recenset A. WERMINGHOFF in NA 26 (1901), p. 611 ss. Editio critica canonum et actorum conciliorum saec. IX post a. 843 celebratorum adhuc desideratur; recurrendum est ad editiones antiquiores conciliorum, quas auctor laudatus synodorum elencho adiunxit,

(1) Scripta a. 893.
(2) Conf. supra n. 305, p. 391.
(3) Conf. infra n. 376, can. 8.

vel ad Capitulariorum editionem in MGH, Capitularia 2, cum multorum synodorum canones in capitulariorum collectionibus inserti sint.

**370.** *Synodus Papiensis a. 850.* Anno incarnationis dominicae DCCCL, indictione XIV, et Hlotharii atque Hludowici piissimorum augustorum tricesimo atque primo, in urbe regia Ticina facta synodus, cui praesederunt Angilbertus Mediolanensis archiepiscopus, Theodemarus Aquileiensis patriarcha et Ioseph venerabilis episcopus atque archicapellanus totius ecclesiae, in qua haec constituta sunt capitula.

Domino glorioso imperatori Hludowico (1) pax et vita, salus et victoria miinstretur a Deo patre et domino Iesu Christo.

*Cap. 1.* Decrevit sancta synodus domesticam et interiorem episcopi conversationem totius reprehensionis atque suspitionis inpenetrabilem fieri debere, ut iuxta apostolum provideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Oportet igitur, ut cubiculo episcopi et secrecioribus quibuslibet obsequiis sincerae opinionis sacerdotes et clerici assistant, qui vigilantem, orantem, sacra eloquia scrutantem episcopum suum iugiter adtendant eiusque sanctae conversationis testes, imitatores et ad Dei gloriam praedicatores existant.

*Cap. 2.* Statuimus, ut non tantum dominicis diebus et precipuis festivitatibus episcopi missas celebrent, set, cum possibile fuerit, cotidiana quoque sacrifica frequentent; nec fastidiant privatim primum pro se, deinde pro consacerdotibus, pro regibus et cunctis Ecclesiae Dei rectoribus proque his, qui se orationibus ipsorum peculiariter commiserint, et maxime pro pauperibus preces fundere et omnipotenti Deo hostias offerre comitante pia conpunctione et sacrae devotionis affectu, quod magis utique oculte sacrificantibus convenit, ut ipse quoque sacerdos hostia viva fiat et sacrificium Deo spiritu contribulato.

*Cap. 5.* Ut episcopi canonicas scripturas et sancta dogmata iugi meditatione discutiant et

(1) Ludovicus II, Lotharii filius; rex Langobardorum a Sergio II coronatur a. 844, imperator a. 850 a Leone IV. Obiit a. 875.

presbiteris ac clericis suis subtilius tractando et disserendo occultos sanctarum litterarum thesauros aperiant; populis vero iuxta ipsorum capacitatem dominicis et festis diebus verbum praedicationis impendere non neglegant. Quodsi quis se deinceps ab hac observatione et ab his, quae superius sunt statuta, subtraxerit, tamquam proprii desertor officii legibus subiacebit.

*Cap. 13.* — Propter assiduam erga populum Dei curam singulis plebibus archipresbiteros preesse volumus, qui non solum inperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiant et, qua unusquisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntient. Nec obtendat episcopus, non egere plebem archipresbitero, quod ipse eam per se gubernare valeat; quia, et si valde idoneus est, decet tamen, ut parciatur onera sua et, sicut ipse matrici preest, ita archipresbiri praesint plebeis, ut in nullo titubet aeclesiastica sollicitudo. Cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra eius decretum ordinare presumant.

*Cap. 16.* Suggerendum est beatissimis imperatoribus, quia hi, qui monasteria et sinodochia sub defensione sacri palatii (1) posuerunt, ideo fecisse probantur, quod a nullo melius, quam a summis potestatibus protegenda crediderint, et, si ea contra decreta instituentium personis, quibus non licet, dederint, ipsi inpugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerant et cavendum summopere est principibus, ut, qui a nemine nunc inde iudicantur, ne in futuro iuditio ab omnipotente Deo gravius iudicentur; secundum apostolum etenim horrendum est incidere in manus Dei viventis. Nos vero, qui debitores sumus, ut fideliter annuntiemus, idcirco humiliter suggerimus, quod silere non audemus.

*Cap. 23.* Quia pestiferas adhuc stirpes et reliquias artis magicae (2) in tantum vigere ad nos perlatum est, ut quaedam maleficae inlicitum amorem aliorum mentibus, aliis vero odium inmittere dicantur, quaedam etiam ita

---

(1) Conf. supra n. 244.

(2) Conf. supra n. 241, 243.

venenariae sunt, ut quosdam peremisse multo populi rumore deferantur, huiusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas sub acerrima penitentia redigendas statuimus, et in ipso tantum exitu, si tamen prius digna poenitentiae opera fecerint, reconciliandas esse permittimus. ...

(MGH Capitul. 2, 116 ss.).

**371.** *Synodus Wormatiensis a. 868. 2.* Chrisma conficere nullus praeter episcopum praesumat: nam illi soli haec dignitas concessa est.

*6.* Multi contra canonum constituta ecclesias quas aedificaverint, et ab episcopo postulaverint consecrari, dotem quam eidem ecclesiae contulerint, ad episcopi ordinationem putant non pertinere. Quod factum et in praeterito displicet, et in futuro prohibetur. Ergo omnia secundum constitutionem antiquam iura ecclesiarum ad episcopi ordinationem, et potestatem pertineant.

*8.* Igitur presbyteris, quamvis cum episcopis plurima mysteriorum communis sit dispensatio; quaedam tamen authoritate veteris legis, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint. Consecratio ergo virginum, et benedictio vel unctio altaris a presbyteris minime fiat. Similiter non liceat eis ecclesias consecrare, nec per impositionem manus paracletum Spiritum tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatum fronte signare, sed nec publice quidem in missa quemquam poenitentium reconciliare. Haec omnia illicita esse presbyteris cognoscuntur, quia pontificatus apicem non habent: quae tamen omnia episcopis authoritate canonum conceduntur.

*15.* Saepe contingit, ut in monasteriis furta perpetrentur, et qui haec committunt ignorentur. Idcirco statuimus, ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse abbas praeceperit, praesentibus fratribus: et sic in ultima missae celebratione, pro expurgatione sua corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocens se esse ostendant.

*22.* Si pater, vel mater, filium, filiamque inter septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderint disciplina non liceat eis, postquam ad pubertatis devenerint annos,

egredi et matrimonio copulari. Hoc ergo omnino devitandum est: quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis frena laxentur. Igitur, ut praediximus, non liceat eis susceptum habitum unquam deserere: sed convicti, quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, in religionis cultu velint, nolint permanere cogantur.

*23.* Monachum ergo aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad saeculum interdicimus regressus.

*25.* Poenitentibus secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio poenitentiae decernuntur. Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum, et affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam et personarum, locorum quoque, et aetatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, aetatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum uniuscuiusque delinquentis a sacris regulis oculos non reflectat.

*30.* Statuimus, ut patricidae et fratricidae per unius anni curriculum ante fores basilicae orantes Domini clementiam perseverent. Completo autem anni curriculo, introducantur in ecclesiam: tamen inter audientes, usque ad dum unius anni spatium finiatur, stent, cum ad missarum solemnia, vel alia sacra audire officia venerint. His ita peractis si poenitentiae fructus in eis conspicitur, corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi participes fiant, ut desperantiae non indurentur caligine. Carnem non manducent omnibus diebus vitae illorum, et ieiunent usque ad nonam horam diei quotidie, exceptis festis diebus, atque Dominicis. Abstineant a vino, medone, atque cervisia mellita tres dies per hebdomadam. Arma gerere non audeant vel sumere, nisi contra paganos: et ubicunque ire maluerint, nullo vehiculo deducantur, sed pedestri more proficisci studeant. Tempus autem huius poenitentiae in episcoporum ponimus arbitrio, ut secundum conversationem illorum, aut extendere vel minuere valeant, Ab uxoribus, si habuerint, non separentur. Si autem non habuerint, et se continere non valuerint, legitimas accipiant in coniugio feminas, ne in fornicacionis voraginem incidere videantur. Et si

finis vitae illorum venerit antequam duorum praedictorum annorum finiantur curricula, viaticum illis non negetur.

*31.* Leprosis autem, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis et sanguinis participatio tribuatur: cum sanis autem eis convivia celebrare non permittatur.

*50.* Sancitum est, ut unicuique ecclesiae unus mansus integer absque alio servitio attribuatur; et presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de praescripto manso aliquod servitium faciant, praeter ecclesiasticum. Et si amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.

(Schannat et Hartzheim, Conciliae Germaniae 2, 311 ss.).

**372.** *Capitulare Carisiacense a. 873.* 7. Et quia audivimus, quod malefici homines et sortiariae per plura loca in nostro regno insurgunt, quorum maleficiis iam multi homines infirmati et plures mortui sunt, quoniam, sicut sancti Dei homines scripserunt, regis ministerium est impios de terra perdere, maleficos et veneficos non sinere vivere, expresse praecipimus, ut unusquisque comes in suo comitatu magnum studium adhibeat, ut tales perquirantur et comprehendantur. Et si iam inde comprobati masculi vel comprobatae feminae sunt, sicut lex et iustitia docet, disperdantur. Si vero nominati vel suspecti et necdum inde comprobati sunt vel per testes veraces inde comprobari non possunt, Dei iudicio examinentur [1]; et sic per illud Dei iudicium aut liberentur aut condemnentur. Et non solum tales istius mali auctores, sed et conscii ac complices illorum, sive masculorum, sive feminarum, disperdantur, ut una cum eis scientia tanti mali de terra nostra pereat.

(MGH Capitul. 2, 342 ss.).

**373.** *Capitulare Papiense a. 876.* In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Incipiunt capitula, quae domnus imperator Karolus [2], Hludovici augusti piae memoriae filius,

---

(1) Conf. supra p. 358, not. 3, p. 407, not. 2, n. 331 (p. 426).

(2) Karolus Calvus, imperator aa. 875-877.

una cum consensu et suggestione reverentissimi ac sanctissimi domini Ansperti archiepiscopi sanctae Mediolanensis ecclesiae necnon venerabilium episcoporum et illustrium optimatum reliquorumque fidelium suorum in regno Italico ad honorem sanctae Dei Ecclesiae et ad pacem ac profectum totius imperii sui fecit anno incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCLXXVI, regni vero sui in Frantia XXXVI, imperii autem sui primo, indictione IX, mense Februario, in palatio Ticinensi.

*Cap. 1.* Ut sancta Romana ecclesia, sicut est caput omnium ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur; neque quisquam contra ius et potestatem ipsius aliquid iniuste agere praesumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem et pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

*Cap. 2.* Ut honor domno et spiritali patri nostro Iohanni, summo pontifici et universali papae, ab omnibus conservetur; et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illa (1) oboedientia in omnibus conservetur.

*Cap. 3.* Et licet in omnibus id observari velimus, praecipue tamen sanccimus, ut in termino beatorum Petri et Pauli apostolorum principum nemo in eundo et redeundo vel ibi morando aliquam vastationem et depraedationem facere praesumat et quae ipsius sanctae Dei ecclesiae propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione sine voluntate ipsius sacri pontificis sibi vindicare praesumat. Quodsi quisquam fecerit, restitutis male praesumptis immunitatem ipsius ecclesiae persolvat et bannum nostrum tripliciter componat.

*Cap. 4.* Ut ecclesiasticus honor et sacerdotalis atque clericalis reverentia debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur et ab omnibus custodiatur, sicut avi et genitoris nostri monent edicta.

*Cap. 5.* Ut imperialis honor ab omnibus fideliter observetur et quae ab eo seu per epistolam seu

(1) Sic. ed.; legendum videtur: *illi*.

per legatos praecipiuntur, a nullo impune audeant violari.

*Cap. 6.* Ut episcopi ministerium suum secundum sacros et sancto Spiritu promulgatos canones peragant, parroechias suas absque alicuius impedimento praedicando, corrigendo et confirmando circumeant; et hoc in agendo nullus eis contraire et, quod ad ministerium illorum pertinet, contradicere in ipsis parroechiis audeat vel eis exinde aliquam molestiam inferat. Sed adiutor, si oportuerit, invitatus a pontifice quisque Ecclesiae filius existat, ut liceat eis criminalia scelera et alia quaeque corrigenda inquirere, discutere et diiudicare canonice. Quod qui temerare proterve praesumpserit, triplicem legem et triplicem bannum nostrum exsolvat.

*Cap. 7.* Ut episcopi secundum sacram iussionem domini nostri Iesu Christi praedicationem per se vel suos congruenter exerceant et presbyteros suos, ut similiter faciant, instruere procurent. Et ut seculares et fideles laici diebus festis, qui in civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant; et qui in villulis et possessionibus sunt, ad publicum officium in plebe festinent. Et nullus latibulosa missarum in suis domibus officia celebrare praesumat sine sui rationali licentia episcopi.

*Cap. 8.* Ut episcopi in civitatibus suis proximum ecclesiae suae claustrum instituant, in quo ipsi cum clero suo secundum canonicam regulam Deo militant et sacerdotes suos ad hoc constringant, ut ecclesias suas non relinquant et aliubi habitare praesumant. Sint etiam subiecti proprio episcopo secundum canonicam auctoritatem, nec per contumatiam ab eorum potestate dissiliant, neque seculari potestati ad hoc eis commendare se liceat aut eos quilibet recipere audeat, ut contra canonicas leges et debitam episcopi potestatem quodammodo defensentur. Huiusmodi vero sacerdotes episcopalis ilico censura disciplinis ecclesiasticis subdat. Nefas est omnium eorum sollicitudinem episcopos non gerere, quibus in committendis sacris ordinibus dignum visum est communicasse. ... (MGH Capitul. 2, 100 ss.).

**374.** *Widonis capitulatio electionis a. 889.* Post bella horribilia cladesque nefandissimas, quae meritis facinorum nostrorum acciderunt huic provincie, disponente iura regni

huius cum tranquillitate sopitis hostibus suis insigni rege et seniore nostro Widone (1) in aula Ticinensi nos humiles episcopos ex diversis partibus Papiae convenientibus pro ecclesiarum nostrarum ereptione et omnis christianitatis salvatione, quae pene iam ad interitum desolationis inclinata erat, annuente nobis eodem principe in uno congregati sumus collegio ea videlicet ratione, ut his, per quos homicidia, sacrilegia, rapine et cetera facinora perpetrata erant, dignam penitentiam ad capiendam salutem subtractis eis a male cepto negotio per veram confessionem Deo adiuvante imponeremus; ac ne ulterius tantum nefas excrescere aut vires sumere valeret, pastorali provisione et auxilio regio compescendum decrevimus.

*Cap. 1.* In primis oramus, optamus operamque damus, ut mater nostra sancta Romana ecclesia in statu et honore suo cum omnibus privilegiis et auctoritatibus, sicut ab antiquis et modernis imperatoribus atque regibus sublimata est, ita habeatur, teneatur et perhenniter custodiatur illesa. Nefas est enim, ut hec, quae totius corporis Ecclesiae caput est et confugium atque relevatio infirmantium, a quoquam temere propulsari vexarive permittatur, presertim cum sanitas ipsius nostrorum omnium sit salubritas. Ipse quoque summus pontifex a cunctis principibus et christiani nominis cultoribus digno semper veneretur honore debitaque precellat reverentia.

*Cap. 2.* Singulorum episcoporum ecclesie cum suis privilegiis et possessionibus, tam interioribus quam exterioribus, inconvulse et incorrupte absque aliqua sui deminoratione vel quorumlibet pravorum hominum iniusta vexatione permaneant, sicut precepta regum et imperatorum sibi collata continent; rectoresque earum libere pontificalem exerceant potestatem tam in disponendis ecclesiasticis negotiis, quam in comprimendis legis Dei transgressoribus universis.

*Cap. 3.* Sancimus etiam, ut neque in episcopatibus neque in abbatiis vel senodochiis aut ullis Deo sacratis locis ulla violentia aut novae conditionis gravamina imponantur, sed se-

(1) Conf. supra n. XCIII.

cundum antiquam consuetudinem omnes in suo statu suoque privilegio perpetuo maneant.

*Cap. 4.* Ut sacerdotum omnium et ministrorum Christi unusquisque in suo ordine condigno veneretur honore et reverentia et cum omnibus rebus ecclesiasticis ac familiis ad se pertinentibus sub potestate proprii episcopi quietus et inconcussus permaneat salva ecclesiastica disciplina. ... (MGH Capitul. 2, 104 ss.).

**375.** *Concilium Triburiense a. 895. Cap. 30.* De eo, si quis ab apostolico falsam detulerit epistolam. In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam Romanam et apostolicam sedem, ut, quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut, licet vix ferendum ab illa sancta sede inponatur iugum, conferamus et pia devotione toleremus. Si vero, quod non decet, quilibet, sive sit presbyter, sive diaconus, aliquam perturbationem machinando et nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab apostolico detulisse epistolam vel aliud quid, quod inde non convenerit, salva fide et integra circa apostolicum humilitate, penes episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam, usque quo per epistolam aut per idoneos suae partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat diffinire, ut et is corrigatur et ceteris modus inponatur.

*Cap. 50.* De eo, si quis aliquem per inlusionem a recta fide subverterit vel perdiderit, ut dupliciter puniatur. Si quis vero, sive sit vir sive mulier, aliquem a recta credulitate et catholica fide inlusione diabolica averterit, « expedit ei », ut evangelicus intonat sermo, « ut suspendatur mola asinaria in collo eius et dimergatur in profundum maris » : quia, qui scandalizaverit alios, ut Deum offendant ac de vera fide et salute recedant, multo melius esset ei, ut propriis vitae suae vitiis et inmunditia pollutus puniretur, quam pro suis et aliorum peccatis in infernum dimergeretur. Et si quempiam veneno vel herbis aut diversi generis maleficiis perdiderit, velut pessimus homicida duplici mulctetur poenitentia.

*Cap. 55.* De poenitentia XL dierum. Si quis sponte homicidium fecerit, XL diebus ab ingressu ecclesiae arceatur et nihil manducet illis XL diebus praeter solum panem et salem, neque bibat, nisi puram aquam; nudis pedibus incedat; lineis non induatur vestibus, nisi tantum femoralibus; saecularia arma non portet; nullo vehiculo utatur; ad nullam feminam nec ad propriam uxorem his diebus misceatur; nullam communionem illis XL diebus cum aliis christianis nec cum alio habeat poenitente in cibo vel potu aut ullis rebus. Si vero sint aliqui vitae suae insidiatores, ut prae illis non possit digne poenitere, interim differatur ei eadem poenitentia, donec ab episcopo proprio pax ei ab illis sit facta. Si enim aliqua corporali infirmitate detentus sit, ut non possit rite ieiunare, adhibeatur ei misericordia, quousque convalescat, et tunc demum poeniteat; si vero longo tempore eadem sit occupatus infirmitate, ad episcopum pertinebit, ut prudenter pertractet, quomodo infirmum peccatorem curare disponat; quia, ut Gregorius pastorali commemorat libro, « occultiora sunt vulnera mentium, quam corporum, et ars est artium regimen animarum ».

*Cap. 56.* Post XL dies poenitentia primi anni. Post illos XL dies unum annum integrum ab introitu ecclesiae suspendatur et abstineat se a carne et caseo, a vino et medone ac mellita cervisia, nisi dominicis et diebus festis, qui per illum episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum, et nisi vel in hoste aut in aliquo magno sit itinere vel longe aut diu ad dominicam curtam vel si infirmitate detentus sit. Tunc licitum sit ei III. feriam et V. atque sabbatum redimere uno denario vel precio denarii sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo; ita duntaxat, ut vel carne vel vino vel medone, id est de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur aut de infirmitate liberetur, praedictas ferias non redimat, sed statuto modo poeniteat. Completo vero unius eiusdemque anni curriculo ita castigatus rite et ordinabiliter more poenitentium introducatur in ecclesiam.

*Cap. 57.* Poenitentia secundi et tertii anni. Secundum vero et tertium annum simili modo poeniteat excepto, quod praedictas tres ferias redimere ius

habeat, ubicunque est, sive in domo, sive in itinere. Caetera per omnia observet, ut in primo anno faciebat.

*Cap. 58.* Poenitentia IV. V. VI. et VII. anni. Quartum enim annum et quintum, sextum et septimum isto modo observet. Ieiunet autem his singulis tres quadragesimas: unam ante pascha Domini a caseo et pinguibus piscibus, a vino et medone ac mellita cervisia; alteram ante nativitatem sancti Iohannis baptistae, si vero desunt XL dies ante nativitatem, inpleantur post nativitatem; tertiam quadragesimam ante nativitatem Domini Salvatoris ieiunet et abstineat se a carne et quinta et sabbato manducet et bibat, quodcunque libeat, et secundam atque quartam feriam denario aut praedicto denarii precio redimere ius habeat; VI. vero feriam caute observet. His VII annis rite expletis reconcilietur et more poenitentium sacris altaribus et sanctae communioni restituatur atque perfectionem consequatur. (MGH Capitul. 2, 196 ss.).

**376.** *Synodus Romana a. 898. 1.* Synodum tempore pie recordationis sexti Stephani pape, decessoris uidelicet nostri celebrata, in qua uenerabile corpus Formosi pape sepultura violata per terram tractum est [2], et quasi ad iuditium aductum est, iudicari et dampnari praesumptum est, quod numquam decessorum nostrorum temporibus fuisse auditum est, penitus abdicamus, et ne ulterius praesumatur fieri de quolibet, Spiritus sancti iuditio interdicimus, quia ad iuditium uocari humanum mortuus non potest, cum persona, que ad iuditium uocatur, ideo uocatur, ut aut fateatur obiecta, aut conuincatur obiectis, et omnibus patet, quia mortui cadauer pro se nec respondere nec satisfacere potest.

*2.* Episcopi presbyteri, et relicus clerus, qui eidem synodo interfuerunt, quia ueniam petentes, coacte et se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt, preces sancte synodi eis indulsimus, statuentes et decernentes, ut nullus futuris temporibus episcopis uim inferre, uel eos temere lacerare praesumat, quatenus cum ad synodum conuenerint, libere eos trac-

(1) Textum a I. D. Mansi, 18, 223 ss. editum ad fidem codicis Vallicelliani A 5 (ff. 337-339 saec. X) correxi.

(2) Conf. supra n. XCIII.

tare et statuere liceat, quae sanctorum patrum canonica censura decreuerit. ... Indignum quippe est, ut sacerdotio senatus preiudicet, cum pateat populum sequendum non esse, sed docendum. (1)

*3.* Quia necessitatis causa de Portuensi ecclesia Formosus pro uitae merito ad apostolicam sedem prouectus est, statuimus et omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, presertim cum sacri canones hoc penitus interdicant, et presumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. ...

*4.* Reordinationes seu et rebaptizationem et sedium inmutationes sancti patres in Africano concilio congregati omnimodis interdixerunt, quos secuti et nos interdicimus. ...

*5.* Episcopi igitur seu presbyteri atque diaconi, necnon et subdiaconi, ceterique alterius ordinis clerici sancte sedis apostolice, qui ab eodem venerando papa Formoso consecrati canonice, et pro quorundam libitu temere deiecti sunt, in proprios ordines et gradum communi sanctae synodi consultu reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos Deo auctore decernimus.

*6.* Unctionem itaque sacri crismatis in spiritalem filium nostrum domnum videlicet Lambertum excellentissimum imperatorem actam, perpetua stabilitate dignitatisque decore firmam et in aeternum stabilitam esse, sancto sufragante Spiritu, decernimus. Illam vero barbaricam (2), quae per subreptionem exorta est, omnimodis abdicamus. Consignationes autem sacri crismatis et olei, uel que pro statu ecclesiae gessit, firma et inuiolata omni tempore permaneant, apostolica auctoritate sancimus (3).

---

(1) Conf. Caelestini I epistulam « Nulli sacerdotum » (JL 371) ex a. 429: « Docendus est populus, non sequendus » (COUSTANT, p. 1074; ML 67, 278).

(2) Apud Mansi: *barbaricam Berengarii.* In codice nomen non legitur; intelligenda est unctio Arnulfi; Berengarius enim a. 916 demum imperator coronatus est. Conf. supra n. XCIII.

(3) In codice deest sequens capitulum (apud Mansi n. 9): « Violatores namque seu corruptores sacri tumuli eiusdem domni Formosi papae, qui sub foedere conspirationis ad capiendum thesaurum corpus illius trahentes in fluvium Tiberim iactare non timuerunt, divina auctoritate, synodalique nostro consultu, nisi resipuerint, sint a sanctae Dei Ecclesiae liminibus separati ».

*7.* Ea siquidem que de ipso praenominato concilio scripta esse noscuntur, quoniam irrita et contra canonicam auctoritatem praesumpta sanxistis, decernimus una cum vestro consultu in conspectu omnium vestrum, si placet, igne crementur. Sicuti de latrocinali Ariminensi synodo et Efesena secunda scriptum continetur, de his que contra sanctissimum papam Leonem ab ereticis acta sunt et secundum quod tempore domni Adriani iunioris pape synodali conventu illa quae contra domnum Nicholaum beatissimum papam Constantinopoli nequiter acta fuerat, igne cremata [1] in sancta Romana ecclesia constat fuisse.

*8.* Quia sancta Romana ecclesia, cui Deo auctore praesidemus, plurimas patitur pontifice obeunte uiolentias, quae ob hoc inferuntur, quia absque imperiali notitia et suorum legatorum presentia pontificis fit consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab imperatore directi intersunt nuntii, qui uiolentiam et scandala in eius consecratione non permittant fieri: uolumus id ut deinceps aboleatur, et cum instituendus est pontifex, conuenientibus episcopis et uniuerso clero, praesentibus legatis imperialibus eligatur, expetente senatu et populo, qui ordinandus est, et sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, praesentibus legatis imperialibus consecretur. [2] Nullusque sine sui periculo iuramenta uel promissiones aliquas nova adinuencione ab eo audeat extorquere, nisi quae antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel imperatoris honorificentia minuatur. ...

*10.* Quia scelestissima etiam consuetudo inoleuit, ut obeunte sancte Romane sedis pontifice, ipsum patriarchium depraedari soleat, et non solum in eodem sancto patriarchio, sed etiam per totam ciuitatem, et suburbana eius talis bacchatur praesumptio, nec non quia et id inultum actenus neclectum est, unde et omnia episcopia eadem patiuntur uniuscuiusque ecclesiae obeunte pontifice, penitus ne ulterius presumatur, omnimodis interdicimus. Quod qui facere praesumpserit, non solum ecclesiastica censura, sed etiam imperiali indignatione feriatur. ... (Mansi, 18, 223 ss.).

---

(1) In synodo Romana a. 869 damnata est synodus a Photio a. 867 Constantinopoli celebrata. Conf. LP 2, p. 179 et Hadriani II epistulam ex a 869 (JL 2914) in MGH EPP 6, p. 756.

(2) Conf. supra p. 293, 389, 391 s.

# ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag. 1, n. 2, lin. 2: Post verbum « gladios » adde: « suos ».

» 2, n. , lin. ult.: Post verbum « occasionem » adde: « non ».

» 44, XVII: Ad *Statuta Ecclesiae antiqua* conf. G. MORIN, *Les St. Eccl. ant. sont'ils de Césaire d'Arles* in RB 30, 1913, p. 334 ss.

» 93. Transponantur notae: quae nunc est 2, ponatur primo loco et vice versa.

» 101, not. 1. Adde: Conf. C. MAGNI, *Ricerche sopra le elezioni episcopali in Italia durante l'Alto Medio Evo*, Roma 1928, p. 34 ss., 67 ss.

» 122, lin. 2: « ML 83 H » dele « H ».

» 170, n. **154** corr. **155**.

» 192, n. **175** corr. **173**.

» 222, L. Quae de poenitentiali Theodori tenenda sint, optime exposuit F. LIEBERMANN in ZSS XLII 1922, KA 12, p. 387 ss.

» 361, n. 291: Ad litem inter Aretinam et Senensem ecclesiam conf. documenta aa. 650, 714, 715 nuper egregie edita a L. SCHIAPARELLI in *Codice diplomatico Longobardo* (FSI 62), Roma 1929, nn. 4, 17, 19, 20.

» 385, LXXXIII: Privilegii Paschalis I pro Ravennatensi ecclesia ex a. 819 exemplar autographum phototypice depictum invenies in *Pontificum Romanorum diplomata papyracea Hispaniae, Italiae, Germaniae*, Romae 1929, Tab. 1.

» 393, n. 307, c. 19: Conf. S. MOCHI-ONORY, *Ricerche sui poteri civili dei vescovi nelle città Umbre durante l'Alto Medio Evo*, Roma 1930, p. 122 ss.

» 412, not. 4: Egregiam libelli paenitentialis saec. IX editionem habes in W. v. HÖRMANN, *Bussbücherstudien*, ZSS XXXII, 1911 KA 1, p. 195 ss.; XXXIII. 1912 KA 2, p. 111 ss.; XXXIV, 1913 KA 3, p. 413 ss.

» 423, not. 2: Lupi Ferrariensis epistulas nuper ed. L. LEVILLAIN in *Les classiques du Moyen-Age*, fasc. 10, Paris 1927.

» 434, not. 2 et pag. 462, not. 1: De collectionibus canonum spuriis saec. IX optime egit A. VAN HOVE in *Commentarium Lovaniense in Codicem iuris canonici* I, 1, Mechliniae 1928, p. 141 ss.

» 467, not. 1: pro: « n. 224 c. g. » leg.: « n. 224 c. 9 ».

» 477, XC, adde: E. DE MOREAU, *Saint Anschaire, missionaire en Scandinavie au IX^e siècle*, Louvain 1930.

» 491, XCIII: De Berengario, Lamberto, Widone conf. FSI vol. 35: *I diplomi di Berengario* et vol. 36 *I diplomi di Guido e di Lamberto* edita a L. SCHIAPARELLI.

## COMPENDIA

AASS — Acta Sanctorum, quotquot toto orbe coluntur, Antverpiae-Bruxellis, 1643 ss.

ABA — Abhandlungen der preuss. Akademie der Wissenschaften, philos. histor. Klasse. Berlin, 1788 ss.

ACO — Acta Conciliorum oecumenicorum, iussu Soc. Scientiarum Argentoraten. ed. E. Schwartz, Argentorati-Berolini, 1914 ss.

AKK — Archiv für Kathol. Kirchenrecht, Innsbruck-Mainz, 1857 ss.

AMA — Abhandlungen der bayerischen Akademie der Wissenschaften, Philos. philol. histor. Klasse, München, 1763 ss.

BECH — Bibliothèque de l'Ecole des Chartes, Paris, 1839 ss.

BEHE — Bibliothèque de l'Ecole pratique des Hautes Etudes, Paris, 1889 ss.

BHL — Bibliotheca hagiografica latina antiquae et mediae aetatis edd. Socii Bollandiani, Bruxellis, 1898.

BISI — Bullettino dell'Istituto Storico Italiano, Roma, 1886 ss.

BOEHMER, Reg. Imp. — I. F. Böhmer, Regesta Imperii I, Die Regesten des Kaiserreichs unter den Karolingern. 2 Aufl., 1. Bd., Innsbruck 1908.

BRG — Bibliotheca rerum Germanicarum ed. Phil. Jaffé, Berolini, 1864-73.

CB — (Corpus Berolinense). Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, Berlin, 1897 ss.

CIV. CATT. — La Civiltà Cattolica, Napoli-Roma 1850 ss.

COUSTANT. — Epistolae Romanorum Pontificum ed. P. Coustant O.S.B. Tom. I, Parisiis. 1721

CSEL — Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum ed. Academia Vindobonensis, Vindobonae, 1866 ss.

DENZINGER — Denzinger - Bannwart - Umberg, Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Editio 16. Friburgi, 1928.

EL — Ephemerides liturgicae, Romae, 1887 ss.

FSI — Fonti per la Storia d'Italia, pubblicate dall'Istituto Storico Italiano, Roma, 1887 ss.

H. BRADSHAW SOCIETY. — Henry Bradshaw Society for the editing of rare liturgical texts. London, 1891 ss.

HJGG — Historisches Jahrbuch der Görres-Gesellschaft, Münster-München, 1880 ss.

JL — Regesta Pontificum Romanorum ed. Phil. Jaffé, Editio 2, cura S. Loewenfeld, F. Kaltenbrunner, P. Ewald, vol. 1, Lipsiae. 1885.

JTHS — The Journal of theological Studies, London-Oxford, 1899 ss.

KIRCH — Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae ed. C. Kirch, ed. 4. Friburgi, 1923.

KRA — Kirchenrechtliche Abhandlungen hg. von U. Stutz, Stuttgart. 1902 ss.

LD — Liber diurnus Romanorum Pontificum ed. Th. v. Sickel, Vindobonae, 1889.

LP — Le Liber Pontificalis. Texte, introduction et commentaire, par L. Duchesne, 2 voll. Paris, 1886 et 1892.

MAH — Mélanges d'archéologie et d'histoire, Paris-Rome, 1881 ss.

MANSI — Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio, ed. Joh. Dom. Mansi, Florentiae, 1759 ss.

MG — Patrologiae cursus completus. Series graeca ed. J. P. Migne, Paris, 1857 ss.

MGH — Monumenta Germaniae historica, Hannover-Berlin, 1826 ss.
AA Auctores antiquissimi. EPP Epistolae. FIGA Fontes iuris Germanici antiqui in usum scholarum separatim editi. LL Leges. PL Poetae latini. SS Scriptores. SS RR Merov. Scriptores rerum Merovingicarum. SS RR Langob. Scriptores rerum Langobardicarum et Italicarum. SSUS Scriptores rerum Germanicarum in usum scholarum separatim editi. Epist. sel. Epistolae selectae.

MJA — Ecclesiae Occidentalis Monumenta iuris antiquissima ed. C. H. Turner, Oxonii, 1899 ss.

MIOG — Mittheilungen des Instituts für oesterr. Geschichtsforschung. Innsbruck-Wien, 1888 ss.

ML — Patrologiae cursus completus, series latina, ed. J. P. Migne, Paris, 1844 ss.

NA — Neues Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, Hannover, 1876 ss.

PARA — Pontificia Accademia Romana di Archeologia.

RB — Revue Bénedictine, Maredsous, 1884 ss.

RHE — Revue d'histoire écclésiastique, Louvain, 1900 ss.

RHLR — Revue d'histoire et de littérature religieuses. Paris, 1896 ss.

RS — (Rolls Series) Rerum Britannicarum medii aevi scriptores, or chronicles and memorials of Great Britain and Ireland during the middle ages. Published under the direction of the master of the rolls. London, 1858 ss.

SBA — Sitzungsberichte der preuss. Akademie der Wissenschaften, philos. histor. Klasse. Berlin, 1882 ss.

SBMA — Sitzungsberichte der bayerischen Akademie der Wissenschaften, philos. philol. histor. Klasse. München, 1860 ss.

SBW — Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften, philos histor. Klasse, Wien, 1848 ss.

THIEL — Epistolae Romanorum Pontificum ed. A. Thiel, Tom. I (aa. 461-523), Brunsbergae, 1868.

TU — Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, Leipzig, 1883 ss.

ZKG — Zeitschrift für Kirchengeschichte, Gotha, 1876 ss.

ZKTH — Zeitschrift für Katholische Theologie, Innsbruck, 1877 ss.

ZSS KA — Zeitschrift der Savigny-Stiftung für Rechtsgeschichte: Kanonistische Abteilung. Weimar, 1911 ss.

# INDEX NOMINUM (1).


A

Abd-ar-Rahman II, LXXXIV; Habd-arraghmanis regis Arabum, 333.
Abel, archiepiscopus Rhemensis, 211; 220 c. 3.
Abellinates ecclesia, 25
Abilensis ecclesia, 120.
Acacius, Constantinopolitanus eps., VIII, XIV; Achatius, 326.
Actardus, Namnetensis episc., 338.
Adalgarius, Hamburgensis archiep., 369.
Adalhardus, Corbeiensis abbas; *LIX. LXVIII, LXIX, pag. *377[2]; *LXXVII; Statuta Corbeiensia, *314.
Adaloald, Langobardorum rex; filium nostrum Adulouualdum 88; fratri Adualualdo regi gentis L.-rum, *113.
Adamnanus, Ionae abbas, *XLV; de S. Mariae sepulchro vacuo, *167; de loco nativitatis Domini, *168; de Nazareth et ecclesiis eius, *169.
Adelfredus, Cantuariorum archiep., *341.
Adelperga, Arichis ducis uxor, LIX.
Adescancastrae, monasterium, LIV.
Aedilberct, rex Cantiae, *178.
Aegyptus, 84, 316.
Aelbert, Eboracensis archiep., LXV, *264.
Aelfleda s., abbatissa, 176.
Aelfuualdus, Transhymbrane gentis rex, 251.
Aemilia; Emiliae episcopi, 52; Ravennam et Emiliam, 304.
Aemilianae titulus, 25.
Aemilianus, s., monachus, XXXV.
Aeneas, Parisiensis episc., p. 433[3].
Aeonius, Arelatensis episc., XVII.
Aequitii titulus, 25.
Aethelbaldus (Aedilbaldus), rex Merciorum, 218.
Aethelred rex, *267.
Aetius, *7.
Afri, 34, 91.
Africa, *7, *VII, *34; *190; *265; 324; 316; Africanum concilium, *254 c. 11, 12; *352; 376 c. 4; Canonum Africanensium, 325 c. 14.
Agaliense monasterium, XL.
Agapitus consul., 29.
Agapitus papa, *57.
Agareni, *v.* Saraceni.
Agathae (s.) monasterium (Novum), Papiae, 166.
Agathense concilium, *40.
Agatho papa, *185, *188.
Agaunum, XII; monast. Agaunen-


(1) Nomina auctorum, ex quorum operibus loci referuntur, diductis litterarum spatiis distincta sunt. Numeri, quibus non praeit littera p., capitula et paragraphos indicant (conf. Tabulam fontium); numeri superscripti paginarum numeris (p. 377[2]) notas indicant. Canones conciliorum vel capitula praemissa littera c, (254 c. 11, 12) indicantur. Stellulis loci maioris momenti distinguuntur.

sium, Agaunensis, 156, 157; monast. s. Christi martyris Maurici, *219; Uuilliharius episc. de monasterio s. Mauricii, 227.
Agiltrudis, Widonis imperatoris uxor, XCIII; Agildrudae *369a.
Agilulfingi duces, p. 227[4], p. 272[2].
Agilulfus, Langobardorum rex, XXIX; 75; 146; Ago, 72.
Agnellus, p. 324[2].
Agobardus, Lugdunensis archiep., *LXXIX; adversus legem Gundobadi, *317; de tempestariis aliisque superstitionibus, *318; cartula de poenitencia Ludovici, *319.
Agricola, Pelagianus in Brittannia, *7.
Aistulfus, Langobardorum rex, LX, p. 318[1]; Lex de monasteriis et xenodochiis, quae in defensione sacri palatii sunt, *244; A. nequissimus rex, 219; nefandissimus A., 219; nec dicendo A.-o tyranno, 219; ab iniquo Haistolfo, 255.
Alamanni, X; 23; 63; XXIX, *LIII; *198; Alamanni vel Baioarii vel Franci, 208; Alamannicus; rex meus sit iure A.-cus, 30.
Alaricus II, Wisigoth. rex, XXXIV, 53.
Albanensis episcopus, 98.
s. Albinus Andegavensis ep., XXVI.
Albinus, abbas Cantuariae, *177.
Albofledis, Chlodovaei soror, 63.
Alboinus, Langobardorum rex, XXI; rex Alboenus, *53.
Alcuinus, *LXV; LXXXIII; Versus de Aelberto magistro Eboracensis scholae, *264; Versus de Eboracensi bibliotheca, *265; epistula de s. Willehad, Bremensi episc. 266; epistula de Lindisfarnensis ecclesiae vastatione per Normannos, 267; ad Karolum M. de ratione evangelizandi paganos, *268; ad Arnonem Salisburgensem archiepisc. de eadem re, *269; ad Eanbaldum Eboracensem archiep., 270; ad Karolum M. de schola sua Turonensi, 271; ad Arnonem Salisburg. de cura pastorali, *272; ad Karolum M. de Leone III papa, *273; ad Arnonem Salisburg. de eodem, p. 337[2]; ad Fuldenses monachos de missali, *274; ad Adalhardum Corbeiensem abbatem de Angilberto, LXVIII; de conversione Adoptianistarum, p. 375[2]; Alquinus lector 251, Alchvine 267; Alchvinus 274; Albinus 268, 269, 270; Flaccus Albinus 271, 273, p. 364[5]; Aliquinum 277 c. 56; Albinum cognomento Alcoinum, *316.
Aldebertus, *212; Eldebert, natione genere Gallus, 212; in Adlaberto, 220 c. 2.
Aldfrith, rex Nordanhymbrorum, 176; Aldfrid, 186; 189; 190.
s. Aldhelmus, *XLVI; *172; p. 430[1]; epistula ad Leutherium Wintonensem episc. de schola Cantuariae, *170; ad Ehfridum de Theodoro et Hadriano, *171; Althelmus, 265.
Aldherius abbas, p. 275[3].
Alexandria, 57; *316; 338; Alexandrina ecclesia, 324; Alexandrinus populus, 80.
Allifana ecclesia, 25.
Alpium Cottiarum patrimonium, *237.
Alsatia, LIII; in pago Alsacense, in Alsatz, 302.
Altivilalrense monasterium (Hautvillers), p. 425[2].
Amalarius, Trevirensis episc., LXXIX; p. *406[3]; p. 354[1].
Amalasuintha, Gothorum regina, XXII.

s. Amandus, episc., XXXVIII; Martini I epistula ad s. A.-um, *138.
Amantius diaconus, 23.
Ambianensis (Amiens) ecclesia, *156; in Ambianense parrochia, 153.
Ambrosius primicerius, 219.
s. Ambrosius, Mediolanensis episc., 191, *301, 332; s. antistes A., 190; A. praesul. *265.
Amerina ecclesia, 25.
Amiatinus codex, p. 214[2].
Amiternina ecclesia, 25.
Anagnia, 25; 304.
Anagrates (Annegray) monasterium, XXIX.
Anastasiae titulus, 25.
Anastasius II papa, *IX; 326; epistula ad Chlodovaeum, *22.
Anastasius Bibliothec. *LXXXIX; LXXXV; *364; praefatio VII synodi, *356.
Anastasius, diaconus regionis I, 25.
Anastasius, Arianus episc. Ticinensis, *235.
Anatolius, Laodiceae episc., p. *104[1]; 101; A.-us vir sanctus, *182.
Ancyrani concilii canones, *254 c. 23; 325.
s. Andreae oratorium, ecclesia (Romae), 173; 364; in vigilias b. A.-ae apostoli, 294; natale b. A.-eae ap., 294; festivitas s. A.-eae, *286 c. 19.
s. Andronici sedes, 365.
Angilbertus, Mediolan. archiep., 370.
Angilbertus, s. Richarii Centulae abbas, *LXIII; de ecclesia Centulensi libellus, *293.
Angilramnus, Mettensis episc., *277 c. 55; Engelramno, 351; capitula Angilramni, p. *462[1].
Angli, XLI; XLVI; XLVII; *XLVIII; L; LII; LV; LXV; *78, *80, *84, *85; 174; p. 195[2]; *177; *178, 179; *183; 185; 187; 207; p. 330[3]; *341; ecclesia A.-orum, *85; *183; 184; 185; 188; A.-orum lingua, 190; nostra lingua, *191; in A.-orum Saxonia, *251.
s. Aniani monasterium, 300 c. 19.
Anianum monasterium, Anianus fluvius, 302.
s. Annemundus martyr, p. 193[2]; 299.
s. Ansani monasterium, 291.
Ansegis, Fontanellensis abbas, *LXVI.
Ansegis, Sennonensis ep., LXXXVIII.
Anselmus, comes palatii, 289.
s. Anskarius, Hammaburgensis archiep., LXXVII; *XC; *357; *358; *359; 369; p. 507; epistula ad Germaniae episcopos, *360.
Anspertus, Mediolanensis archiepisc., 373.
Anterus papa, *338.
Anthemius imperator, VI.
Anthimus, Constantinopolitanus episc., p. 52[1].
Antiatina ecclesia, 25.
Antichristus, 9, 135.
Antiochia, 338; Antiochensis ecclesia, 324; quattuor precipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolimitanam, *252; Antiocheni canones, *254 c. 1; *325 c. 14.
Aquae, 277 c. 8.
Aquaevivensis ecclesia, 25.
Aquileiensis ecclesia, LXVII; *290; *292; Aquileiense schisma, *XLIV; *166; Aquiligenses, 166.
Aquisgranensis synodus a. 800, p. 327[1]; a. 816, p. *383[3]; conventus a. 828, LXXVII; iuxta Aquis palatium, 302; basilicam Aquisgrani, *316.
Aquitani, 6; Aquitania, 277, 293,

LXXX; p. 429[1]; Aquitanica II, 7; Aquitanicum capitulare, LVII, 226.
Arabes, 333.
Aragus flumen, 333.
Arator, poeta, 265; 301.
Arausica civitas, 29.
Arcadius, martyr in persecutione Wandalica, *7.
Arculfus, episc. Francus, *XLV; *167; *169.
Ardo, s. Benedicti Anianensis biographus, LXXII, 302.
Arelate, p. 25[2]; XVII; XIX; 105; Arelas, p. 405[1]; Arelatensis ecclesia, *277 c. 8; epistularum collectio Arelatensis, p. 345[1]; Arelatensis synodus a. 314, p. 96[4]; a. 813, p. 352[1].
Aretina ecclesia, *291; p. 507.
Ariani, VI; VII; XII; XV; XXIII; Ariana contagio, *113; A.-na haeresis, 64; 116; 119 c. 1; 166; *235; A.-na impietas, *7; 114; A.-na insania, *114; *115; A.-na perfidia, *7; 146; A.-ni sacerdotes, 34; A.-nus episcopus, *235; in errore Arianorum, *119.
Aribertus, Aretinus episc., 291.
Arichis, dux Beneventi, LIX; lex de clericis occisis, *245.
Arigernus, 26.
Ariminum, 304; A.-ensis synodus, 376, c. 7.
Arioald, Langobardorum rex, 235.
Aripertus, Langobardorum rex, 237.
Aristoteles, *265.
Arius, 73; contra A.-ium impiissimum, 184.
Arn, Salisburgensis archiepisc., LXV; p. 332[2]; p. 337[1]; p. 377[2]; dulcissimo fratri et sanctissimo praesuli Aquilae, *269; Aquile per Alpes volanti, *272; Arno, Iuvavensis ecclesie archiepisc., *292; sancto Arnoni archiepisc. vestro, *295; Arno, 294.
Arnulfus imperator, p. 233[1]; XCIII; 369*a*; p. 505[2].
Arsenius episcopus, 364.
Arsenius-Wala, LXXVII.
Arverni, VI; 12; XXV; Arvernense concilium a. 535, p. 47[1]; XXI.
Aschheimense concilium, LVII; *223.
Asinarius, abbas de Novalicio, 227.
Aspar, 26.
Asturiensis ecclesia, 120.
Atthala, Bobbiensis abbas, XXIX; XXXVIII.
Athalaricus, Gothorum rex, XXII; rescriptum ad clerum Romanum, *55.
Athanachild, Wisigothorum rex, 64.
s. Athanasius, Alexandrinus episc., *265; fidem catholicam s. A.-ii, 288; in fide s. A.-ii, 298; fides s. A.-ii, *313 c. 4.
Athaulfus, rex Wisigothorum, 3, 7.
Athilius, Cellensis monasterii abbas, 333.
Attila, Hunnorum rex, *7.
Attiniacum (Attigny), synodus apud villam publicam A. a. 762, *227; concil. a. 822, *309; 310; LXXVII.
Audomarus episc., 156.
Augia diues (Reichenau) monasterium, LIII; p. 233[1]; LXXVI; LXXXI; Sindlezzeisauua, *198.
s. Augustinus Hipponensis episc., I; XVII; 208; 265; 268; 269; 301; 320; 352; p. 430[1]; s. A.-ni praeclari doctoris, 156; beatissimi et doctissimi patris A.-ni, 330; Sanctorum patrum Hieronimi, A.-ni, Gregorii, 212, Hieronimum, A.num, Gregorium, Ambrosiumque, 332; dicta Hieronimi, A.-ni, Isidori, 325.

s. Augustinus, Angliae apostolus, *78; 84; *85; *178; p. 202[3]; 215; 251.
Augustodunensis episc., 111; civitas Augustidunum, 105; Agustae, 29.
Aunarius, Autissiodorensis (Auxerre) episc., *61.
s. Aunemundus, Lugdunensis episcopus, p. 193[2]; 299.
Aurelianense concilium a. 538, *42; a. 541, *43, p. *104[2]; a. 544, *44; a. 549, XXI; Aurelianensis ecclesia, 105, LXXI; LXXX; Aurelianensis parochiae sacerdotibus, *300.
Aurelianus, Arelatensis episc., *49; 50.
Ausonensis ecclesia, 120.
Ausonici decoris, 102.
Austrasia, LVII.
Autcharius dux, 219; LVIII.
Autissiodorense concilium a. 573/603, *47.
Autpertus abbas, 239.
Avari (Huni), p. 330[1]; p. 331[1]; p. 333[1].
Avennione, 159.
Avienus vir consularis, 7.
s. Avitus, Viennensis episc., *XII; 265; 301; 29; epistula de causa Symmachi papae, *27; epistula gratulatoria ad Clodovaeum, *28; p. 23[1]; praestantissimus inter Gallos A. Viennensis episcopus, *32.
Avitus imperator, VI.

## B

Baetica, *33, 114.
Baioaria, *196; 211; LIV; LVII; Baioarii, *206; 208; p. 227[4]; dux gentis Baioariorum, *195; provincia Baiowariorum, *295; libellus de conversione Bagoariorum et Karantanorum, p. 446[4]; concilium Baiuwaricum, *221.
Balneum regis, 304.
s. Balthildis, *XLI; *152; *153; *154; *155; precelsa domna Balthilda regina, *156; malivola regina, nomine Baldhild, 174.
Bangor monasterium, XXIX; Bangorense antiphonarium, p. *103[2].
Barbarae insulae monasterium regale, 299; insulam Barbaram, 302.
Barcinonensis ecclesia, *112; 120.
Bardonis mons, *248; in summa Bardonis alpe monasterium, 240.
Bargoma, *101.
Bartholomaeus, Narbonnensis episc., LXXIX.
Basileensis (Basel) episcopat., LXXVI.
s. Basilius, 265.
Baugulfus, Fuldensis abbas, *278.
s. Bavonis, Gandavensis abbatia, LXXVIII.
Bebbanburg, 176.
s. Beda Venerabilis, XLV; XLVII; *XLVIII; XLIX; LI; LII, LXV; LXXXIII; de fontibus historiae ecclesiasticae gentis Anglorum, *177; de s. Augustini adventu in Angliam, *178; de Scottorum et Brittonum schismate, *179; de disputatione inter Colmanum et Wilfridum circa Paschae celebrationem, *182; de Theodori et Hadriani adventu in Angliam, *183; de synodo in Hatfield a. 680 celebrato, *184; de Iohanne archicantore s. Petri, *185; de Caeduallae regis itinere Romam, *186; de s. Benedicto Biscop, *187; *188; de Ceolfrid abbate, *189; epistula ad Egbertum Eboracensem archiep., *190; Baeda, Baedanus, 191; Beda magister, 265.
Bedeulf, 26.

Bellovacensis ecclesia, 355; synodus a. 845, LXXXVIII.
s. Benedictus, *XXVII; beatus pater Benedictus, 239; s. Benedicti regula, p. 108[1]; *111; 198; 209 c. 7; 210 c. 1; 284 c. 12; 298; regula s. patris B.-i, 234; regulam s. patris nostri B.-i, LVIII; secundum regulam beatissimi B.-i, 287 c. 10; regulam, quam beatus pater B. suis sanctis manibus conscripsit, *239; *LXXVI; sub regula s. B.-i vel sancti Columbani, *156; (ecclesia) in honore s. B.-i abbatis, 293; s. B.-i monasterium, 300 c. 19.
s. Benedictus Anianensis, LXXII; LXXVI; *302; domnum B.-um abbatem, 299.
s. Benedictus Biscop, XLVIII; *185; *187; *188; 189; p. *212[3].
Benedictus Crispus, Mediolanensis archiep., p. 212[1], *238.
Benedictus Levita, p. 462[1,3].
Benedictus II papa, p. 166[2].
Benedictus III papa, p. 423[2]; LXXXVIII; LXXXXIX.
Beneventum, 240; 260; patrimonium B.-num, *304; B.-orum ductor, 236; B.-orum dux, LIX; 195; 318; B.-anus ducatus, *248; B.-ani viri et feminae, 318; Beneventana ecclesia, 25.
Bercetum monasterium, 240; in Verceto, *248.
Berhtvaldus, Cantuariorum ecclesiae et poene totius Brittanniae archiep., *176.
Bercta, Cantiae regina, 178.
Berengarius, Foroiuliensis comes, XCIII; p. 507.
Bernardus, comes Septimaniae, p. 414[2].
Bernardus, Italiae rex, LXXI.
Bernardus, Viennensis archiepiscopus, LXXIX.
Bernoldus Constantiensis, LXXXVIII.
Bertha, Karoli M. filia, p. 364[4]
Berthari v. Pertharit.
Berthefridus, Ambianensis episc., *XLII; privilegium pro Corbeiensi monasterio, *156.
Bertila abbatissa, 154.
Bertiniani annales, LXXXVIII.
Bertrada. Karoli M. mater, p. 322[2].
Bertulfus, Bobbiensis abbas, XXIX; XXXVIII.
Bethleem, 3; Bethlehemitica spelunca, *168.
Biclaro monasterium, 115.
Bisacium, 34; Byzacena provincia, VII; p. 20[1].
Bituriges, p. 405[1]; Beturregas civitas, 105.
Blerana ecclesia, 25.
Bobbio monaster., *XXIX; XXXVIII; *146; LXXVII; p. 377[2]; p. 395[1].
Boetius philosophus, 265.
Boetius, praefectus praetorio per Africam, p. *56[1].
Bonifacius I papa, 335.
Bonifacius IV papa, *102.
Bonifacius, Carthaginensis episc., *156.
s. Bonifatius, Germaniae apostolus, *LIV; LI; LV; LVII; 195; *202; *203; *204; *205; *206; *209; *211; *212; *215; p. 219[1]; p. 311[1]; p. 268[3]; p. 275[3]; epistula ad clerum Angliae, *207; ad Zachariam papam, *208; *212; ad Stephanum II papam, *213; *214; iuramentum in ordinatione, p. *100[1]; B. episcopus, 202; 203; universalis ecclesiae legatus Germanicus et servus sedis apostolicae B. qui et Uuynfrethus, 207; archiepiscopum B.-um, qui est missus s. Petri, 209; B.-ii archiepiscopi

provinciae Germaniae, 212; B. exiguus episcopus discipulus Romanae ecclesiae, 213; B. exiguus legatus vel missus Germanicus catholice et apostolice Romane ecclesiae, 214; patre nostro beatae memoriae Bonifatio martyre, *215; (missam) sanctissimi patris vestri B.-ii cantare, 274.

Bonifatius episcopus Veliternensis, 25.

Bonifatius, archidiaconus Romanus, 173.

Bonifatius diaconus, 72.

Bonifacius secundicerius, 219.

Bononia, 304.

Bracara (Braga), I; XXIII; XXIX; Concilium Bracarense a. 561, *60; a. 572, XXIII; ecclesiae Bracarensis metropolitanus, 120.

s. Braulio, Caesaraugustanus episc., XXXII; *XXXV; 120; p. 148[1]; p. 167[3]; epistula ad Fruminianum abbatem, *134; ad Honorium I papam, *135; ad Eutropium episcopum, *136; ad Chindasvinthum regem, *137.

Bremensis ecclesia, p. 329[1]; *XC; XCIII; *369; Bremon, p. 492[1].

Brettones, *179; 182; a Scotthorum vel Brittonum episcopis, *194.

Brigantia (Bregenz), XXIX.

Brittanni, *7; Brittannia, *171; 173; 174; 176; 179; 183; 184; 185; 218; 267; 271; *297; 316; 325; Brittanniae, 187, 188.

Brittannica canonum collectio, *VIII; p. 299[3]; LXXXII; LXXXVII; XCI.

Brixia, *308.

Brunigildis, Francorum regina, *78; *81; *83; XXIX; XXXI.

Bubulcus, episc. civitatis Vindonensis, 29.

Bulgari, *LXXXV; LXXXVII; XCIII; novam B.-orum gentem, *342; B.-orum nobis iure pertinentem patriam, p. 447[2].

Buraburg episcopatus, *208; p. 247[1].

s. Burchardus (Burghardus), Wirceburgensis episc., 209.

Burdigala, 105; p. 405[1].

Burgundia, 293; Burgunnia, 169; Burgundio, 10; Burgundiones, 2; 7; provincia Burgundiorum, 302.

s. Burgundofara, XXXVIII.

Burgundofaro episcopus, p. 171[2].

Busbrunnum monasterium (Wessobrunn), 227.

Byrca (Björkö), 357

C

Cabalonensis civitas, 29; Cabillonno, 105; Cabillonense concilium a. 639/654, *109; a. 813, p. 352[1], p. *412[4].

Cadurcena urbs., *140; Caturcus civitas, 105; Cadurchae ecclesiae, *141.

s. Caeciliae titulus, 25; ecclesia, 87.

Caedualla, rex Orientalium Saxonum, *186.

Caelestinus I papa, *7; 325; 335; p. 505[1].

Caesaraugustana ecclesia, 120; XXXV; urbs, 151.

s. Caesarius Arelatensis episc., *XVII; *48; p. *25[1]; p. 39[1]; p. 234[1]; p. 507; sermo de Kalendis Ianuarii, *38; sermo in quadragesima, *39; canones conciliorum Agathensis et Vasensis, *40, *41.

Caesarius, Arvernensis episcopus, *142.

s. Caesarius martyr; in oratorio s. C.-ii intra palatio, 86.

Calabria, p. 299[2]; C.-ae inferioris et superioris patrimonium, 304; Calabritanum patrimonium, 335.

Calagurritana ecclesia, 120.
Campania, 304.
Campulus, LXIX; 294.
Candidus presbyter, 78, 82.
Cantia, XLVII; 178; 251.
Cantuariorum ecclesia, XLVI; 176; 177.
Caralis, XV; apud Karalis constitutus, p. *40[1].
Carisiacus (Kiersy), *219; *248; LXIV; synodus a. 849, p. 425[2]; capitulare a. 873, *372.
Carpentoratensis civitas, 29.
Carthago, 14; 16; 34; 316; synodus a. 484, *16; a. 525, *156; p. 173[2]; Carthaginenses canones, 254 c. 3; 325.
Carthago (Hispaniae), XXXII; 114.
Cassianus, III.
Cassinense monasterium, p. 76[3]; LIX; LXXVII; Cassinum castrum, *239; monasterium b. Benedicti, 219.
Cassiodorus Senator, *XXII; 265; p. 311[2]; LXXXIII; epistula ad Iohannem II papam, *56; de schola christiana Romae instituenda, *57; de antiquariorum studiis, *58.
Castus, magister militum, 75.
s. Ceadda, Merciorum episcopus, 177.
s. Cedd, 177; *182.
Cellanus, abbas Perronae Scottorum, p. 191[1]; epistula ad s. Aldhelmum, *172.
Centula (S. Riquier) monasterium, 227; LXVIII; *293.
Ceolfrid abbas, XLVIII; 185; *189.
Ceoluulf rex, *177; 190.
Chalcedonensis synodus, *71; *73; *74; p. 128[1]; 184; 317; 324; p. 489[2]; canones, 254, c. 9, 10; 325.
Charibert (Haribertus), Langobardourm rex, *166.
Childebertus I, rex Francorum, *49.
Childebertus II, 65.
Childericus II, XLI.
Childericus III, *LIV; 220.
Chindasvindus, Wisigothorum rex, *137; 151; lex de diebus festis et feriatis, *130.
Chintila, Wisigothorum rex, 135; dive memorie Chintilani regis, 132.
Chlodosvinda, Langobardorum regina, XXI; *53.
Chlodovaeus, rex Francorum, IX; *22; *28; XVI; *37; 53; *63.
Chlotharius I, rex Francorum, XXVI.
Chlotharius II, XXX; 105; edictum a. 614, *106.
Chlotharius III, XLI; 156.
Christoforus regionarius, 219.
Chrobati, p. 447[2].
s. Chrodegangus, Mettensis episcopus, *LVIII; *234; Regula canonicorum, *228; *229; *230; *231; *232; *233; p. 383[3]; Hrodegangus, 227; Chrothgangus, p. 277[1]; Rodigangus, 219; Chrodegangus, 228.
s. Chrysogoni titulus, 25.
Chuni, v. Huni.
s. Chunialdus, 295.
Cicero, p. 423[2]; rhetor quoque Tullius ingens, 265.
Claudius, Taurinensis episcopus, p. 395[1]; LXXX; *323.
s. Clemens, 339; LXXXIX; *364.
Clemens, genere Scottus, *212.
Clemens, v. Willibrordus.
s. Clementis titulus, 25.
Clippiacense (Clichy) concilium a. 626/7, *107; p. 111[4].
Clivatense (Civate) monasterium, LIX.
Cloveshoe, synodus apud, *LV; *218; p. 215[1].
Coelum aureum, monasterium b. Petri, foras muros Ticinensis civitatis, 240.

Coenulfus, rex Merciorum, 297.
s. Colman, Lindisfarnensis episc., *182.
Colonia Agrippina, II; p. 405[1]; Colonensis episcopus, *214; XC; Colonensis ecclesia, *369; ad Colonensem parrochiam, 214.
Colosseus, vir illuster, 54.
s. Columba sen., XLV; 138; *182.
s. Columba (Columbanus), *XXIX; XXXVIII; 144; 146; 179; epistula ad s. Gregorium M., *101; ad Bonifacium IV papam, *102; de officii divini ordine, *103; de paenitentia, *104; regula, p. 108[1], *156.
Comminianus, 265.
Compendiense (Compiègne) concilium a. 757, LVII; LVIII; ad Compendium palatium publicum, 224; conventus apud palatium Compendium (a. 833), *319.
Complutense monasterium, XXXIX.
Complutensis ecclesia, 120.
Conantius, episc. Palentinus, XXXIX.
Conimbriensis ecclesia, 120.
Constans II imperator, 184.
Constantina augusta, 76.
Constantinopolis, 52; 115; *138; 184; 195; 293; 323; 356; 376 c. 7; Constantinopolitana ecclesia, 185; Constantinopolitanum concilium I (a. 381), 73; 184; II (a. 553), *74; 184; III (a. 680, p. 166[2]; IV (a. 869); LXXXVI; LXXXIX, 356; Constantinopolitanum symbolum, p. 128[1]; p. 146[1].
Constantinus I papa, p. 224[4]; p. 286[5].
Constantinus II papa, LXIV; C. apostolicae sedis invasor, 247.
Constantinus I imperator, LXIII; constitutum Pseudo-Constantini, *252; piae memoriae C.-ni temporibus, 79; novus C. (Chlodovaeus), 63; (Karolus M.) 260; ad instar magni imperatoris C.-ni, 362.
Constantinum III imp., 184.
Constantinus V imp., 323.
Constantinus VI imp., p. 294[2]; p. 337[1]; 356.
Constantinus episc., p. 22[1].
Constantinus, vir spectabilis, 17.
Constantinus patricius et curator de Placidia, 86.
Constantius Mediolanensis episcopus, *72; *74.
Constantius patricius, 7.
Constantius tribunus, 70.
Corbeia monasterium (Corbie), XLI; 153; *XLII; *156; 227; *LXXVII; *314; XC.
s. Corbinianus, Frisingensis episc., p. 227[4].
Corduba, 120; LXXXIV; *333.
Coroticus, Brittonum rex, IV.
Corsica, *16; 248; 260; 304.
Cremifanum (Kremsmünster) monasterium, p. 272[2].
Cremona, 308.
Crescentianae titulus, 25.
s. Crucis ecclesia Aurelianensis, 300 c. 19.
s. Cudberctus, Lindisfarnensis episc., XLVIII; *177; 267.
Cuma, 308; Cumana civitas, 25.
Cuninepertus, Langobard. rex, 166.
Cura civitas, 105.
Curbio (Corbion) monasterium, 154.
Cuthberctus abbas, XLVIII; XLIX; epistula ad Cuthwinum de Bedae obitu, *191.
Cuthberhctus, Cantuariae archiepiscopus, LV, 218; epistula ad Lullum de s. Bonifatii martyrio, *215.
Cuthwinus, XLVIII; *XLIX; *191.

Cyprianus, Telonensis episc., XVII.
s. Cyprianus, Carthaginensis episc., *301.
Cyprianus, Unizibirensis episc., 14.
Cyprianus diaconus s. ecclesiae Romanae regionis VII, 25.
Cyriaci titulus, 25.
Cyriacus abbas, 81.
s. Cyrillus, Alexandrinus episc., 136; 184.
s. Cyrillus, Slavorum apostolus, *XCII; LXXXVI; LXXXIX; *346; *362; *363; *364; Constantinus philosophus, *339; *346; 362.

D

Dacius, Mediolanensis episc., XIX; sancti episcopi Datii, *50.
Dadanus, Erfurtensis (?) episc., 209.
Dadila, Hurdaspalensis abbas, 333.
Daganus, episcopus, 179.
Dagobertus I, rex Francorum, XXXVII; epistula ad episcopos, duces, populum Galliarum, *140; sanctae Ecclesiae cathol. filio D.-o regi, 141; ab antiquo rege Francorum D.-o, 214.
Dalfinus, archiepisc. Lugdunensis (?), martyr, *174.
Damasus Papa, *335; 351; Damasi titulus, 25.
Dani, 266; XC; *360; p. 492[1].
Daniel, Occidentalium Saxonum episcopus, 177.
Daniel, Wintoniensis episc., LIV; epistula ad s. Bonifatium, *204.
Danubius, 23; concilium iuxta ripam Danuuii, 206.
Decius patricius, 62.
Deneardus presbyter, legatus s. Bonifatii, 212.
s. Desiderius, Cadurcensis episc., XXXVII; *139; *141; *143; epistula ad Dagobertum I regem, *140; ad Caesarium Arvernensem episcopum, *142.
Desiderius, episcopus Galliae, *82.
s. Desiderius, Viennensis episcopus, XXXI.
Desiderius, Langobardorum rex, *259; D.-ii sevissimi regis, *262.
Deusdedit Cardinalis collectio canonum, *XX; p. 56[1]; p. 293[2]; p. 313[1]; LXXIII; LXXXVII.
Dhuoda, Bernardi comitis Septimanae uxor, p. 414[2].
Dionysius Exiguus, abbas, 136; cyclus paschalis, p. 104[2]; p. 198[3]; cyclus paschalis, p. 104[2]; p. 198[3]; canonum collectio, p. 126[1]; p. 311[2]; in toto canonum codicis corpore, 334; Dionysio Hadriana collectio, LXII; p. 341[1]; p. 419[2].
s. Dionysius martyr Paris., 289; s. Dionysii basilica Paris., 155; p. 266[1]; monasterium, p. 179[1]; 219; LXIII; p. 277[1]; 227; 289; LXVII; p. 308[1]; LXXXVIII.
Dioscorus, Alexandrinus episc., 73.
Doccum, LIV.
Domagoi, Chrobatorum dux, p. 447[2].
Donatistae, 69.
s. Donatus Bisuntinus episc., p. 108[1]
Donatus grammaticus, 265; 301; p. 423[2].
Dorotheus subdiaconus, legatus Gregorii II in Bavaria, 196.
Dorovernum = Cantuaria, 105; 184; Dorovernensis ecclesia, *251.
Dorstad, 358.
Dracontius, 151.
Dravus Fluvius, 292.
Druhtgangus abbas, 227.
Dumiense monasterium, XXIII; monasterii Dumiensis episcopus, 120; p. 161[3].

Dungalus Scottus, *308; p. 395[1]; p. 412[3].
Duria villa (Düren), 289.
Dusiacensis synodus a. 860, 338.
Duziacensis synod a. 871, LXXXVIII.

## E

Eanbaldus, Eboracensis archiepisc., 251; *270.
Eberhardus (Heberardus), Foroiuliensis comes, *330
Ebo, Remensis archiepisc., LXXIII; 303; LXXIX; LXXXVIII; *360.
Eboraca civitas (York), 175; 251; Euborica in urbe, *264; 271; Euboracia, 267; Eboracensis ecclesia, XLVII; LXV; 251; 265.
Eboriacum monasterium (Faremoutier), XXXVIII; p. 170[2].
Ebredunensis civitas (Embrun), 29; Ebrituno, 105; Eberduno, 277 c. 8; Ebrodunum, p. 405[1].
Eddius Stephanus, *XLVII; de s. Wilfridi itinere Romano, *173; de s. Wilfrido et Dalfino Lugdunensi episcopo, *174; de renovatione Eboracensis basilicae, *175; de synodo apud flumen Nid celebrato, *176.
Edwinus, Northumbriae rex, p. 203[2].
Egbertus, Eboracensis archiepiscopus, XLVIII; *190; LXV; 264.
s. Egbertus episcopus, abbas Ionae, LII.
Egubium (Gubbio), 304.
Eigil, Fuldae abbas, LXXXIII.
Einhartus, *LXXXVIII; p. 364[4,5]; Vita Karoli M., *316.
Elborensis ecclesia (Evora), 129.
Elifantus, Arelatensis episc., *277 c. 8.
Elipandus, Toletanus archiep., LXV; *277.
Emeritensis (Merida) ecclesiae metropolitanus, 120.
s. Emmerammus v. Haimhrammus.
Emmo, Senonensis episc., p. 171[2].
Ennodius, Ticinensis episc., *XIII; panegyricus Theoderico regi dictus, *30; Theoderici regis iudicium de s. Epiphanio, *31; de captivis a s. Epiphanio liberatis, *32.
Epaonensis synodus a. 517, XII; 29; p. 116[2].
Ephesus, 338; Ephesenum concilium, 73; 184; latrocinium, 376 c. 7.
s. Epiphanius Ticinensis episc., *XIII; *31; splendidissimi sacerdotis Epiphanii, 32.
Epiphanius scholasticus, XXII.
Eporegia, *308.
Epternacense monasterium, LII.
Erchinoald, maior domus, XLI.
Ermenbertus presbiter, 262.
Erphesfurt (Erfurt), episcopatus, *208.
Erwig, Wisigothorum rex, XXXIV.
Eudo (Eodo), Aquitaniae dux, 195.
Eudoxius, 184.
Eugenius II papa, *LXXIV; *305; *306.
s. Eugenius, Carthaginensis episc., VII; *16; p. 14[1].
s. Eugenius, Toletanus episc., XL; *151.
Eugippius abbas Lucullanensis, *X; de captivis a s. Severino liberatis, *23; de s. Severini modo vivendi, orandi, ieiunandi, *24.
Eulogius, Alexandrinus episc., *79; 80.
s. Eulogius Cordubens., *LXXXIV; epistula ad Wiliesindum Pampilonensem episcopum, *333.
Euricus, Wisigothorum rex, VI; Evarix, 13; XXXIV.

Europa, 101; 166; *313 c. 8; *329.- totius E.-ae ecclesiarum capiti, *102.
Eusebii titulus, 25.
Eusebius, Barcinonensis episc., *112.
Eusebius, Caesariensis episc., *79; *101; p. 7[1].
Eustasius, Luxoviensis abbas, XXIX; XXXVIII.
Euthychius patricius, 195.
Eutropius episcopus, *136.
Eutyches, 73; per heresim Euthychetis, 184; contra Eutychen et Nestorium, 184.
Eutycianus, martyr, *7.
Evarix v. Euricus.
Exsuperius, Tolosanus episc., p. 436[1].

F

Fabigaudus abbas de Busbrunno, 227.
Falisca et Nepesina ecclesia, 25.
Fanum, 304.
s. Farae monasterium, *154.
Farfa monasterium, LXVII.
Fasciolae titulus, 25.
Fastrada, Karoli M. uxor, 249.
Faustus senator, *27.
Faventia, 304.
Felix Abbiritanus episc., *14.
Felix II papa, *335.
Felix, Urgellitanus episc., LXV; *277; LXXIX.
Ferentini Novi ecclesia, 25.
Ferentinum, 304.
Ferrandus diaconus, XV.
Ferraria, 304.
Ferrariensis (Ferrières) abbatia, LXV.
Fethna, 197*a*.
s. Filibertus, Gemetici abbas, *154.
Flodoardus, LXXXVIII.
ss. Flora et Maria virgines, martyres, LXXXIV; *333.
Florentia, *308.
Florentina, s. Leandri soror, 114.
Florianus abbas monasterii Romeni, p. 54[2].
Focas imperator, *86.
s. Foilanus, p. 191[2].
Fontanae (Fontaines) monasterium, XXIX; 143.
Fontanella monasterium, *154; p. 367[1]; Funtanellas, 227; s. Wandregisili monast., LXXVIII.
Formiensis ecclesia, 25.
Formosus papa, *XCIII; LXXXV; 364; *369*a*; *376 c. 1, 3, 4; epistula ad Herimanum Coloniensem archiepisc. de Hamburgensi ecclesia, *369.
Foroclodiensis ecclesia, 25.
Forosemproniensis ecclesia, 25.
Fortunius abbaes, 333.
Forum Iulii, *308, p. 405[1]; partibus Foroiuliensibus, 290; Foroiuliensis synodus a. 796/7, p. 327[1]; p. 374[2].
Fossa monasterium, p. 191[2].
Franci, XVI; XVII; XIX; 50; XXI; XXV; XXVI; 72; XXX; XXXVIII; XLI; 155; XLII; *XLIII; 157; XLV; 178; LI; LIV; *208; 212; 214; LVI; 219; LVII; 220; 234; p. 294[1]; 248; 249; LXIII; LXIV; 253; 254; *256; *294; p. 412[4]; 324; regina Francorum, 78; 81; 83; rex Francorum, 140; *159, *163; 217; 219; *222; *248; 250; 251; reges Francorum, 304; dux F.-rum, 208; homo Francus, 224; 289; populum F.-rum et Gallorum, 212; praeclara F.-rum gens, 259; schola F.-rum (Romae), *294; legem F.-rum, *317; cunctis regni F.-rum seu Italiae, Aquitaniae, Provintiae episcopis, *217.
Francia, *53; *75. LV; *219; LVIII; LIX; LXIII; LXIV; *256; LXV; LXVII; 302; in Francea, 197; in

Frantiam, 323; Franciae rex, 219; in Francis, 84; 294.
Francofurtensis synodus a. 794; *277; p. 327[1]; p. 374[2].
Frisia, *LII; LIV.
Frisinga (Freising), p. *227[4]; p. 242[2]; ecclesiae Frisingae, *295; Frisingensia statuta a. 800, p. 355[1].
Frisones, *LII; gens Fresorum, *214; Frisonorum schola (Romae), 294.
s. Fructuosus, *XXXIX; de officii divini ordine, *147; *148; *149; pactum inter monachos et abbatem, *150.
Fulda monasterium, *LIV; LXVII; LXXVIII; LXXXI; *LXXXIII; annales Fuldenses, p. 454[1].
s. Fulgentius Ruspensis, *XV; 265; de eius litterarum graecarum studiis, *34; de eius peregrinatione Romana, *35; eius modus vivendi, orandi, ieiunandi, vestiendi, *36.
Fulradus abbas s. Dionysii Parisiensis, *219; 227; LXIII; p. 308[1]; p. 318[1]; Folratus, Folradus, *289; Folradus filius noster, consiliarius vester, *255.
Fundi, 342.
s. Furseus, p. 191[2].

## G

Gai titulus, 25.
Galindo Enniconis, *333.
Gallaecia, 119 c. 2; XXXIX.
Galli, 179; 356; Francorum et G.-rum, 212; natione genere Gallus, 212.
Gallia, 7; XXV; XXVI; XXIX; 101; p. 104[2]; 146; 182; 187; 188; 190; 198; 268; 284 c. 12; 293; Gallia togata, Gallia comata, 333; primas Galliae, LXXXVIII; Galliae, 7; VI, 50; XXI; 234; 317; 334; universos paene Galliarum episcopos, 222; principes Galliarum, 211; omnem Galliarum provinciam, 211.
Gallicanus cantus, *276 c. 80; Gallicani episcopi, 30; G.-ni primarii, 101; de canonibus G.-nis, 317.
s. Galli monasterium, LXXXI.
Gamundia (Hornbach) monasterium, LIII; episcopus de monasterio Gamundias, 217.
Gangrensens canones, 325.
Gaudericus Veliternensis episcopus, LXXXIX; 364
Gauzbertus episc., 459.
Celasius papa, *VIII; 325; epistulae ad Theodericum regem Gothorum, *17; *20; Hereleuvae Theoderici matri, *18; *19; Zeiae comiti, *21; Quinigesio et Constantino episcopis, p. 27[1]; Rustico Lugdunensi episc., p. 38[1]; epistula decretalis « Necessaria rerum », p. 96[2]; p. 97[1,2]; 288 c. 14; decretum de libris recipiendis, *334; in libro decretorum b. Gelasii pape, 254 c. 5; ex verbis b. Gelasii, 351.
Gellonense monasterium, 302.
Gemeticum (Jumièges) monasterium, 154; 227.
Genava (Genève), 32; civitas Genuensis, 29.
Gennadius, XXXII.
Genua, a Genuensibus partibus, 88.
Georgius episcopus Ostiensis, 219; 297; relatio ad Hadrianum I de legatione sua in Brittanniam, *251.
Georgius presbiter s. Sedis apostolicae, *196.
Georgius scholae cantorum prior, *258.
Georgius notarius principis (Mauricii), 86.
Germania, 146; 195; 208; LXIV;

LXVII; 268; 293; LXXVIII; LXXXIII; Germaniarum episcopi, *80; presbyteros Germanicos, 366; Germanica verba, 10.
s. Germanus, Autissiodorensis episc., *7; IV; *53.
s. Germanus, Parisiensis episc., XXVI.
s. Germani Parisiens. monasterium, 155; 227; p. 377[2].
Germanus, Constantinopolitanus patriarcha, LI.
Germanus, praefectus urbis, 65.
Gerundensis ecclesia, 115; 120; Gerunda, *134.
Geruntius, Walliae rex, XLVI.
Gethsemani, *167.
Gibuldus, Alamannorum rex, 23.
Gildas, p. 199[5].
Gisiricus, Wandalorum rex, *7; 34.
Gisulfus. Beneventanorum ductor, 236; dux, 240.
Godigisclus, 32.
Goisvinta, Leuvichildi regis uxor, *64.
Gorazd, s. Methodii discipulus, *368; p. 484[1].
s. Gorgonius martyr, LVIII; *234.
Gorziense monasterium, *LVIII; 234.
Gotescalcus monachus, p. *424[3]; p. 425[2]; LXXXVIII; quendam sciolum nomine G.-um, *330; istum noxium virum, hoc est G.-um, *331.
Gothi, *3; p. 2[1]; *6; *7; p. 7[1]; VI; 12; *13; p. 22[2]; *49; p. 53[3]; 50; 53; p. 57[4]; XXII; *54; XXIV; 113; 114; 115; *116; *119; *XXXIV; LXXXIV; v. Wisigothi.
Gothia, *3; 333; in provincia Gothiae, 302.
Gradus (Grado), XLIV; p. 405[1].
Graeci, 192; *193; 316; *356; Greci et Romani seu et Franci, 221 c. 6; nova Grecorum synodus, *277 c. 2; ex Graecis et Latinis canonibus, 351; legati Graecorum, 306; populus Graecorum, 306; apud Grecos, 323; Greca falsitas, p. 447[2]; Graeca lingua, *183; *316; Graeco eloquio, 337; in Graeco, 298; Graecis litteris imbuendum, *34; locutionem Graecam, servatis aspirationibus, *34; ex Graeca lingua in Sloveni-cam, 367.
Graecia, *190; 306; Graecia clara, 265.
Gratiani decretum, LXIII.
Gratianopolitana civitas, 29; 105.
Gratiosus, Ravennae archiep., *262.
s. Gregorius M., *XXVII; XXVIII; p. 99[1]; *62; *65; *101; 114; 177; 212; *215; LIX; *251; 277 c. 8; *298; 301; LXXXIII; 332; 334; 348 c. 8; 352; 354; 355; 375 c. 55; epistula Iohanni exconsuli, *68; universis episcopis Numidiae, *69; universis militibus Neapoli, *70; Savino subdiacono, *71; Constantio Mediolanensi episcopo, *72; *74; Theodolinde reginae Langobardorum, *73; *88; Mauricio augusto, *75; Constantiae augustae, *76; decretum synodi a. 595, 77; epistula Brunigildae reginae Francorum, *78; *81; *83; Eulogio Alexandrino episc., *79; 80; Desiderio episc. Galliae, *82; Mellito, abbati in Francis, *84; Augustino episcopo, *85; denuntiatio pro septiformi litania, *87; de s. Hermenegildo, *89; deifluo G.-io papa, 263; G. summus, 265; dulcedinem Gregoriani cantus, *328; tradicionem G.-ii *328.
Gregorius II papa, *LI; LIV; 177; *195; 213; *239; capitulare legatis in Baioariam enuntibus, *196; epistula commendatitia pro s. Bonifa-

tio, *202; sub. G..io papa iuniore, *323; G..ii iunioris, 325.
Gregorius III papa, LIV; 208; 213; *323; LXI; LXIV; epistulae ad s. Bonifatium, *205; *206.
Gregorius IV papa, LXXVII; LXXIX; XC.
s. Gregorius Turonensis epi:c. p. 23[1]; XXI; XXIII; *XXV; de Clodovei conversione, *63; de s Hermenegildo, *64; de s. Gregorii M. electione, *65; de s. Petri sepulchro, *66.
Gregorius, praefectus praetorio, 75.
Gregorius, notarius regionarius et numenculator, 212.
Grimaldus, dux Beneventorum, 318.
Grimo, archiepisc. Rodomensis, 211.
Grimoald, Langobardorum rex, LX.
Gudila, 26.
Gundicharius, Burgundionum rex, 7.
Gundobad, Burgundionum rex, XII; 32; 53; Gundobadi lex, p. 60[1]; *317.
Gunthamund, Wandalorum rex, p. 167[4].
Guntharius, Coloniensis archepisc., p. 437[2]; *LXXXVIII.

## H

Hadrianus I, papa, LXI; *LXII; *248; p. 305[2]; LXIV; p. 364[3]; 291; 293; LXXIV; 351; 35b epistulae ad Karolum M., *250 *260; *261; *262; *263; Adriano summo pontifici et universali papae, *249; temporibus ter beatissimi et coangelici domini Hadriani summi pontificis et universalis pape, *251; a sede apostolica id est ab Adriano pontifice, *277 c. 55.
Hadrianus II papa, *LXXXVI; LXXXVIII; LXXXIX; *364; p. 506[1]; epistula ad synodum Duziacensem, *338; ad Rastislavum, Svjatopolcum et Kozelum, *339.
Hadrianus III papa, XCI.
Hadrianus abbas Niridanus, XLVI; *171; 177; p. *207[1]; *183.
Haelmo, Senensis episcopus, 291.
s. Haimhrammus (Emmeramus), Ratisbonensis episc., p. *227[4].
Haito, Basileensis episc., *LXXVI; LXXXI; capitula ecclesiastica, *313.
Halitgarius, Cameracensis episc., 303; p. *412[4].
Hammaburgensis ecclesia, *XC; XCIII; *369.
Hartbertus, Sennonensis archiepisc., *211; Ardobertus, 220 c. 3.
Hassia, LIV.
Hatfield (Haethfelth), synodus apud, *184.
Heddo, Argentoratensis episc., Eddanus, 209; Eddo, 227.
Helisacar abbas, 302.
Henus (Inn) fluvius, 23.
Heraclius imp., 138; 180.
Herchenfreda, s. Desiderii Cadurcensis mater, XXXVII; epistula ad Desiderium, 139.
Herchenradus, apostolicus in Christo pater H., episcopus urbis Parisius civetate pontifex, *289.
Hereleuva, Theoderici regis mater, *18; *19.
Herimannus, Coloniensis archiepisc., *369.
s. Hermenegildus, martyr, *64; p. 72[1]; *89; p. *121[3].
Hermericus, Pataviensis episcopus, p. 488[2].
Hersfeld monasterium, LXVII.
Hesperia, *166; in his Hesperiae partibus, *260.
Hiberni, p. 104[1]; p. 108[1] XLV.
Hibernia, *IV; p. 152[1]; XXIX; *171;

*179; LII; Hiberione, *8; in Hibernensi insula, *172.
Hibernensis collectio canonum, *L.
Hieremias, Senonensis episc., *306.
s. Hieronymus, *212; *301; *325; *332; beatissimo Hieronymo presbytero, *3; sanctus H., *101; beati H.-mi, 101; pater H., *265.
Hierusalem, *35; Hierosolimis, 293; *316.
Hilariacum (St. Avold), monasterium, *234.
s. Hilarius, p. 40[1]; *53; XXVI; 265; 301.
Hilarus papa, p. 26[1]; *335.
Hilarus, archipresbyter et servans locum s. sedis apostolicae, *181.
Hilarus, chartularius, 69.
Hild, abbatissa, *182.
Hildebaldus, Coloniensis archiepisc., *277 c. 55; 294.
Hilderic, Wandalorum rex, XV.
Hildigardis, Karoli M. uxor, LIX; p. 322[2].
Hilduinus, s. Dionysii abbas, LXXXVIII.
Hincmarus, Laudunensis episc., 338; *LXXXVIII; *351; *352.
Hincmarus, Remensis archiepisc., LXXVII; *331; *LXXXVIII; capitula presbyteris data, *348; *350; capitula a decanis investiganda, *349; de falsis decretalibus, *351; de primatu Romani pontificis, *352; iuramentum Pontigonense, *353; synodus apud s. Macram, *354; epistula ad Ludowicum III regem, *355.
Hispalensis synodus a. 619; XXXII; H.-is ecclesiae metropolitanus, *118; 120.
Hispana canonum collectio, *XXXIII.
Hispania, p. 7[1]; XIV; p. 57[4]; 64; p. *122[1]; *119; LI; LIII; LXII; LXXI; LXXIX; LXXXIV; 351; Spania, 195; totius H.-ae atque Narbonnensis Galliae episcopi, *135; omnibus pontificibus H.-ae atque Galliae, *127 c. 6; Hispaniarum et Galliae ecclesiae, *119; per omnes ecclesias Hispaniae, Galliae et Gallaeciae, *119 c. 2; per omnem Hispaniam sive Galliam, *119 c. 16; cunctis H.-ae populis, *120 c. 75; Hispaniae ,*64; 89; 115; Hispani viri, *7.
Hitherius, Itherius abbas, 304; Etherium capellanum et notarium, 248; Ittherius, *261.
Homerus poeta, *34; LXVIII; p. 364[5].
Honoratus abbas, *328.
Honoratus notarius, 62.
Honorius I papa, *135; p. 204[2]; LXXXIX; epistula ad Honorium Cantuariae archiepisc., *180.
Honorius, Cantuariae archiepisc., *180.
Horeb mons, p. 366[1].
Horatius, p. *430[1].
Horicus, Danorum rex, *357.
Hormisda papa, XIII; *XIV; *325; *335; Sallustio Hispalensi episcopo vices suas confert, *33.
Hrabanus Maurus, LXXXI; *LXXXIII; H. orthodoxo magistro, 332; epistula ad Eberhartum comitem, *330; ad Hincmarum Remensem, *331.
Hrotbertus, Senensis episc., 291.
Hrodchildis, Clodovei uxor, *53; Chrotchildis, *63.
s. Hrodpertus (Rupertus), p. 227[4]; corpus sacri pontificis Hruodberti, *295.
Hrypis monasterium, *176; LII.
Hucbaldus, missus Karoli M., *262.
Hunericus, Wandalorum rex, VII; *16; Hunirix, *15.

Huni, *2; Chuni, 7; Huni=Avari, *266; *268.
Hurdaspalense monasterium, 333.
Hwaetberhtus abbas, XLVIII; p. 219[1].
Hydatius, Lemicensis episc., p. 7[1].

I

s. Iacobus, apostolus Hispaniae, p. 122[1].
Iaenberhtus, Dorovernensis archiepisc., *251.
Ibas, 184; Hibas, *166.
Iesse, Ambianensis episc., LXIX; 294.
Igalense monasterium, 333.
Ignatius, Constantinopolitanus patriarcha, *329; LXXXV; 342.
s. Ildefonsus, Toletanus archiep., *XL; de s. Eugenio, Toletano archiepisc., *151.
Illyricum, p. 299[2]; *335.
Inda (Kornelimünster) monasterium, LXXII; LXXVI; epist. monachorum Indensium de s. Benedicto Anianensi, *302.
India (Innichen) monasterium, p. 272[2].
Ingundis, s. Hermenegildi uxor, 64.
Innocentius I papa, p. 96[3]; 325; *335; in libro decretorum b. I.-ii papae, *254 c. 20; capitulum sancti papae Innocentii, *334.
Iohannes II papa, *56.
Iohannes IV papa, Iohannes diaconus et in Dei nomine electus, *181; epistula ad abbates Scottos, *181.
Iohannes VI papa, p. 195[2]; 236.
Iohannes VIII papa, *LXXXVII; p. 454[1]; LXXXIX; 356; XCI; XCII; *361 c. 12; XCIII; epistula Ludovico Germanico regi, *340; ad Karolomannum, p. 446[3]; episcopis et clericis Anglorum, *341; imperatori Grecorum, *342; ad Domagoi, Chrobatorum ducem p. 447[2]; imperatori et imperatrici, *343; Karolo Calvo imperatori, *344; Methodio archiepisc. Pannoniae, *345; Sfentopulcho regi Moraviae, *346; Richardi Augustae, *347; Hermerico Pataviensi episcopo, p. 488[2].
s. Iohannes Chrysostomus, *265; fulvo ore Iohannem, *301.
Iohannes, Caesaraugustanus episc., XXXV.
Iohannes, sanctae Dei Romanae ecclesiae legatus, 293.
Iohannes, primicerius et servans locum s. sedis apostolicae, *181.
Iohannes servus Dei, consiliarius eiusdem apostolicae sedis, *181.
Iohannes Biclarensis, p. 7[1]; p. 121[3]; *115; p. 123[1].
Iohannes exconsul, patricius, quaestor, *68.
Iohannes abbas, archicantor s. Petri, *185; *188; p. 210[4].
Iohannes monachus atque abbas civitatis Ravennantium, 263.
Iohannes abbas, 72.
Iohannes Scottus Eriugena, *337; p. 440[3].
Iona monasterium, p. 103[1]; XLV.
Ionas, Aurelianensis episc., *LXXX; de poenitentia et sacramentorum frequentia, *320; *321; *322.
Ionas, Bobbiensis monachus, XXIX; p. 109[1]; *XXXVIII; de s. Columbani adventu Luxovium, *144; de eius apostolatu inter Suaevos, *145; de Bobbiensis monasterii institutione, *146.
Iosaphat vallis, 167.
Ioseph, venerabilis episcopus atque archicapellanus totius ecclesiae, 370.
Iosephus Flavius, *XXII.

Iotrus (Iouarre) monasterium, *154.
Irene imperatrix, 356.
Irmino, abbas s. Germani a Pratis, p. *377[2].
Isaac martyr, *333.
s. Isidorus Hispalensis epsc., XXIII; XXXII; *118; 120; XL; 191; 301; 310; 325; LXXXIII; de s. Leandro, *114; de Iohanne Biclarensi, *115; de Wisigothorum conversione, *116; de Iudaeis vi ad fidem conversis, *117; de s. Hermenegildo, p. *121[3]; de s. Iacobo Hispaniae apostolo, p. 122[1]; de iugo tributorum in imperio Romano, p 2[1]; nostri temporis vir insignis Hispalensis I., *136.
Istria, XXIV; *248; partibus Histrensibus, 290.
Italia, *7; VIII; XI; p. 26[1]; 31; 32; 34; *41 c. 1, 3; *49; 50; 51; 52; p. *56[1]; p. 67[1]; *61; *62; *76; p. 104[2]; XXVII; 146; 182; *190; LI; 195; 235; 238; LX; 248; 268; 277; *279; LXVII; 292; 293; p. 418[2]; p. 424[3]; LXXXVII; *XCIII; Italicum regnum, *57; *373.
Iudaei, *11; 40 c. 40; *42 c. 33; *105 c. 17; *107 c. 13; p. 119[1]; *119 c. 14; *120 c. 57, 60, 66; 124 c. 10; 129 c. 8; *132; *133; *135; 182; *LXXIX; negotiatores Iudaei, *283 c. 4.
Iulianus Pomerius, XVII.
s. Iulianus martyr, XXV.
s. Iulianus, Toletanus episc., XL; p. *166[2].
Iuli titulus, 25.
Iustus, Rochestrensis episc 179.
Iuvavensis ecclesia, *292; ecclesiae I.-sium, quae et Petena nuncupatur, *295 (v. Salisburgum).
Iuvenalis, p. 430[1].
Iuvencus, 265; 301.

## K

Kala (Chelles) monasterium, XLI; *153; *154.
Karantana provincia, *292; libellus de conversione Bagoariorum et Karantanorum, p. *446[4].
Karolomannus, LVII; 197; 211; capitularia, *209; *210; frater benignissimi Pippini regis, *219; dux Francorum, *208; princeps Francorum, *214; dux et princeps F.-um, 209. Karlomannus, ipse... Carolus cum suo germano Carulomanno, *248; Carolo et Carolomanno idem regibus et utrisque patritiis Romanorum, *255; *256; *259.
Karlomannus rex, LXXXVIII.
Karolus Calvus imperator, p. 429[1]; LXXXV; p. 440[3]; *337; 338; LXXXVIII; *353; *373; Carolum regem Francorum, 333; Karolo imperatori, 344.
Karolus III Crassus, XCIII.
Karolus, Karoli M. filius, *294.
Karolus Magnus, 219; LIX; LXI; LXII; *248; *249; *250; *251; *LXIV; *253; *255; *256; *259; *260; *261; *262; *263; *LXV; *268; *271; *273; *LXVI; LXVII; LXVIII; 293; LXIX; *294; 295; 296; *298; LXX; *299; LXXI; LXXII; 302; *304; p. 395[1]; LXXVI; p. 397[2]; LXXVII; *LXXVIII; *316; p. *405[1]; capitulare a. 769, *275; admonitio generalis a. 789, *276; epistula de colendis litteris, *278; epistula in Italiam missa, *279; capitulare missorum a. 802; *280; capitulare missorum a. 806, *283; capitula a sacerdotibus proposita, *281; capitula de examinandis ecclesiasticis, *282; capitula de causis cum episcopis et

abbatibus traltandis, *284; capitula ecclesastica a. 813, *286; epistula ad metropolitanos de baptismate, *285; diploma pro abbatia s. Dionysii a. 775, *289; pro Aquileiensi patriarchatu a. 792, *290; pro Aretina ecclesia a. 801, *291; sententia inter Aquileiensem et Salisburgensem ecclesiam a. 811, *292; Carolinus codex, *LXIV; Carolini libri, *LXV.

Karolus Martellus, LII; LIII; p. p. 262[2]; LVIII; 234; LXIV; 253; 304; donatio Traiecti s. Willibrordo, *197; donatio insulae Sindlezzeisaua s. Pirmino, *198; s. Bonifatium sub mundeburdio suo recipit, *203.

Kellanus episcopus, 293.

Kievensia folia, p. *444[4].

Kozel, Slavorum Pannoniae princeps, *339; *365; *366

s. Kyslarius, *295.

L

Lactantius, *265.

Lambertus imperator, *XCIII; *369a; 376 c. 6; p. 507.

Langobardi, XXIV; p. 76[3]; 72; 75; 76; 88; *113; 146; *166; XLIV; *195; LVI; *219; *LIX; *235; *237; *LX; *242; *LXII; LXIV; *255; *256; 292; LXXXII; nefandissimi hostis L.rum, *61; perfidia L.-rum *62; non Romanorum, sed L.-rum episcopus, *68; a pessima L.-rum gente, *256; nefandam gentem L.-rum, *260; foetentissimae L.-rum genti, *259; L.-rum schola (Romae), 294; palatium regis L.rum, *304; Tuscia L.-rum, 304.

Langobardia, episcopi de L.-ia, *99.

Laodicenses canones, 325.

Lateranus, de area vel de domo Lateranensi, *26; in Lateranis, *86; in sacro L.-si scrinio, *100; in patriarchio L.-se, 212; *294; *248; in basilica Salvatoris iuxta Lateranis, 248, v. p. 293[3]; palatium imperii nostri L.-se, 252.

Latiniacense monasterium, p. 191[2].

Latinus, Latini, 265; LXXXV; *356; Latini clerici, *363; simbolum secundum Latinos, *285; Latina lingua, *190; *316; *346; tam patrio quamque etiam Latino sermone imbutus, *234; Latinam Grecamque linguam, *183; vel in Latina vel in Greca lingua, *345; Latine et Graece et Slovenice, *368; in Latino, *298; Latine missarum sollemnia celebrentur; *346; de Latinis litteris, *34.

Latium, 265.

Latunense concilium (a. 673/75), *110.

s. Laurentii titulus, 25.

Laurentius, Mediolanensis episc., 72.

Laurentius, Cantuariae archiepisc., *179; epistula episcopis et abbatibus per Scottiam, *179.

Laurissense (Lorsch) monasterium, LVIII; LXVII; Laureshamense (s. Nazarii), p. 277[3]; Lorishaim, *234.

Lavicana via, LXXVIII.

s. Leander, Hispalensis episc., XXXII; *89; *114.

Legerense monasterium, 333.

Leidradus, Lugdunensis archiep., *LXX; LXXIX; epistula ad Karolum M., *299.

s. Leo M. papa, III; *7; 101; 136; *265; *277 c. 8; *301; 325; *335; 351; 355; 376 c. 7; ex libro decretalium b. L.-nis papae, *254 c. 1, 27; s. L. capitulo XIII decretalium

suorum, *338; b. L.-nis capitulum, *334; ex doctrina b. L.-nis, *352.
Leo II papa, p. 166[2].
Leo III papa, *LXIX; p. 337[2]; 290; LXVIII; 293; p. 367[1]; *294; *316; LXXI epistula episcopis provinciae Baiovariorum, *295; Sacramentum, quod iuravit, *296; epistula Coenulfo Merciorum regi, *297.
Leo IV papa, *LXXXII; LXXXVIII; LXXXIX; epistula episcopis Brittanniae, *325; indic' Sardiniae, *326; Lothario augusto, *327; Honorato abbati, 328; Ignatio Constantinopolitano patriarchae *329; Leonina civitas, LXXXII.
Leo IX papa, LXIII.
Leo Isaurus imperator, LI.
Leo I imperator, 355.
Leo III imperator, p. 299[2].
Leo monachus Hispanus, p. 150[2].
Leo monachus Montis Oliveti, *298.
Leo regionarius, 219.
s. Leocadiae basilica Toleti, 151.
Leontia augusta, *86.
Lerinum monasterium, II; XVII; *156; *157; p. *173[2].
Leudegarii Augustodunensis episcopi concilium, *111.
Leutherius, Wintonensis episc., XLVI; *170.
Leuvigildus, Wisigothorum rex, *64; *89; p. 121[3]; *115; *116; XXXIV.
S. Lifardi monasterium, 300 c. 19.
Liftinae, in loco qui dicitur Liftinas, *210.
Liguria, 31; pubes Ligurum, *32.
Lindisfarnensis ecclesia, p. 200[1]; p. 205[2]; p. *330[3].
Liudhardus episc., 178.
Liutprandus, Langobardorum rex, *240; LX; lex de monialibus, *242; lex de ariolis, *243.
Liutuuardus, Vercellensis episc., 347.
Logium monasterium, *154.
Lotharius imperator, LXVI; LXXIV; LXXVII; LXXIX; *319; *327; Constitutio Romana a. 824, *305; epistula ad Eugenium II papam, *306; instructio legatis data, p. 393[1]; epistula ad Hrabanum Maurum, 332; capitulare Olonnense a. 825, *308.
Lotharius II rex, LXXXV; p. 437[2]; LXXXVI; *LXXXVIII.
Lucanus poeta, *265.
Lucillus presbyter, 23.
Lucinae titulus, 25.
Lucullanense monasterium, X.
Ludovicus I imperator, LXVI; LXXI; *302; LXXIII; LXXIV; LXXV; 311; LXXVII; 314; LXXVIII; LXXIX; *319; LXXXI; 323; LXXXIII; LXXXVIII; pactum cum Paschali papa, *304; epistula ad Eugenium papam, *306; instructio legatis data a. 825, 310; admonitio a. 825, *310; capitularia, p. 407[2].
Ludovicus II imperator, *LXXXII; LXXXIX; *370.
Ludovicus, Germaniae rex, LXXXIII; *340; 357; 360; 369; Baiovariae rex, *333.
Ludovicus III rex, *355.
Lugdunensis ecclesia, *29; 105; *LXX, *299; p. 405[1]; LXXIX; Lugdunensis civitas, *32.
Lugdunum Clavatum, 105.
Lullus, Maguntinus episc., XLIX; *215; *217; *227; epistula ad Denehardum, Eanberhtum etc., *216.
Lundoniensis ecclesia, 177
s. Lupus, Tricassinus episc., *53.
s. Lupi Trecensis abbatia, LXV.

Lupus Ferrariensis abbas, p. *423[2]; p. 507.
Lusitania, 33; 115; XXXIX.
Luxovium (Luxeuil) monasterium, *XXIX; XXXVIII; *144; *153; *154; 156; 157; Loxovias, 105.

M

Macedonius, 73; contra vesaniam M.-ii, 184.
s. Macra, synodus apud s. M.-am a. 881, *354; 355.
Maeldhub, Hibernus, XLVI.
Magalonensis ecclesia, 120.
Maginarius, abbas s. Dionysii, LXIII; 261; 304.
Maguntinum concil a. 813, p. 352[1]; a. 829, p. 424[2], a. 847; LXXXIII; a. 848, p. 425[2]; XC; a. 852, LXXXIII; archiepiscopus Magontiae, 369; Mogontiacus, p. 405[1].
Malmesburiense monasterium, XLVI.
s. Mamertus, Viennensis episc., *12; XII.
Manichei, *91.
Mantua, *248; *308.
Marcelli titulus, 25.
Marci titulus, 25.
Marcellinus comes, p. 7[1].
ss. Marcellini et Petri translatio, LXXVIII.
Marculfi formulae, *XLIII; p. 238[2]; p. 357[2]; privilegium episcopi pro monasterio, *157; privilegium immunitatis regiae *158; immunitas regia a telloneis, *159; praeceptum regis de episcopo ordinando, *160; *161; petitio civium ad regem pro episcopo, *162; praeceptum regis de translatione episcopi, *163; praeceptum de clerico faciendo, *164; precaria, *165.
Marcus, Cassinensis monachus, p. 76[3].
s. Maria, 169; domina nostra Dei genitrix semper virgo M., 256; ecclesia in honore s. Dei genitricis semperque virginis M.-ae, 293; ecclesia s. Dei genetricis ad Praesepe, *248; ecclesia s. Mariae, quae dicitur Phatne, *364; Aquileiensis ecclesia, quae est in honore sanctae Dei genitricis semperque virginis Mariae vel s. Petri... sive s. Marci constructa, 290; casa s. Mariae, et s. Stephani et s. Germani, 289; s. Mariae ecclesia (Lugduni), 299; s. Mariae monasterium trans Tiberim, LXXXIX; (missa) b. Mariae genitricis Dei virginis perpetuae, *274; p. *355[1]; purificatio b. Mariae, *286 c. 19; *313 c. 8; adsumptio b. Mariae, 286 c. 19; *313 c. 8; p. *355[1]; imaginem b. Dei genitricis semperque vrginis M.-ae, *188; imagines Iesu Christi et eius genitricis, *247; vestis s. Dei genitricis M.-ae, *242; s. M.-ae vacuum sepulchrum, *167; causa Dei et s. M.-ae, *242.
Marius, Aventicensis episc., p. 7[1].
Marinus I papa, XCI; XCIII.
Martinianus episcopus, *196.
Martinus I papa, *XXXVI; Epistula ad s. Amandum, 138; *184; LXXXIX.
s. Martinus Dumiensis, *XXIII; p. 233[3]; sermo de correctione rusticorum, *59.
s. Martinus, Turonensis episc., XXV; XXVI; *248 c. 12; ad domnum M.-num, ad domni M.-ni limina, *53; s. M.-ni monasterium Romae, *185; *188; abbatia Turonensis, LXIII; LXV; *185; tecta s. M.-ni, *271; s. M.-ni monasterium Lugduni, *299; s. M.-ni cappa, *324; s.

M.-ni festum, *233; *286 c. 19; *313 c. 8.
Massilia, II; 105.
Mathfredus, Aurelianensis comes, LXXX.
Matisconense concilium a. 583, *45; a. 585, *46.
s. Matthaei titulus, 25.
Mauri, *14; Mauritania, p. 20[1].
s. Mauri monasterium, 302.
s. Mauricii festivitas, *313 c. 8; monasterium v. Agaunum.
Mauricius imperator, *65; *75; 77; p. 90[1]; *86.
Maxencius, Aquileiensis patriarcha, *292.
s. Maximus Taurinensis, *V; sermo de rusticorum idololatria, *9.
s. Medardus, Tornacensis episc., *53; s. M.-di Suessionense monasterium, LXX.
Mediolanum, 31; 146; p. 405[1]; *308.
Mellitus, Lundonensis episc., 179.
Mellitus, abbas in Franciis, *84.
Meltis castellum, LIII.
Menander, 34.
Messianus, Arelatensis clericus, XVII.
s. Methodius, Slavorum apostolus, LXXXVI; *339; *LXXXVII; p. *446[3]; *345; *346; *361 c. 12, 13; *XCI; *XCII; *365; *366; *367; *368; archiepiscopus Pannoniensis ecclesie, 345; archiepiscopus sancte ecclesie Marabensis, 346.
Mettensis ecclesia, 228; LVIII; *234; 299; LXXIX.
Michael archangelus, dedicatio s. Archangeli M.-is, *313 c. 8; s. M.-is ecclesia Centulae, 293; in insula Staphinseie, p. 367[1].
Michael I imperator, LXXIV.
Michael III imperator, *335; *339; *362.
Michael Caerularius, patriarcha Constantinopolitanus, LXIII.
Michael, Bulgarorum rex, p. 447[2].
Minerva, *59; *199.
Modericus, vir inluster, 48.
Mohamed, LXXXIV; p. 428[3]; nefandum et scelerosum ipsorum vatem Mahomat, *333.
Mohamed I, LXXXIV.
Monotheletismus, LI; LXXXIX.
Montis Amiatae monasterium, p. 214[2].
Montis Oliveti congregatio, LXIX; epistula ad Leonem III papam de «Filioque» in Symbolo addito, *298
Moravia, LXXXVII; XCI; *363; Moravicus princeps, *362; M.-cus rex, *365; M.-cum imperium, *366; Moravi, *362; *366; sancte ecclesie Marabensis, *346.
Mozarabica liturgia, p. 121[2].
Mulinheim villa (Seligenstadt), LXXVIII.
Mutina, *166; *308.

N

s. Nabor martyr, *234.
Namnetica (Nantes) ecclesia, 338; Namnatis civitas, 105.
Narbonnensis ecclesiae metropolitanus, 120; N.-sis Gallia, 135.
Narniae, *75; Narnia, 304; Narniensis ecclesia, 25.
Nazareth, *169.
s. Nazarius martyr, LVIII; *234; s. Nazarii monasterium (Lorsch), p. 277[3].
Neapolis, *70; 195; Neapolitana ecclesia, 25; Neapolitanum patrimonium, *304.
Neo-Caesarienses canones, 254 c. 4, 22; 325.
Neo-Platonismus, p. 440[3].
Neronis campus (Romae), *195.

Nestorius, 73; contra nequissimum N.-ium, 184.
Nhutscellense monasterium, LIV.
Nicenum I concilium, *73; *184; 317; *223 c. 3; 324; 325; 351; 355; Nicenum symbolum, p. 128[1]; Niceno-Constantinopolitanum symbolum, p. 146[1].
Nicenum II concilium, LXII; *LXV; LXXIV; LXXIX; *277 c. 2; *356.
Nicephorus, Constantinopolitanus patriarcha, p. 369[1].
Niceta, Remensianae episc., p. 57[1].
Nicetius, Treverensis episc., p. 54[1]; *XXI; epistula ad Chlodoswindam Langobardorum reginam, *53.
s. Nicolaus I papa, *LXXXV; LXXXVI; LXXXVIII LXXXIX; XC; XCIII; 369; 376 c. 7; epistula ad episcopos per Gallias, *334; Michaeli imperatori Graecorum, *335; Photio, *336; Karolo Calvo regi, *337; ad Ludovicum Germaniae regem, p. 492[1].
Nicomedis titulus, 25.
Nid flumen (synodus ad), *176; p. 195[2].
Nigrum monasterium (Noirmoutier), LXXVII.
Nisibis, civitas Syrorum, *57.
Nithard, Centulae abbas, p. 364[4].
Nitrensis episcopatus, *346.
Niumagense (Nijmegen) capitulare a. 806, *283.
Nolana ecclesia, 25; Nolanae ecclesiae clerici, *19.
Nonantula monasterium, LXVII.
Nordanhymbrorum ecclesiae, XLVII; N.-um provincia, 177; regio, *251; Transhymbranae gentis rex, *251.
Noricum ripense, *X.
Nothelmus, Lundoniensis presbyter, *177.
Nova Corbeia (Korvey) monasterium, LXXVII; LXXXVIII; XC.
Novalicium monasterum, 227; LXVII.
Novatus, Africanus episcopus, *7.
Numidia, p. 20[1]; *69.

## O

Odilo (Otila), Baioariorum dux, *206.
Odo, Bellovacensis episc., 355.
Odovacer rex, *31.
Odoarius abbas, *333.
Offa, rex Merchiorum, *251; *297.
Olef, rex Sueonum, *357.
Olonna, monasterium s. Anastasii, *240; Olonnense capitulare Lotharii a. 825, *308.
Olyssiponensis ecclesia, 120.
Omousiani, *15; omousion, *15.
Optatus Cassinensis abbas, p. *275[3].
Orbacense monasterium, p. 424[2].
Orosius Paulus, I; 265; de Romano imperio christiano, *1; cur barbari Romanis finibus immissi, *2; de Gothis in Romano imperio, *3.
Ostiensis episcopus, *98; *251; episcopum Hostense, *219.
Oswiu, rex Northumbriae, p. 195[3]; p. *205[1].
Otgarius, Moguntinus archiepiscopus, LXXXIII.
s. Othmarus, s. Galli abbas, LXXXI.
Ovidius Naso, *301.

## P

Palaestina, *XLV.
Palladius diaconus, *7.
Palma Aurea (Romae), *35; p. *41[1].
Pammachi titulus, 25.
Pampilona, LXXXIV; *333.
Pannonia, 7; *54; XXIII; p. 444[1]; LXXXVII; *365; Pannonicam dioe-

cesin, *340; Pannoniensis ecclesia, *345; p. 446[3,4].
Papia, *219; LX; *308; Papiensis conventus a. 876, p. 466[1]; P.-sis synodus a. 850, *370; capitulare P.-se a. 876, *873; (v. Ticinum).
Parisius, *105; *289; in Parisio, *219; concilia Parisiensia: a. 552, XXI; a. 614, *105; a 825, LXXIV; a. 829, *311; p. 412[1,4].
Paschalis I papa, LXXIII; LXXIV; *304; p. 507; epistula de Ebonis Remensis archiepisc. legatione in partibus aquilonis, *303; 360.
Paschalis, LXIX; *294.
Paschasius, martyr, *7.
Paschasius Radbertus, LXXVII.
Paschasinus Lilybaetanus episc., *136.
Passivus, sanctae Dei Romanae ecclesiae legatus, *293.
Pataviensis ecclesia, 295; Batavis, *23; p. 242[2].
s. Paternus, Abrincensis episc., XXVI.
s. Patricius, *IV; confessio s P.-ii, *8.
s. Paulinus, Aquileiensis patriarcha, p. 327[1]; p. 333[1]; *290.
s. Paulinus Eboracensis episc., *175; p. 203[2]; 267.
s. Paulinus Nolanus, *265; *301.
s. Paulus, doctor gentium, *342; *361; s. Pauli ecclesia (Romae), 248; in ecclesia magni doctoris catholici P.-i apostoli, *364; monasterium b. Pauli apostoli (Iarrow), *189 (v. s. Petrus).
Paulus, Anconitanus episc., LXXXV; p. 446[4].
Paulus, Constantinopolitanus episc., *138.
Paulus Alvarus, LXXXIV, p. 428[3], p. 430[1].
Paulus, defensor ecclesiae nostrae, 51
Paulus diaconus, *LIX; P. grammaticus, *263; de Rothari rege, 235; de Iohanne VI papa, *236; de patrimonio Alpium Cottiarum, *237; de Ticinensi ecclesia, *238; de Cassinensi monasterio, *239; de Liutprando rege, *240; de s. Chrodegango, *234; P.-i homiliarium, p. *283[2].
Paulus, diac. mart., *333.
Paulus exarchus, 195.
Pelagiani, 330; P.-ni in Brittannia, *7; virus P.-nae haereseos, 181.
Pelagius I papa, *XX; p. 313[1]; epistula ad Sapaudum Arelatensem episc., *51; ad Symeonem illustrem, *52; ad Boetium praef. praetorio per Africam, p. *56[1].
Pelagius II papa, *XXIV; *65; epistula ad Aunarium Autissiodorensem episc., *61; ad s. Gregorium M., *62.
Pelagius, praefectus praetorio, 31.
Pelagius, haereticus, I.
Pentapolis, *304; Pentapolenses, *195.
Perfectus, presb. mart., *333.
Perrona Scottorum, monasterium, p. 191[1,2].
Persica theca, 88.
Pertharit, Langobardorum rex, *166.
Perusia, *75; Perusium, *304; Perusina ecclesia, 25.
Petronax, civis Brexianae urbis, *239.
s. Petronillae ecclesia (Romae), *364.
s. Petrus, princeps apostolorum, *20; p. *41[1]; 66; p. 67[1]; *68; *69; *73; 173; *182; 212; 273; 291; 303; *338; *373 c. 3; b. Petrum apostolici ordinis principem, *346; Petrus sanctus magister noster et princeps apostolorum, *338; claviger regni coelestis; 182; 297; 342; 361; ianitor regni coelestis, *336; apostoli

et clavicularii, *101; ostiarius ille, *182; Petri cathedra, 60; 101; doleo de infamia c.-ae Petri, *102; devicti sumus c.-ae Petri, *102; sedes Petri, 22; 27; 60; *101; 163; in petra Petri, 135; Petri privilegia, 19; privilegium, *352; iustitia b. Petri, *255; causa b. Petri, *255; Petri forma, *352; in primatu b. Petri, *352; domni Petri discipuli, 53; in servitio b. Petri, *255; tonsura Petri apostoli, *174; ecclesia b. Petri (Romae), 294; 316; b. Petro in cuius basilica consistimus, 296; in ecclesia s. Petri..., ubi ipse in corpore requiescit, 291; in secretario b. Petri apostoli, *LXIX; b. Petri limina, *195; ad corpus s. Petri, *248; super altare b. Petri, *248; sacratissimam clavem a b. Petri... corpore, *68; (v. 66); supra sacratissimum corpus tuum, b. Petre, *99; s. Petri epistula ad Pippinum, Karolum M. et Karlomannum, *255; domnis meis Petro et Paulo, 252; auctoritate bb. principum apostolorum Petri et Pauli, 303; 273; domni Petri, Pauli, Iohannis vel reliquorum sanctorum limina, *53; ad limina ss. apostolorum Petri et Pauli, 291; 346; in termino beatorum Petri et Pauli, 373 c. 3; ss. Petri et Pauli (festum), 286 c. 19; bb. apostolorum Petri et Pauli et aliorum sanctorum martyrum reliquias, *51; reliquiae s. Petri, *212.

s. Petri Sennonense (St. Pierre-le-Vif) monasterium, p. 171[2]; s. Petri Blandiniensis abbatia, LXXVIII; s. Petri ecclesia (Wiremouth), *188; s. Petri monasterium Lugduni, 299; bb. apostolorum Petri et Pauli monasterium (Wiremouth), XLVIII; *189.

Petrus, ecclesiae defensor, 18.

Petrus, Christi miles, 169.

Petrus presb. mart., *333.

Petrus Pisanus, grammaticus, *316.

Photius, LXXXV; LXXXVI; LXXXVII; XCI; *336; p. 446[1]; p. 506[1].

Pictavi, XXVI; p. 225[2]; civitas Pectavis, 105.

Picti, *182.

Pippinus, rex Francorum, *LIV; *LVI; *LVII; *211; *219; p. *266[1]; 228; 234; *248; LXIII LXIV; 253; *254; *255; *256; *257; *258; *262; *276 c. 80; 302; *304; capitularia: Suessionense a. 744, *220; a. 754/55 p. 272[1]; Vernense a. 755, *222; Compendiense a. 757, *224; Vermeriense a. 758/68, *225; Aquitanicum a. 768, *226; epistula ad Lullum, *217.

Pippinus, maiordomus, LII; 197.

Pippinus, Karoli M. filius, p. 331[1]; *290; LXVIII.

Pippinus, Aquitaniae rex, LXXX.

s. Pirminus, *LIII; *198; de superstitionibus paganis, *199; de sanctificandis dominicis et festis, *200; de confessione et communione, *201.

Placicium monasterium, *289.

Placidus patricius, *51.

Plinius, *265.

Pontianus, Africanus episc., p. 122[2].

Ponticone (Ponthion), *219; synodus a. 876, LXXXVIII, *353.

Portus, *304; Portuensis episc., *98; P.-sis ecclesia, *376 c. 3.

Possidius episc., *7.

s. Praxedis ecclesia (Romae), LXXIII; Praxidae titulus, 25.

Priscae titulus, 25.

Priscianus grammaticus, 265.

Priscilliana haeresis, 60
Probus, martyr, *7
Profuturus, Bracarensis episc., XIX; *60; p. *66[1].
Prosper Aquitanus, III; chronica, *7.
Proterius, Alexandrinus episc., 136.
Provintia, 277.
Prudentius poeta, 301.
Prudentius, Tricassinus episcopus, LXXXVIII.
Prumiense monasterium, LXVII.
Pseudo-Isidori collectio canon., LXIII; p. 434[2]; p. 442[1]; LXXXVIII; p. 456[1]; p. 462[1,2]; p. 507; de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, *351.
Pudentis titulus, 25.
Pyrenaei montes, 333.
Pyrrhus, Constantinopolit. episc., *138.

## Q

Quercus, synodus ad Q.-cum, p. 202[2].
Quesnelliana canon. collectio, p. 126[1].
Quintilianus rhetor, p. 423[2].

## R

s. Radegundis, XXVI, *67.
Radleic notarius, LXXVIII.
Ratchis, Langobardor. rex, LIX; LX.
Ratisbona, p. 227[4]; p. 242[2]; Reginensis ecclesia, 295; Reganesburg, 290.
Ratramnus, Corbeiae monachus, p. 433[3].
Ravenna, XXVI; 62; 76; *262; *316; p. 405[1]; Ravennantium urbem, *219; 262; exarchatum Ravennatem, *219; *304.
Ravennius, Arelatensis episcopus, p. *173[2].
Reatinum territorium, *304.
Recaredus, Wisigothorum rex, *89; 114; 115; *116; *119.
Recesvindus, Wisigothorum rex, XXXIV; *132; *137; *151; lex de donationibus Ecclesiae datis, *131.
Redemptus, Hispalensis clericus, XXXII; de s. Isidori obitu, *118.
Reginfredus, Coloniensis episc., *209.
s. Regneberti monasterium, 299.
Remedius vocatus episc., civitatis Rodoma, 227; R.-ii germani vestri, *258.
Remi (Rheims), p 405[1]; ex civitate Remus, 105; in metropoli civitate Rhemorum, *348; Remense concilium a. 813, p. 353[1]; Remensis ecclesia, 303; LXXXVIII.
s. Remigius, *XVI; *53; *63; *249; epistula ad Clodoveum regem, *37; missa s. Remedii, *233; festivitas s. Remedii, *313 c. 8.
Resbacense (Rebais) monasterium, p. 171[2]; abbas de Rasbacis, 227.
Rhispacensis synodus a. 800, p. 355[1].
Richardis imperatrix, LXXXVII; *347.
s. Richarii monasterium Centulae, LXVIII; *293.
Riculfus, Moguntinus episc., *351; p. 462[3].
Rimbertus, Hammaburgensis archiepisc., XC; de s. Anskarii adventu in Sueciam, *357; de placito, quo populus christianam religionem admittit, *358; de Erimberto sacerdote, *359.
Roma, 7; 65; 134; 178; 195; 316; p. 405[1]; urbem orbi venerabilem, *27; Roma, caput mundi, *35; Romae, ubi bb. apostoli Petrus et Paulus vixere, docuere, passi sunt et sepulti, *182; in hac sede Romana, 305; Romana in sede, 273; privilegia R.-nae sedis, 334; sedis apostolicae R.-ae, 196 c. 5; Romana ecclesia, 293; sacrosancta domina nostra R.-a

ecclesia, 247; mater nostra sancta R.-a ecclesia, 374 c. 1; sanctae Dei et apostolicae R.-ae ecclesiae, 260, sancta catholica et apostolica R.-a ecclesia, 250; 361; 254; sanctae Dei ecclesiae rei publice R.norum, *219; 255; sanctam Dei ecclesiam et eius populum R.-num, 256; adversus sanctam R.-nam catholicam et apostolicam ecclesiam, 262; 303; R.-na ecclesia, quae caput omnium est ecclesiarum, 336; 373 c. 1; unitatem Romanae ecclesiae servando, 208; clerus s. R.-nae ecclesiae, 361; scrinium huius sanctae nostrae R.-ae ecclesiae, 248; de scrinio R.-ae ecclesiae, p. 412[4]; causam R.-nae ecclesiae, 361; R.-ae ecclesiae consuetudo, *218 c. 15; morem atque ordinem R.-ae ecclesiae, 234; institutionem R.-ae ecclesiae, 229; iuxta R.-orum morem, 187; 341; iuxta morem R.-nae institutionis, 188; secundum Romanos, 192 c. 8; Romanos ordines, 270; papa R.-nus, 324; 364; R.-nus pontifex, 77 c. 4; 208; Romana concilia: a. 649, 138, 184, 185; a. 745, *212; a. 743, *246; a. 769, *247; a. 826, *307; a. 863, p. 437[2]; a. 869, p. 506[1]; a. 876, XCIII; a. 897, XCIII; a. 898, *376. Romana cantilena, 234; R.-nus cantus, 276 c. 80; 288 c. 9; cursus secundum Romanum usum, 282 c. 2; officium secundum ritum R.-orum, 287 c. 7; sicut Romana psallit ecclesia, 313 c. 24; martyrologium R.-nae ecclesiae, *218 c. 13; albas R.-nas, 293; lex R.na, 251 c. 14; 375 c. 30; Romane leges, 340; R.-narum legum iura, 170; ius R.-num, 324; in decretis praesulum ac ducum R.orum, 351; R.-nus cives, *95; R.-num nomen, 3; 30; R.-na lingua, 339; R.-na urbs cum ducatu suo et suburbanis, *304; Romenses pauperes, 155.

Romani titulus, 25.

Romania, *3; *172.

Rostislav,* 339; Rastislavus, Moravicus princeps, *362; *363.

Rotardus dux, *219.

Rothadus, Suessionensis episcopus, LXXXV; *334; LXXXVIII.

Rothari, Langobardorum rex, LX; *235; edictum de strigis, *241.

Rotomagensis ecclesia (Rouen), Rodomagum, 105; Rodoma, 227; Ratumagus, p. 405[1].

Rudolfus, Fuldens. monach., LXXXIII.

Rugi, X.

s. Rupertus v. Hrodpertus.

Rusticius, Lugdunensis episc., p. 38[1].

## S

Sabaricus abbas, p. 166[1].

Sabinae titulus, 25.

Sabinense territorium, *304; Savinensae patrimonio, *260.

Sabinianus mart., *333.

Sabionensis ecclesia, 295.

Salmanticensis ecclesia, 120.

Salernitanum patrimonium, *304

Salisburgum, p. 227[4]; 242[2]; LXVII; LXIX; p. 355[1]; p. 377[2]; p. 405[1]; p. 446[4] (v. Iuvavensis ecclesia).

Sallustius, Hispalensis episc., *33.

Salomon, Constantiae episc., 369.

Salvianus, *II; invectiva in vitia Christianorum, *4; de circorum et theatrorum impuritatibus, *5; de barbarorum pudicitia, Romanorum impudicitia, *6; de tributis in Romano imperio, p. 2[1].

Sancio, martyr, *333.

Sancius Sancionis, comes, *333.
Sapaudiae urbes, 32.
Sapaudus, Arelatensis episc., *51.
Saraceni, LXXXII; LXXXIV; 343; per impiam gentem S.-orum, *344; a Deo odibilibus Saracenis, *347; nec dicenda Agarenorum gens, 195.
Sardicenses canones, 325; S.-se concilium, 324.
Sardinia p. 20[1]; 304; *326; Sardos, *326.
Savinus subdiaconus, *71.
Saxones, *207; 214; 237; 266; *268; 316; misera S.-num gens, *269; Saxonorum schola (Romae), *294.
Scandinavia, XC.
Scemenus, Igalensis abbas, 333.
Scotti, *7; *8; XLV; *179; *181; *182; 212; ordinati a Scotthorum vel Brittonum episcopis, *194.
Scottia, *179; *182.
Sebastianus episcopus, *62.
Sedulius, *265; *301.
Sedulius Scottus, p. 412[1].
Segenus presbyter, 181.
Segnia, 304; Signina civitas, 25.
Seligenstadt, LXXVIII.
Semipelagiani, III.
Senensis ecclesia, 291; p. 507.
Senones, p. 405[1].
Septimania, p. 414[2]; p. 429[1].
s. Sequani monasterium, 302.
Sergius I papa, XLIV; XLVI; *166; *186; LII; *197; *214.
Sergius, Constantinopolitanus episc., *138.
s. Servatii Trajectensis abbatia, LXXVIII.
Severinus, episc. Pelagianus, *7.
s. Severinus, X; *23; *24 (v. Eugippius).
Severinus papa, p. 204[2]. 181.
Severus, Antiochenus episc., p. 52[1].
Sicilia, *65; *96; p. 299[2]; 304; p. 418[2]; Siculum patrimonium, *335.
Sidonius Apollinaris, *V!; carmen in barbaros, *10; epistula commendatitia Iudaeo data, *11; de origine rogationum, *12; desolatio ecclesiarum Galliae per Gothos, *13.
Sigamber, *63.
Sigibertus I, rex Francorum, 64.
Sigibertus III, *138; epistula ad s. Desiderium, *143.
s. Sigismundus, Burgundiorum rex, XII.
Sigobrandus, Parisiens. episc., p. 194[1].
Silverius papa, XIX; p. 101[1] .
s. Silvester papa, *63; p. 71[1]; p. 96[4]; *252; 260; p. 305[2]; p. 306[3]; 252; *325; p.*419[2].
Simon magus, *66.
Simplicius papa, 325; *335.
Sindlezzeisauua (Reichenau), *198.
Siricius papa, p. 96[1]: p. 97[3]; *254 c. 26; 325; *335.
Sisebutus, Wisigothorum rex, *XXXI; *117; 120 c. 57; epistula ad Eusebium Barcinonensem episc., *112; ad Adaloaldum et Theodelindam Langobardorum reges, *113.
Sisenandus, Gothorum rex, *120 c. 75.
Sisenandus, diaconus, martyr, 333.
Sithiu, monasterium, p. 171[2].
Slavi, LXXXXVI; LXXXXVII; LXXXIX; CXII; Sclavos, *346; legatis euntibus ad Sclavos, *361; Sclavorum lingua, *361 c. 12; Sclavina lingua, *345; litteras Sclavinicas, *346; Sclavinica lingua canere, *346; Slovenice, Slovenica lingua, *339; 364; libri Slovenici, 364; Latine et Graece et Slovenice, 368.

Smaragdus abbas, p. 374[2]; p. 412[1].
Socrates, XXII.
Sonnatii Remensis episcopi concilium, *108.
Sozomenos, XXII.
Spoletina civitas, 25; Sp-us dux, 195; ducatum, 348; 304; Spoletium, *260; Spoletinae civitates, *308.
Spira, 105.
Statius poeta, 265.
Stephanus, Arelatens. clericus, XVII.
s. Stephanus protomartyr, *286 c. 19; s. St.-ni ecclesia Mettensis, LVIII; *234; Lugduni, *299.
Stephanus I papa, *348 c. 11.
Stephanus II papa, *213; *214; *LVI; LVIII; *219; 234; p. 305[4]; p. 308[1]; 248; LXIV; 292; epistula ad Pippinum, Karolum M., Karlomannum, *255; ad eosdem et omnes Francos, *256.
Stephanus III papa, p. 293[3]; LXIV; 262; epistula ad Karolum M. et Karlomannum, *259.
Stephanus V papa, XCI; XCII; XCIII; commonitorium legatis euntibus ad Slavos, *361.
Stephanus VI papa, XCIII; *376 c. 1.
Stephanus magister, XLIV; carmen de fine schismatis Aquileiensis, *166.
Stratoburgo civitas, 105.
Streanaeshalch monasterium, p. 195[3]; *182.
Svatopluk, *339; Sfentopulcho glorioso comiti, *346; Sventopulcus princeps, *366.
Suebi, *2; p. 7[1]; *XXIII; p. 128[1]; nationes Suaevorum, *145; in Suevos, *365.
Sueci, XC; regi Sueonum, 357; Sueones, *360; super Danos et Swevos, p. 492[1].
Suessiones, LIV; LVII; 222 c. 4; concilium a. 744, *220; synodi a. 853, 862; LXXXVIII.
Syagria, *32.
Syagrius episc., 81.
Symeon, vir illuster, 52.
Symeon, scholae cantorum prior, *258.
Symmachus papa, *XI; *26; *27; XIII; p. 41[1]; *277 c. 8; 325; synodus a. 499, *25; epistula ad Caesarium Arelatensem, p. 25[2]; spuria Symmachiana, XI; p. 419[2].
Symmachus senator, 27.
Syracusanus archiepiscopus, 335.
Syria, *316.

## T

Taius, Caesaraugust. episc., p. 167[3].
Tanatos insula, *178.
Tanculfus camerarius, 302.
Tarentasia, *277 c. 8; Darandasiensis civitas, 29; Darantasia, p. 405[1].
Tarraconensis ecclesia, 120; urbs, 121[3].
Tarvisum, XXVI; in fine Tarvisiani, *290.
Tarasius, Constantinopolitanus patriarcha, p. 299[3].
Tassilo dux, *223.
Tatto, Augiensis monachus, LXXVI; LXXXI.
Taurini, *308.
Tellepte, 34.
Terracina, 25; *343.
Theodahad, Gothorum rex, XXII; p. 101[1].
Theodebertus I, Francorum rex, *48.
Theodebertus II, XXIX; 146.
Theodelinda, Langobardorum regina, 72; *73; 74; *88; *113; p. 227[4].
Theodemarus, Aquileiensis patriarcha, 370.

Theodemirus, monachus, martyr, 333.
Theodericus, Gothor. rex, VIII; *17; *20; XI; *27; *30; *31; *35; p. *41[1]; XVII XXII; edictum Theoderici, p. 22[2]; anagnosticon in causa Symmachi papae, *26; rescriptum de monomachia, *54.
Theodo, dux Baioariorum, 195.
Theodoretus, Cyri episcopus, XXII; *166; *184.
Theodorus, Mopsvestiae episc., *166; *184.
Theodorus, Cantuariae archiepisc., XLVI; *171; p. 195[2]; 176; *177; *183; L; Theodoro, ... archiepiscopo Brittanniae insulae et civitatis Dorouernis, *184; paenitentiale q. d. T.-ri, *192, *193, *194; p. 507.
Theodorus nomenclator, LXXIII; *304.
Theodori basilica in Laterano, *212.
Theodosius augustus, 77; 86.
Theodosius, Alexandrinus episc., p. 52[1].
Theodulfus, Aurelianensis episc., *LXXI; LXXX; p. 374[2]; capitula ad clerum, *300; de libris quos legere solebat carmen, *301.
Theophanius, notarius regionarius et sacellarius, *212.
Theophilus, Alexandrinus episc., 136; 351.
Theophylactus, Tudertinus episcopus, *251; *297.
Theophylactus archidiaconus, *219.
Thessalonicensis vicariatus, *335.
Theudemirus abbas, LXXX.
Theudericus III, XLI; p. 179[1].
Theudericus rex, 197.
Theudofredus, Corbeiae abbas, *153.
Theutberga, Lotharii II uxor, LXXXV; p. 437[2]; *LXXXVIII.
Theutgaudus, Treverensis archiepisc., p. 437[2]; *LXXXVIII.
Thorout villa, p. 481[2].
Thransamundus, Wandalorum rex, XV, p. 40[1].
Thuringia, *LIV; Thuringi, XXVI; in provincia Thyringorum, *216.
Tibur, *304.
Ticinum, XIII; 31; *166; *219; *235; *238; 240; in urbe regia Ticina, 370; in aula Ticinensi, 374 (v. Papia).
Tigridae titulus, 25.
Toletum (Tolidus), 64; 119; 132; Toletana ecclesia, 134; Toletanus pontifex, *127 c. 6; LXXXIV; Hebraei Toletanae civitatis, *132; Toletana concilia, a. 589, *119; a. 633, *120; XXXII; p. 148[1]; p. 150[5]; a. 636, *121; a. 638, *122; p. 148[1]; a. 646, *123; a. 653, *124; a. 655, *125; a. 675, *126; a. 681, *127; a. 693, *128; a. 694, *129; a. 684, p. 166[2]; a. 688, p. 166[2].
Tolosa, 105; p. 225[2].
Totila rex Gothorum, p. 53[3].
Traiectum (Maastricht), 105.
Traiectum (Utrecht), *197; *214.
Trecensis synodus a. 878, XCIII.
Treueri, *5; Treverensis ecclesia, LXVII; p. 405[1]; Treueris civitas, 105.
Triburiense concilium a. 895, *375.
Tripolitana provincia, p. 20[1].
Trullanum concilium a. 692, *356.
Trygetius, vir praefectorius, *7.
Turninus diaconus, 135
Turones, 185; p. 405[1]; in Turonica, *271; cardinalem metropolitanum et archiepiscopum Turonicae ecclesiae, *338; Turonicus clerus, *338;

Turonense concilium a. 813, p. 352[1]
Tuscia, 247; 260; *308; Tuscia Langobardorum, 304; Tuscanus ducatus, *304.

U

Ucetia, LXXIX.
Uecta insula, *177.
Urgellitana ecclesia, 120.
Ursio Viennensis episc., *277 c. 8.
Ursus, Aquileiensis patriarcha, *292.

V

Vasense concilium, a. 529, *41.
Vaticana basilica, LXI; in templo quod vocitabatur antiquitus Batecanum, *66 (v. s. Petrus).
s. Vedastus, XXXVIII.
Venantius Fortunatus, *XXVI; 265; 301; Vita s Radegundis, *67.
Veneris dies, *59; *199.
Venetiae, *195; *248.
Vermeriense concilium (a. 758/68), LVII; decretum ad Vermeriam palatium, *225.
Vernense concilium (a. 755), LVII; synodus Verno palatio, Vernus palatio publico, *222.
Verona, *290; *308.
Vesontio, p. 405[1]; civitas Uisensionensis, 29; ex civitate Bessuntione, 105.
Vestinae titulus, 25.
Victor Tunnunensis episc., p. 7[1].
Victor Vitensis, *VII; de 4966 catholicorum deportatione in desertum, *14; edictum persecutionis Hunerici, *15.
Victorinus, 265.
Victorius Aquitanus, *101.
Vienna, 105; p. 405[1]; provincia Viennensis, *29; Viennensis ecclesia, *277 c. 8; Viennenses, *12.
Vigilius papa, *XIX; *50; 52; *102; epistula ad s. Caesarium Arelatensem episc., *48; Aureliano Arelatensi episc., *49.
Villerannus servitor, 314.
Vincentia, *290; *308.
s. Vincentii basilica Hispali, 118; monasterium s. V.-ii iuxta Vulturni fontem, *239.
Vincentius Lerinensis, *III.
Vionudi, 266.
Virgilius Maro, 265; 301; p. 430[1].
Vitalianus papa, p. 207[1].
s Viti translatio, p. 399[2].
Vitiges, Gothorum rex, XXII.
Vivarius peregrinorum, LIII; p. 233[2].
Vivilo, Pataviensis episcopus, 206.
Vizantis titulus, 25.
Vodan, *145.
Vulcanalia, *59; *199.
Vulfoleudus, Bituricensis episc., 143.

W

Wala, Bobbiensis abbas, *LXXVII; breve memorationis, *315.
Walahfrid Strabo, LXXXI p. 397[2]; de imaginibus et picturis, *323; comparatio ecclesiasticorum ordinum et saecularium, *324.
Waldebertus, Luxoviens. abbas, *153.
Waldrada, LXXXV.
Wallia, Wisigothorum rex, *7.
Wamba, Wisigothorum rex, p. 166[2].
Wandali, 2; *7; VII; *14; *15; XV;
Warnefrid, LIX.
Wasconia, p. 429[1].
Wetti, monachus Augiae, LXXVII; LXXXI; visio Wettini, LXXVII; p. 397[2].
s. Wibaldi ecclesia (Lugduni), *299.
Uuichinus, *346.
Widegernus, Argentinensis episc., p. 232[2].

Wido, imperator, *XCIII; *374.
Wido, comes limitis Brittann., LXV.
Uuigbod, abbas atque presbyter, *251.
Uuilberche, 191.
Wilcharius, episcopus Numentanus, *219.
s. Wilfrid, Eboracensis episcopus, *XLVII; p. *195[2]; *173; *174; *175; *176; *182.
Wiliesindus, Pampilonensis episcopus, LXXXIV; *333.
s. Willehad, Bremensis episc., *266.
s. Willibaldus, 209; episcopus de monasterio Achistadi, 227.
s. Willibrordus, *LII; LIV; LXV; *214; notitia de eius ordinatione per Sergium I papam, *197; Willibrordus archiepiscopus, *197.
Wilti, 266.
Winigildus, XXIV.
Wintanus, Buraburgensis episc., 209.
Wintonia (Winchester), LIV.
Wiramuda monasterium, XLVIII; p. 212[2]; monasterium iuxta ostium flumini Uiuri, *185.
Uuirzaburg, *208: Uuirziaburgo, 227.
Wisigothi, XVII; p. 57[4]; XXXI; 113; XXXIX; W.-orum gens, *89; W.-orum lex, *XXXIV; lex Romana W.-orum, XXXIV; *v.* Gothi.
Wistremundus, mart., 333.
Wormatiensis synodus a. 868, *371.
Wulfadus, Bituricensis episcopus, LXXXV; LXXXVI; LXXXVIII.
Uulfredus, Eboracensis archiepiscopus, *341.
Wynfreth, LIV; Bonifacius qui et Uuynfrethus, *207.

## X

Xystus III papa, *335.

## Y

Yppolitus notarius, 72.

## Z

Zacharias papa, LIV; LV; *208; *212; *213; *218; *239; 292; LXIV; epistula ad s. Bonifatium, *211; ad Pippinum et episcopos Francorum, *254.
b. Zachariae asceterium, *333; p. 430[1].
Zeia, comes Gothorum, *21.
s. Zoilus, LXXXIV; *333.
Zosimus papa, 277 c. 8; 325.

# INDEX VOLUMINIS


Praefatio . . . . . p. III

Tabula fontium . . . . . » XIII

Fontes . . . . . » 1

Addenda et corrigenda . . . . . » 507

Compendia . . . . . » 508

Index nominum . . . . . » 511

IMPRIMI POTEST

*Romae, 13 maii 1930*

ADULFUS MARIOTTI S. I.
*Vice - Praepositus Prov. Rom*

---

IMPRIMATUR

† IOSEPHUS PALICA,
*Archiep. Philipp., Vic. ger.*

EX TYPOGRAPHIA MANTERO - TYBURE

WITHDRAWN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00103 5091

WITHDRAWN

48798

273.03 S586f v.1

BEFORE TAKING BOOK
from library, remove slip; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK
return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.
Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best possible service from your library.

CATHOLIC THEOLOGICAL